Ann. XIV. ROMAE, Mense Ianuario MCMXI Num. I.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Rerum index:

Sociis et lectoribus Commentarii nostri omnibus, iis praecipue qui, pro sua humanitate, gratulatorias auguralesve litteras tum ob honorem Moderatori nostro recens a Summo Pontifice concessum, tum ut VOCI URBIS magis magisque vultu rideat fortuna sereno, hisce diebus ad nos miserunt, novum annum bonum, faustum, felicem, ex animo iterum iterumque ominamur.

Proposita nostra in superiore numero ediximus, neque hodie iterabimus; id unum in mentem revocamus, Societatem nostram nulli fulcro, nisi studio, favori, patrocinio subnotatorum inniti; Commentariique, itemque Latinitatis, progressum et propagationem, ad quae unice intendimus, ex iis unice pendere. Non modo igitur si quis libere recepta officia nondum persolverit, moras praecipitet, precamur, sed singuli, pro sua quisque parte, ut mature festinent. Quid si nomini suo et pretio subnotationis, unius tantum amici et nomen et pretium addiderint? In tenui labor, at tenuis non gloria...

S. E. R.

PRAEMIA SOCIIS ATTRIBUTA

Meminerint lectores, in primo transacti nuper anni MCMX numero, *singularia praemia* nos constituisse, sub anni exitum assignanda, *trium numismatum argenteorum* ex iis, quae Pontifex Maximus quotannis in festo Apostolorum Principis cudi iubet, Sacro Purpuratorum Senatui, Romanae Curiae aulicisque pontificiis distribuenda; quorum unum collegio, aut seminario, aut scholae illi tribueretur, unde plurima soluta oratione scripta cuiuslibet argumenti publicatione digna ad nos per annum pervenissent; reliqua duo sociis illis, quorum scripta pariter per annum in commentario vulgata, a doctorum virorum collegio maxime commendarentur. Quod quidem collegium in eiusdem anni numero III enunciatum est egregîis viris compositum CAESARE DE ANGELIS S. I.; FR. XAV. REUSS C. SS. R.; I. I. BERTHIER O. P.; THOMA VIGNAS S. P.; IOSEPHO FORNARI, Commentarii nostri Moderatore, *a secretis*.

Hi sententia sua scriptis tradita, unanimi consilio declararunt, non esse locum primi numismatis assignationi quia, idque maxime dolendum, ex subnotatorum classe in eo ordine constituta, nemo ad praemium digne accesserit; reliqua sociis clarissimis **MARCO GALDI** et **THEO. T. CHAVE** esse tribuenda; alteri ob scripta *De duabus « humanistarum » orationibus nuper editis* (N. 2); *Fine orbis appropinquante* (N. 8); *In mortem Ioannis Setti* (N. 11); *De S. Gregorii Nazianzeni epigrammatis ad matrem* (N. 11-12); *De Cetaria pago nuper*

aquarum eluvionibus direpto (N. 12); *In Cetariae reliquias* (N. 12); — alteri propter commentationem *De quattuor condicionibus quibus latinae disciplinae perceptio continetur* (N. 6, 8, 9, 10).

Iudicum consilio obtemperantes, dum egregiis viris gratulamur, ad novum certamen iisdem condicionibus quae in superiore anno propositae sunt socios omnes invitamus, sperantes fore ut praemium quod hoc anno, uti supra diximus, addici nequivit, veluti quartum, ob competitorum numerum ac merita, anno MCMXI addere cogamur.

SOCIETAS EDITRIX ROMANA.

De Syllabi Pii Papae X

propositione XXXIV.

Modernismi theoria est, prouti in Epistola *Pascendi* Pii PP. X legimus: « Adiectiones a fide factas secernere oportet eosque ad fidem ipsam amandare atque ad historiam fidei; sic quum de Christo agitur, quidquid conditionem hominis superat, sive naturalem, prout a psychologia exhibetur, sive ex loco atque aetate, quibus ille vixit, conflatam. »

In huiusmodi theoria fundatur propositio trigesima quarta Syllabi Pii PP. X: « Criticus nequit asserere Christo scientiam nullo circumscriptam limite nisi facta hypothesi, quae historice haud concipi potest quaeque sensui morali repugnat, nempe Christum uti hominem habuisse scientiam Dei et nihilominus noluisse notitiam tot rerum communicare cum discipulis ac posteritate ». In verbis allatis tria invenimus: *a)* Negatur scientia infinita Iesu Christi Verbi Dei; *b)* Asseritur impossibile esse pro historico scientiam hanc concipere; *c)* Explicari nequit, quare Iesus Christus, si omnia sciebat, in ignorantia multorum, imo in multorum errore, homines reliquerit. Liceat nobis recensitis erroribus necnon errantibus enumeratis, errorem in propositione recensita enuntiatum confutare.

***

Damnata propositio ex libris Loisy (1) ad litteram desumpta fuit. Verba eiusdem gallice referre libet. « *Il (le critique) ne pourrait lui (à Jésus) attribuer une science sans bornes que dans une hypothèse historiquement inconcevable et déconcertante pour le sens moral, en admettant que le Christ, comme homme, avait la science de Dieu, et qu' il a délibérément abandonné ses disciples et la posterité, à l'ignorance et à l'erreur sur quantité de choses qu'il pouvait révéler sans le moindre inconvénient. Une conjecture déshonorante pour l'homme de génie qui en serait l'objet ne se recommande pas à l'historien quand il s'agit du Christ* ».

Loisy sententiae rationalistae quidam adhaerent dum asserunt, « Christum cultu quovis sive hebraico sive graeco caruisse », vel nihil, Iudaismo excepto, cognovisse. Schola quoque Güntheriana docuit: « Claris Scripturae verbis, quae aliter intelligi nullo modo possunt, aperte contradicit Scholasticorum superabundantia, dum docent, humanitatem Christi iam ab utero matris participem fuisse visionis Dei ». Fuit etiam H. Schell (+ 1905) qui simul scientiam beatam Christi minuit, scientiamque eiusdem infusam negat. Scientiam beatam Christi minuit hisce verbis: « Visio beata Dei atque universi in Deo, per totum vitae terrenae cursum animae Christi tributa, una ex parte sacrae Scripturae testimoniis non fundatur; alia ex parte veritatem vitae terrenae Christi de medio tollit. Non visio Dei, sed modus et fundamentum eiusdem difficultatem ingerunt ». Scientiam vero infusam Christi negat dum scribit: « Scientia infusa *(durch angeborene Ideen)* Christi animae tribuitur, cum Christum, qui Angelis praeest atque supra Angelos est, ea esse praeditum, sit conveniens. Scientia hac tamen adserta, expositio evangelica vitae Christi, necnon ipsa vita terrena Christi difficulter salvantur, utriusque veritatem deficere necesse est ». (1) Denique Professor Leclair scientiam divinam Christi negavit, scribens: (2) « Hodie a multis admittitur ignorantia, atque error respectu intelligentiae Iesu Christi. Christi scientia quae intellectus ornamentum est, progressui subiecta fuit, cum legatur (LUC. II, 52): Iesus proficiebat sapientia et aetate. (3) — Humanitas Iesu Christi, nullo ornamento privatur, si scientia ei denegetur, Christus siquidem nondum gloriam adeptus est. Propterea Christus vitae mortalis cursu fatetur ignorantiam suam, dum (MARC. XIII, 32) ait: De die autem illo, vel hora nemo scit, neque Angeli in caelo, neque Filius, nisi Pater. — Neque alicui fas est hoc in versiculo reticentiam quamdam asserere, vel testimonium per se clarum obscurum reddere ».

Non aliter recens quidam anonymus I. H. concludit: « Dicamus Iesum Christum, prouti homo est, plenam suae dignitatis conscientiam ab initio non habuisse. Quemadmodum Verbum parvi corporis miseriam necnon infirmitatem acceptavit, ita quoque acceptavit statum quasi inconscium animae suae. Si incertum atque anxium modum parvi pueri Verbo tribuere non pudet, cur anxios esse, dum eidem Verbo dubietates animae quae ad vitam surgit gradatimque se evolvit quoadusque ad perfectionis plenitudinem perveniat, tribuimus? Cur, verba Lucae II, 52, tam clara: Et Iesus proficiebat sapientia et aetate et gratia apud Deum et homines — ad litteram intelligere recusamus? » (4).

(1) *Autour d'un petit livre*, IV, 1, pag. 138-139.

(1) Cf. Citationes per integrum FEI *Theol. Dogm.* v. 3, n. 68.
(2) *Annales d. Philos. Chrét.* Déc. 1904, p. 264.
(3) Cf. Hebr. 2, 10.
(4) *Annales de Philos. Chrét.* Janvier 1907, p. 337-363.

***

Pauca *Critica nostra* complectitur. Praeter modum loquendi confusum, emphaticum, oratoris non vero theologi vel philosophi, tum Loisy, tum Schell aliorumque scientiam Iesu Christi negantium, tria animadvertenda sunt: (1)

I.) Nemo inter theologos, prouti Loisy false asseruit, docet Christum prouti homo est, scientiam Dei nullo circumscriptam limite habuisse. Theologi Christo Deo-homini quadruplicem tribuunt scientiam; « una est divina, quae est increata. Alia qua cognoscit res in Verbo, et Verbum ipsum, quae est scientia comprehensoris. Tertia qua cognoscit res in propria natura, quae competit ei secundum quod est homo in solis naturalibus consideratur... » Quarta scientia acquisita quia Christus ut homo « praeditus erat intellectu acutissimo, complexione exquisita, sensibus ad recipiendos species aptissimis. » (2) Scientia igitur beata, infusa et acquisita Christi finitae limitataeque sunt, limitatumque obiectum possident. Obiectum enim scientiae divinae Christi sunt omnes res eo modo quo omnes res sunt obiectum scientiae Dei. Obiectum scientiae beatae Christi sunt res in divina essentia visae uti de beatis asseritur; obiectum scientiae infusae Christi sunt res in seipsis visae non secus ac de angelorum scientiae infusae obiecto docetur. Obiectum denique scientiae acquisitae Christi sunt res visae in propriis similitudinibus, uti de scientia humana acquisita affirmatur.

II.) Ad historiam pertinet facta historica, prouti in historiae documentis referuntur, examini subiicere atque circa eadem iudicium ferre. Modo in historiae documentis primitivae Ecclesiae invenimus, Iesum Christum, relictis ceteris denominationibus designari titulo « Filii Dei » vel simpliciter « Filii. » Ex. g. I *Corinth.* 1, 9: « Fidelis Deus, per quem vocati estis in societatem Filii eius Iesu Christi Domini nostri ». II *Corinth.* I, 19: « Dei enim Filius Iesus Christus, qui in vobis per nos praedicatus est ». *Galat.* IV, 4: « At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege ». *Rom.* VIII, 3: « Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati ». *Rom.* VIII, 32: « Qui etiam proprio Filio suo non pepercit ». *Rom.* V, 10: « Reconciliati sumus Deo per mortem Filii eius ». *Rom.* I, 14: « Evangelium Dei, quod ante promiserat... de Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem, qui praedestinatus est Filius Dei ». Ex quibus omnibus apparet primitivam Ecclesiam retinuisse Christum non per adoptionem, sed per naturam Filium Dei esse, atque Filiationem Christi divinam praeexistentem, prouti a S. Paulo (*Philip.* II, 5-10) affirmatur, fidei christianae articulum fuisse. Quae quidem fides quum nonnisi a realitate obiectiva oriri potuerit, sequitur statim, Christum ex historia Deum esse, ideoque ex historia concludere fas est, Christum uti Deum scientia divina infinita, nulloque circumscripta limite praeditum fuisse. (1)

III.) Si historicus ad modum quo Christus in Evangeliis quae eius historiam constituunt, loquitur attendat, mentem eiusdem in admirationem rapi necesse est. Siquidem ad hominis differentiam, Ipse, semper et ubique dum docet, pacifice atque tranquille loquitur (2), neque refutationi, neque discussioni locus datur. Cum bonae voluntatis animabus modo agit regali, suosque adversarios profunda vincit scientia, praeiudicia ac sophismata suaviter elongat omniaque adhibet, quae ad corda atque intelligentias elevanda conducunt.

Circa denique veritates ad religionem pertinentes, scientia supereminens in Christo apparet, easque Ipse cognoscit, quia, uti apud Matthaeum XI, 27 legitur: « Patrem quis novit nisi Filius? »

***

His vero quae Loisy opponit, quare nempe Iesus Christus, respectu multorum nos in ignorantia reliquerit, lepide P. Lagrange (3) respondit, Christum ad hominum salutem procurandam in mundum venisse, eaque sola revelasse, quae ut revelarentur Dei voluntas fuit, non autem venisse ad quaestionem de Pentateuchi authentia solvendam. Neque fas est, propter S. Marci XIII, 32 textum: « De die autem illo, vel hora nemo scit, neque angeli in caelo, neque Filius, nisi Pater » ignorantiam in Christo asserere. Horum siquidem verborum significatio huiusmodi est: *a)* Determinatio diei illius propria est Patris; *b)* Manifestatio etiam diei illius Patris non Filii propria est. Christus vero non manifestavit, cum cognitio diei et horae illius ad salutem non ducat. (4)

Fateamur igitur mysterium Iesu Christi, « in quo (*Colos.* II, 3) sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi ».

Friburgi Helvetiorum.

P. REGINALDUS FEI O. P.

(1) P. LAGRANGE vocat modum scribendi Loisy *outrée et déclamatoire*; et circa Loisy affirmationem ait: « *Telle qu'elle est, cette proposition ..., est inexplicable; jamais les Théologiens n'ont confondu la science humaine du Christ avec la science du Dieu* ». Cf. *Revue Biblique*, Oct. 1907, p. 546 in nota.

(2) 3. Dist. 11. 1. 1.; 3. p. 9. 4.

(1) Cf. BATIFFOL, *L'enseignement de Jésus*, VI.

(2) Ipsemet Harnack *(Das Wesen d. Christ. 2 Vorles.)* scribit: « *Er* (Christus) *hat nicht gesprochen wie ein Schwärmer und Fanatiker... Er hat seine Predigten gesprochen und in die Welt geschaut mit den frischen und hellen Augen fur das grosse und kleine Leben das ihn umgab* ».

(3) *Bulletin de Littérature ecclésiastique* I. *Jésus et la critique des Évangiles - La Méthode historique* - Appendice - *Jésus et la Critique*.

(4) « *L'ignorance dans laquelle Jésus laisse à dessein ses disciples a un but moral: parce qu'ils n'en savent ni le jour ni l'heure, ils doivent toujours veiller et prier. Jésus a voulu que tous les hommes fussent mis en face de son avènement... L'attente du jour laissé inconnu, a été le ferment qui a préservé l'humanité de se corrompre: elle a inspiré les devouements héroïques sans lesquels rien ne se fonde, maintenu l'idéal de justice auquel elle ne peut renoncer sans fléchir et sans mourir* ».

Est proprium stultitiae aliorum vitia cernere, oblivisci suorum.

CIC., *Tuscul.*, III, 30.

SACRUM PRAESEPE

CHRISTI NASCENTIS CUNABULA

Praesepe sacrum, cuius in aspero
Infans quievit Iesulus alveo!
Praesepe sacrum, fronte prona
te veneror genibusque flexis.

His ergo cunis Conditor omnium
est usus, acri stramine consitis!
dum, lapsus astris, Sospitator
limen adit pereuntis orbis.

O te probroso stigmate, Bethlehem,
dignam! grabatum quae stabularium
Regi parasti, quem decebat
purpureus nitor atque eburnus.

At Roma probrum sustulit, auream
largita Capsam, quae rude cingeret
crystallino fulgore Lignum
atque avidis radiare gemmis.

Quae surgit Aedes, sacra Deiparae,
in Esquilino colle superbior,
haec, iure raptum Bethlemitis,
nobile promeruit Trophaeum.

Huc advolasti tunc, Hieronyme,
quem Bethlehemi cara diutius
sedes beârat: sponte Cunas
aequoreum per iter secutus.

Huc, ut December vergit ad exitum,
Urbs tota longo confluit ordine,
visura rursum, saepe visa,
lignea Strata Dei Puelli.

Haec civis ardet tangere et advena,
afflicta ut olim non medicabili
matrona morbo Vestis oram
attigit, ac valuit repente. (1)

Haec et Thienes (2) Λείψανα *contigit,*
Matrisque ab ulnis in sua brachia
allexit Infantem: beatâ,
exsul adhuc, Patriâ potitus.

O ruris audi cultor et urbium!
Solemne vestris perstet in aedibus
Praesepe Christi, sive larga
seu tenuis fuerit supellex.

(1) Matth. IX, 20-22.
(2) Is est S. Caietanus Thienaeus, qui hoc prodigio recreatus est in ipsa nocte Dominici Natalis.

Cubile Pusus (1) *fictilis occupet;*
adstetque Virgo Mater et innubus
Iosephus, alatumque caeli
agmen et upilio canorus.

Cornutus hinc stet bos, et asellulus
auritus illinc; donaque regia
advecta cernas per Magorum,
quos via longa tenet, camelos.

Fac ante Cunas lucida ferveat
lampas; sed imum laetius ardeat
pectus parentum, laetiusque
mens caleat pia filiorum.

« Ut nos amavit! - quisque recogitet -
ut nos amavit maximus optimus
rerum Creator, vis amoris
quem fieri Puerum coëgit! »

Praesepe Christi! perge domesticas
ornare cellas; nec tibi frigida
succedat Arbor, (2) *quam canendo*
gens Borealis agit Decembrem.

FRANC. X. REUSS

(1) Hac voce, unde derivatur *pusillus*, usus est L. Pomponius apud Varronem.
(2) Apud gentes septentrionales, maxime apud acatholicos, mos invaluit, inter festa Christi natalitia, parvam erigendi abietem, flosculis et facellis ornatam, unde munuscula pendent pueris destinata. Tum cantari solet carmen germanicum in laudem abietis, quae non solum aestivo tempore, sed etiam hiemali vireat. Qui cantus certe frigidior est celebri hymno Alfonsiano: « *Tu scendi dalle stelle, o Re del cielo* ».

DE RE CATHOLICA APUD IAPONIOS

Multorum quondam fuit opinio, Europaearum artium inventa invecta quidem esse in Iaponiam, sed Iaponiorum ingenio recepta non esse. Quorum sententia quantum a vero aberraverit, eo declaratum est bello, quod a Iaponiis recens cum Russis gestum est. Illi enim terra marique victores nunquam exstitissent, nisi praeter milites mortem contemnentes permagnam rerum mathematicarum et technicarum cognitionem, atque itinerandi et medicandi exercitationem habuissent. Certe hac aetate ad bellum parandum tam rerum civilium scientia opus est et redituum publicorum et actorum diurnorum et artis medicae, quam bona disciplina exercitus. Praestabant tum Iaponii omnia. Quorum milites vel communes magna utebantur prudentia: instructi enim atque exercitati accesserant imbutique litteris. Neque enim delata tantum sunt in Iaponiam commoda Europaea, sed haec Iaponii studio incredibili moribus accommodaverant suis, qui non solent aliena, ut vident, ad se transferre, sed assumere quae videantur optima, haec propriis admiscere.

Saepe dicebantur Iaponii multa imitari gentium aliarum instituta, nihil autem excogitare novi nihil proprii. Nihil igitur est proprium et inauditum, quod minus quam annis quinquaginta rem publicam beneficiariam in consultoriam civitatem transmutaverunt? Quid? Iaponiorum res forenses, educandi ars, res vectoria nihil sunt magni? nihil admirabile? Quid? Quae a Iaponis in Corea, quae in Formosa, quae in Manchuria perfecta sunt, nonne admirationem omnium commovent? Et qui in Iaponia litteris operam navant, omnium doctorum consequuntur sententias, ipsi aliquando multum conferent ad explicandas litteras, ut iam contulerunt ad medicinam, ad zoologiam, ad seismologiam.

***

Sed quî factum est ut fructibus cultioris vitae perceptis, religionem Christianam, horum fructuum radicem, non acceperint? Hic alii missionariis obiiciunt parum huic parti studuisse aut certe non intellexisse populo Iaponio comprobare, quam sit religio Christiana necessaria. Contra statuunt alii a Iaponiis religionem abesse, aut eam nihili facere Iaponios.

Primum quidem non facile, sed iniucundum est in Iaponia esse missionarium, suspiciosa omnium subire iudicia. Neque enim multi illic fructus numerari possunt quum pauci quotannis ad religionem nostram perveniant. Tamen proximo saeculo viri optimi summis licet inclusi difficultatibus, fecerunt multum. Horum tam verbis quam scriptis eo res est adducta, ut Iaponia notionibus Christianis quasi perfusa sit. Populum Iaponium a religione alienum esse dicunt: hoc vero longe est aliter. Sunt etiam in Iaponia athei; admodum tamen pauci; sunt, qui quorundam Europaeorum modo in materia reponi velint omnia: horum tamen illic displicet sententia; neque tam raro convenias, imprimis adulescentulos litteris deditos, qui, quum religionem nomines, iactatis humeris subrideant: sed horum cave ne decipiaris specie. Iaponii enim interest plurimum doctum videri, virum tempori viventem. Nunc autem multi hoc sibi persuaserunt: doctiores Europaeos vel Americanos religionem dudum deposuisse; turpe esse nunc virum religiosum esse.

Sed verte modo oculos ad intimum Iaponiorum animum; videbis quam religioni adhaereant. Primum, si de artificibus quaeras et de agricolis, non modo non alieni sunt a religione, sed religiosissime sese exercent: Plena sunt oppida templorum: si quem locum noveris amoeniorem vel ad maris oram, vel in opaca valle, vel in elati montis iugo, certe illic vel templum, vel coenobium, vel sacellum invenies. Ea autem templa plerumque mundissima sunt et ornata; semper ante ea stare videas, qui deorum flagitent subsidia; non solum mulieres, sed viros, sed doctos. Tabularum votivarum tanta saepe est allata copia, ut in propriis atriis suspensae sint. Mercatores, medici, proceres, qui publice quidem religionem infitiantur, inter parietes deos orant, dis sacra parant, in minutulis quibusdam aris, quas in hortorum angulis abscondunt, diebus feralibus sacerdotes ad se vocant et cum eis sepulchra aspergunt.

Solent aliquando Iaponii poenitentes alta hieme seminudi exire in vicos, frigida perfundi aqua, non abstergi, in templorum vestibulis preces dicere. Matutinas habent preces et vespertinas, soli orienti inclinant caput, plaudunt manibus: stantes aliquamdiu admirantur solis ascensum. Haec omnia quid clamant aliud, nisi religiosos esse Iaponios? Denique tota respublica nonne theocratica est? Regem in magno honore habent. Hunc *thenshi* vocant, id est, caeli filium; hunc solis prolem esse putant; hinc populus iungitur atque roboratur, hinc petitus est Iaponiorum amor patriae invictus. « Regem esse colendum, huius praeceptis pietatem habendam esse fidemque »: hoc pueri Iaponii in omnibus scholis imbibunt, a quibus ceterum religionum quarumlibet doctrinae arcentur.

***

Veniamus nunc ad ephemerides, ad libellos, ad libros. In urbe Iocohama colliguntur tractatus, qui singulis mensibus in principibus Iaponiae ephemeridibus de religione habiti sunt. Simile institutum missionarii catholici administrant. Quos commentarios quum legimus, dubium iam nobis videri non potest, Iaponios nunc acriter de religione quaerere.

Sed tamen magna est adhuc religioni paganae vis. Sensum iam est huic parari bellum: nunc fulcra supponuntur, nunc dicunt, quae emendanda sint, quomodo pernicies declinetur ostenditur; multa etiam coenobia pagana reparantur. Sic ante paucos annos instituti cuiusdam Buddhistici rector in Galliam profectus est ut seminaria catholica viseret: qui quum revertisset, Sulpicianorum lineamenta suis alumnis praescripsit. Religio pagana nationi Iaponiae insita est, quum religio Christiana nationi adversa esse multis videatur. Utrane vincet? Hoc nescimus. Religionem Christianam ipsa fulcit veritas, errorum omnium victrix. Ingenti iam opus est studio, ingenti labore, ut tam verbis quam scriptis populo Iaponio catholicae religionis veritas et pulchritudo proponatur, et ut inveterata evellatur opinio, nationi aut cultiori vitae esse contrariam. Id tamen missionarios catholicos iuvat non mediocriter, quod Iaponii, quid in qualibet re veri sit, severe investigant. Iam nunc doctissimus quisque videt religionem Christianam longe praestare paganae: hi dudum suae religioni res nostras admiscent, ut propriam aliquam Iaponiis religionem proponant: quorum quum elusa erit industria, Christi erit victoria.

Neque igitur festinandum nunc est: spatium sit populo Iaponio ad deliberandum; sed interea fortius atque uberius rem suam declarent missionarii: ubi isti rei alicuius intelligunt necessitatem, omni studio nitantur obtinere.

(*Ad proximum numerum*). IOANNES WEIG.

PAROEMIAE SIVE ADAGIA

Frons occipitio prior.

Priscis agricolis celebratum adagium, atque ad instar aenigmatis iactatum: Frons occipitio prior. Quo significavit antiquitas, rectius geri negotium, ubi praesens ac testis adest is cuius agitur negotium. Alioquin quis ignorabat frontem priorem esse capitis partem, occipitium posteriorem? Tametsi haec amphibologia commendat nonnihil dicti gratiam, quod ab antiquitate oraculi ad instar habebatur. Exstat autem apud Catonem (*De re rustica*, cap. IV): « Si bene - inquit - aedificaveris, libentius et saepius venies, fundus melior erit, minusque peccabitur; fructi plus capies; frons occipitio prior ». Plinius item in eandem ferme sententiam (*De hist. mundi*, lib. XVIII, cap. V): « Eum tamen inquit - qui bene habitet, saepius ventitare in agrum, frontemqne domini plus prodesse, quam occipitium non mentiuntur ». Rursus eiusdem libri cap. VI: « Et ideo maiores fertilissimum in agro occultum domini esse dixerunt ». Aristoteles (*Oecon.* lib. I) videtur hanc sententiam ad Persam quempiam referre, subnectens alteram huic similem, quae a Libe quodam sit profecta, utraque vero significans domini praesentiam plurimum habere momenti ad rem bene gerendam. Item Columella putat rem malam esse frequentem fundi locationem, peiorem tamen urbanum colonum qui per familiam mavult agrum quam per se colere. Huc pertinet illud, quod refertur a Gellio, quod quum quidam corpulentus ac nitidus equum haberet macilentum ac strigosum, rogatus quid esset in causa, respondit: Mirum non debet videri, si equo suo esset habitior, quandoquidem ipse se pasceret, equum curaret servus. – Plutarchus in commentario *De liberis educandis* habet: « Hinc et illud eleganter dictum ab equisone, nihil perinde saginare equum ut regis oculum ». Eodem pertinet, quod perquam venuste dixit T. Livius, non satis feliciter solere procedere, quae oculis agas alienis. Innuit tale quiddam et Terentius in *Eun.*, quum ait: « Ita, ut fit, domini ubi absunt », significans absentibus heris ministros omnia facere indiligentius et peccare licentius: nempe haec omnia eo tendunt, ut quisque suum negotium praesens curet, neque magnopere fidat alienae industriae.

A capite ad calcem.

Quum rem totam significamus, a capite ad calcem dicimus. Cuius adagii triplex potest esse usus; aut enim ad corpus refertur, aut ad animum, aut ad res; qui duo posteriores sensus plus obtinent venustatis, nimirum quo plus habent figurae. Ad corpus, adhibuit Homerus in *Iliade*, Theocritus in *Bucolico*, Plautus in *Epidico*, ipseque Horatius. M. Tullius *pro Roscio* comoedo: « Nonne - inquit - ipsum caput et supercilia illa penitus abrasa, olere malitiam, clamitare calliditatem videntur? Nonne ab imis unguibus usque ad verticem summum, si coniecturam adfert hominibus tacita corporis figura, ex fraude, fallaciis, mendaciis, totus conflare videtur? »

Ad res, Aristophanes in *Pluto*: « Ergo audi, quando totum ego negotium a pedibus usque ad caput tibi percenseo ». Quamquam hic comicus ioci causa praepostere posuit pedes et caput.

Ad animum hoc pacto poterit transferri: Ego tibi mores et ingenium illius, breviter, hominem quantus est a summo, ut aiunt, capillo ad imum usque calcaneum depingam. — Quamquam exemplum M. Tullii, quod modo retulimus, magis ad animum quam ad corpus videtur pertinere. Quin etiam dividitur adagium, quum caput negotii vocamus praecipuum auctorem, perinde ut et fortem dicimus.

In trivio esse.

In trivio esse (scil. consilii) de iis dicimus qui dubitant quique incerti sunt animi, haesitantes quid potissimum eligant. — Translatum ab illis qui faciunt iter, et si quando trivium occurrerit, addubitant quam viam ingredi oporteat. Nam viam pro ratione consilii frequenter apud Graecos auctores reperies. Ita e. g. apud Euripidem (in *Hecuba*) et Teognidem. Adludit huc et Plato (*De legibus*, VII) vetans ne si qua res admiranda atque inusitata occurrerit, protinus ad eam amplectendam accurramus, sed perinde quasi ad trivium aliquod venerimus, ignari viae consistamus, neque ante pergamus, quam pervestigatum sit quo quaeque ducat via.

Cum larvis luctari.

Cum larvis luctari ii dicuntur, qui vita defunctos insectantur maledictis. Ita apud Aristophanem (cit. a Suida) et apud Lucianum in *Sectis*. Sentit vero de mortuis et absentibus. Meminit huius Plinius in praefatione *Hist. mundi*, ad hunc modum: « Nec Plancus illepide, qui quum diceretur Asinius Pollio orationes in eum parare, quae ab ipso aut liberis post mortem Planci ederentur, ne respondere posset: Cum mortuis nonnisi larvas luctari. Quo dicto sic repercussit illos, ut apud eruditos nihil impudentius videretur ». — Asistoteles (in *Rhetor.*) ci-

tat Platonem ex Politia, qui scripserit eos, qui mortuos adlatrarent, videri similes catellis, qui lapides iactos morderent; ipsos, qui laesissent, non attingerent.

Mature senex.

« Mature fias senex, si diu velis esse senex ». Latinorum proverbium est, quo monemur, ut integra adhuc aetate a laboribus iuvenilibus desistamus, ac valetudinis curam agere incipiamus, si vivaci ac diuturna senecta esse velimus. Nam senectutis sors, otium et quies. — Usurpatur a Catone maiore apud Ciceronem: « Neque enim - inquit - unquam assensus sum veteri illi laudatoque proverbio, quod monet mature fieri senem, si diu senex esse velis ». Hoc quamquam Catoni non probatur, homini duro, quique sibi nec extrema senecta remittendis laboribus indulserit, tamen audiendum nobis, maxime si de vitiis iuventae sentias; quae nisi quis mature reliquerit, aut nunquam ad senectam perveniet, aut brevem habiturus est senectam.

FORFEX.

QUAESTIONES PHILOLOGICAE

Forma grammatica actionis praeteritae perfectae linguarum recentium cum latina comparata.

Quaestiones eiusmodi, ut ea quam pertractare hodie aggredimur, ideo etiam mihi, quae solvantur, dignae videntur, quod linguas, quae ediscuntur, memoriae discentium facilius et firmius imprimere possunt. Quis enim dubitat, quin res ratione perscrutatae animo facilius et firmius adhaereant, quam quae nonnisi memoriae inculcantur? Id evidentissime doctrinae mathematicae studio probatur, in quo memoriae opera paene ad nihilum redigitur. Quin etiam hoc est animadvertendum, perceptione rationali quamcumque doctrinam et scientiam discentibus non solum utiliorem sed iucundiorem quoque reddi.

Quis autem ignorat, quantopere studiorum utilitas iucunditatis auxilio, augeatur? Quae iucunditas utilitatem augens inter alia summopere ibi emergere potest, ubi praeter linguas recentes etiam latina discipuli imbuuntur. Cur igitur lingua latina non ferat opem, quam reapse potest, studiis linguarum, quae ei, quasi fonti varia proprietate sunt obligatae? Qua de causa de una istiusmodi proprietate maxime perspicua nunc edissere statui. Proprietas autem haec attinet ad formam verbalem, qua « actio praeterita perfecta » in multis linguis recentibus terminatur. Aspiciamus exempli gratia formam illam compositam linguae germanicae *Ich habe geschrieben*, aut francogallicam *j'ai écrit*, ubi lingua latina forma simplici *scripsi* rem absolvit; quam formam simplicem etiam in linguis slavicis reperimus, ut Polonorum *napisatem* aut Russorum *(ja) napisat*.

Unde igitur haec varietas emanavit? quaenam varietatis est causa? quo modo factum est, ut in una lingua forma simplex idem significet, quod forma composita in altera?

Quanta laus hinc immortalis, quanta potentia invicta, quam exculta abundantia morphologica linguae latinae in hac re conspici potest! Satis enim est formas illas compositas ad verbum in linguam latinam vertere, ut praestantiam eius intelligamus. Quid enim accipiemus? *J'ai écrit* et *ich habe geschrieben* utrumque sonat latinum *habeo scriptum* (*am-um*). Quis autem linguae latinae perfectius gnarus ignorat Romanos actionem praeteritam perfectam, non solum verbi forma simplici, sed etiam composita exprimere consuesse? Nonne idem est Ciceronis « iam rem *compertam habeo* » atque « iam rem *comperi* »? Nonne idem etiam hodie discipulus polonus dicere vult, quum gavisus exclamat: *Ha! nareszcie juz zadanie « mam napisane »* (Eia! tandem iam pensum *scriptum habeo*), quam si exsclamaret: *Ha! nareszcie juz zadanie « napisatem »* (Eia! tandem iam pensum *scripsi*); id quod Germanus aut Gallus una tantum forma composita exprimere potest: *ei! endlich « habe » ich schon meine arbeit « geschrieben »; voilà enfin « j'ai écrit » mon thème.*

Romana igitur lingua et eae, quae, ut polona, eam plenius adamarunt et, quum ad instar eius verbales formas suas elaborarent, imitatae sunt, utraque forma « perfecta », cum simplici, tum composita utuntur; qua re, ut ipsa magistra earum lingua latina, ditiores et non solum logica sed etiam grammatica ex parte perfectiores sunt, quam eae, quae illam solum compositam, logicam quidem, sed non satis stricte accommodatam formam elaborarunt et adhibent, nam *geschrieben* et *écrit*, quamquam sunt « participia », cum genere et numero grammatico substantivi obiectivi non congruunt; participium autem eius formae compositae in lingua latina atque iis, quae eam fide sunt secutae, declinabile est (habeo iam librum script*um*, — epistolam script*am*, — opus script*um*, = mam iuz Ksiaze, napisa*na*, — list napisa*ny*, — dzieto napisa*ne*).

Iis, quae dixi, satis mihi lucide demonstrasse videor, unde formarum verbalium, quae ad « actionem praeteritam perfectam » exprimendam in lingua latina et recentibus adhibentur, varietas emanaverit et quae sit accommodandi eas formas diversitas grammatica.

Varsaviae Polonorum.

IOSEPHUS WABNER.

Proba merx facile emptorem reperit, tametsi in abstruso sita est.

PLAUT. in *Poen.*

S. PETRI PRIMATUS ET PRAEROGATIVAE

EX ARCHAEOLOGIAE TESTIMONIIS

(Cfr. an. XII, num. XI)

IV.

Petrus a fidelibus adorandus.

Ne cui mirum videatur nos de Petro a fidelibus « adorando » loqui; sensu enim verbum « adorari » eodem volumus intelligi quo, apud Orientales, reges ac proceres venerabantur subditi, et quo saepe in ipsa Scriptura sacra usurpatum invenitur.

Plus semel ab antiquitatis Christianae peritis notatum est, tum viros qui ad prodigiosum e rupe a Petro percussa scaturientem fontem sitim expleturi veniunt, tum eos qui Petrum ipsum deprehendunt et ad carcerem vel martyrium rapiunt, eodem esse modo vestitos; tunicam nempe succinctam, bracas, caligas et chlamydem gerere, atque saepe pileum; raro vero ensem vel baculum. Milites igitur esse videntur tam illi qui apostolum vexant, quam qui eius beneficio ac miraculo fruuntur, idque certissimum eo patet quod, in sarcophagorum anaglyptis et in nonnullis aliis monumentis, milites qui Christum abducunt, vestimentum simile plerumque gestent (1). Item et qui in quodam arcus Constantini, Romae iuxta amphitheatrum Flavium, anaglypto, triumphalem sequuntur pompam, armis insignibusque, non secus ac ceteri Romani milites, muniti sunt. Hos haud immerito milites legionis Palestinensis egregius A. Monaco (2) vocavit, atque ideo prorsus differunt a Iudaeis mare Rubrum transeuntibus aut aliis Mosaicis miraculis adstantibus, prout in ipsis, sive marmoreis, sive ligneis anaglyptis, repraesentantur. In his enim Iudaei nunquam chlamydem, sed plerumque paenulam portant, quae apud Romanos vestis erat viatoria, aut aliud super tunica palliolum pastorum venatorumque proprium (3). Haec sane differentia, dum ex una parte novam facessit interpretari volentibus difficultatem, Moysis personam saltem omnino excludit, ac Petri personam ibi esse plane confirmat.

Porro, aliquando, ut in quodam apud Cahors sarcophago invento, et in Arelatensi altero (4), dum Petrus aquam manantem commonstrat, vir cernitur quidam ad eius pedes provolutus, eodem prorsus modo quo fideles ac defuncti ad Christi pedes venerabundi prostrati conspiciuntur. Quod autem ita provoluti iidem sint qui biberint, ac summo illo beneficio gavisi sint; id evidenter patet quodam saeculi secundi aut tertii Lateranensi sarcophago, in quo, tres ad fontes viri bibentes cernuntur, qui postea, Petri deprehensi ad pedes sunt prostrati, perinde quasi ne ille auferretur, impedire vellent, illumque adorarent. (Tab. I).

Scaena haec quamdam nuper prolatam omnino excludit sententiam qua Petrus, in aliis eiusmodi argumentis, haud quidem deprehensus a militibus, sed ab istis interrogatus ac negans se Christum cognovisse effictus esset. Verumtamen egregius Becker, cuius est haec sententia (1), haud novi quicquam protulit, sed errorem Aringhi e cineribus revocavit, qui ita hoc descripsit argumentum: « Petrus ad ignem se calefaciens a Praetorii militibus an Christum nosset interrogatus, et a quodam huius rei causa velut delicti conscius, iamiam alligandus describitur » (2).

V.

Petri cathedra et virga.

Argumenta quae supra recensita sunt aliam sibi vindicant significationem, nempe quatenus cathedrae cogitationi aliquando coniuncta sunt, scilicet ipsius Beati Petri cathedram veluti legis divinaeque doctrinae ac potestatis fontem exstare. Nota sunt S. Cypriani de Petri cathedra verba quae in eius *De unitate Ecclesiae* tractatu leguntur, nempe: « Qui cathedram Petri super quam fundata est Ecclesia deserit, in Ecclesia se esse confidit? »; et in eius quinquagesima quinta epistula: « ... ad Petri cathedram atque ad ecclesiam principalem unde unitas sacerdotalis exorta est ».



Tab. I.

Quaedam saeculi quarti metrica inscriptio ad baptisterium basilicae Vaticanae adposita hunc versum ferebat:

VNA PETRI SEDES VNVM VERVMQVE LAVACRVM.

Iam supra animadvertimus, vel in coemeteriis ubi rite creditur Petrus ministerio apostolico functus, sedis ac fontis memorias exstitisse. Haud aliter Patres loquuntur, licet fontis cogitatio non semper eodem intelligatur sensu. Sic Optatus Milevitanus: « Fontem,

(1) Garrucci, V, 322 n. 2; 316 n. 1.
(2) *N. Bullettino di arch. crist.*, 1907, pp. 55-61.
(3) Garrucci, V, 308, n. 1-5; 309, n. 1-4; 366 n. 2.
(4) Garrucci, V. 380, n. 2-3.

(1) Erich Becker doct. phil., *Das Quellwunder des Moses in der altchristlichen Kunst*. Strassburg, Hertz, ed. 1909.
(2) Aringhi, *Roma subterranea*, t. posterior, p. 398. — Becker sententiam apte clarissimus Marucchi refutavit. (Cfr. *N. Bullettino di arch. crist.*, *1910*, p.p. 182-183).

- ait, - unam esse de dotibus, unde haeretici non possunt vel ipsi bibere vel alios potare, quia soli sigillum integrum, id est symbolum catholicum non habentes, fontem verum aperire non possunt »; de fonte autem ac simul de aliis dotibus concludit: « Ea esse in Ecclesia *per cathedram Petri quae nostra est* (1) ». Et Innocentius I, ad Africanos episcopos scribens, cathedram Petri « *natalem fontem* vocat, *unde aquae cunctae procedunt, et per diversas totius mundi regiones puri latices capitis incorrupti manant* (2) ». Quae quidem verba cuiusdam videntur vitrei monumenti commentarium, in quo rupi, iam percussae ac fontem mananti, cathedra applicata est. (Tab. II) Nec inutile animadvertere videtur, in sarcophagorum anaglyptis, quae ceteris generatim anaglyptis antiquiora sunt, praeter Christum et apostolorum collegium, Heroden ac Nabuchodonosor, ut reges, Caipham, Pilatum, Danielem, ut iudices, Mariam ut Salvatoris matrem, Petrum ita solummodo sedentem in throno seu cathedra exhiberi, dum Christus ei pedes lavaturus adest. (Tab. III).



Tab. II.

Sed et virgae cogitatio his argumentis natura coniuncta est, quum, non solum dum, Moysis instar, petram percutit, virga praeditus est Petrus; verum etiam dum a Iudaeis deprehenditur et (quod prorsus incredibile videtur) dum Christus triplicem ei praedicit aut improbat negationem. Tunc enim Petrus aut doloris elicit actum, dexteram ad mentum ferens (3); aut videtur, post negationem, se praedictionis recordari, indicem ad nasum aut ad mentum applicans; (4) in ipsa tamen hac apostoli infirmitate, eius apparet principis ac magistri dignitas; idque vel clarius patebit si animadversum fuerit, post hanc repraesentationem statim plerumque Petri persecutionem patientis argumentum sequi, ac denique ipsum etiam Petrum aquam e rupe exprimentem apparere (5). Profecto haec omnia Augustini quaedam in mentem revocant verba, quibus hunc

(1) Opt. Mil., *De schismate Donat.*, II, 9.

(2) *Collect. epist, rom. pont.*, ed. Constantii, p. 866.

(3) Verum quidem est semel vel Paulum in coemeterio Domitillae sedentem apparere, sed tunc simul cum Petro; at Petrus solus sine Paulo pluries sedens apparet, atque insuper in quadam pyxide eburnea, dum sedet baculum fert velut auctoritatis signum.

(4) Sunt qui hunc gestum verba illa: « Etiamsi oportuerit mori tecum non te negabo » innuere arbitrentur.

(5) Cfr. tabulam II in commentarii nostri pag. 168 superioris anni relatam.

septuagesimi septimi psalmi explicavit versiculum. «... *Qui disrupit in deserto petram, et adaquavit eos sicut in abysso multa, et eduxit aquam de petra* ». En magni doctoris commentarium: « Potest utique sitienti fidei donum Spiritus Sancti, quod illa res gesta spiritaliter significabat, infundere de spiritali sequente petra, quod est Christus, qui stabat, et clamabat: *Si quis sitit, veniat ad me, et qui biberit de aqua, quam ego dabo, flumina aquae vivae fluent de ventre eius.* Hoc enim dicebat, sicut in evangelio legitur, de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum; ad quem velut virga lignum passionis accessit ut emanaret credentibus gratia » (1).

Sed magis adhuc perspicue explicateque Petrum Moysi sanctus Doctor assimilat; neque id solummodo de rupe agens ac de virga, verum etiam de dubitatione deque triplici negatione, atque insuper in ipsa Moysis punitione eiusque in Monte dormitione, Petri lapsus et exaltationis figuram Augustinus discernit: «Video enim - dicit, - et post illam dubitationem, et post iram Dei, et post minas mortis, et post remotionem ab introductione populi in terram promissionis, multa Deum sic dicere ad Moysen, tamquam ad amicum, quomodo et antea loquebatur: usque adeo ut ipsi Iesu novae obedientiae exemplum de Moyse proponatur, et hoc eum moneat Deus ut sic ei serviat, quomodo servivit Moyses: et sic se pollicetur cum eo futurum, quomodo cum Moyse. Evidenter, carissimi, constringit nos ipse Deus, non passim deprehendere sed intelligere dubitationem Moysis. Figura petra iacens, figura virga percutiens, figura aqua fluens, figura et Moyses dubitans. Et ibi dubitavit ubi percussit. Hinc facta est dubitatio Moysis quando lignum accessit ad petram. Iam veloces praevolant (intelligentes), imo tardos patienter expectent. Dubitavit Moyses quando lignum accessit ad petram: dubitaverunt discipuli quando viderunt Dominum crucifixum.


Tab. III.

Horum figuram gerebat Moyses. *Figura erat Petri illius ter negantis. Quare Petrus dubitavit? Quia lignum petrae propinquavit. Cum mortis suae genus, id est, crucem*

(1) S. Aug., *In psalm.* LXXVII, n. XIII.

ipsam praenuntiaret Dominus, ipse Petrus expavit: « Absit a te, Domine, non erit hoc ». (MATTH., XVI, 22). Dubitas, quia petrae imminere virgam vides » (1). Ac paulo post: « Iam ergo illa dubitatio, quae nata erat ad petram, in monte moriatur. Agnoscant discipuli salutem suam, revocent spem suam. Attende quemadmodum moriatur illa dubitatio, attende quemadmodum moriatur Moyses in monte. Non intret in terram promissionis: nolumus ibi dubitationem; moriatur, ostendat nobis eam Christus mori. *Trepidavit Petrus, et negavit ter. Petra enim erat Christus. Resurrexit, mons factus est, firmavit et Petrum. Sed moritur dubitatio. Quomodo moritur? Petre amas me?* (IOANN. XXI, 15). *Cordis inspcetor, cordis cognitor interrogat; et vult audire quod ametur, et parum est semel. Interrogat hoc, audit prope cum taedio ipsius Petri: miratur enim interrogari se a praescio, sed etiam totiens interrogari, cum semel sufficeret respondere etiam nescienti.*

Sed tamquam tibi diceret Dominus: Expecto, numerus legitimus impleatur; tertio confiteatur per amorem,



Tab. IV.

quia ter negaverat per timorem. Quod ergo Dominus totiens interrogabat, dubitationem illam in monte occidebat (2).

Cathedra igitur, quae dignitatem ac potestatem significat, necnon virga, qua, praeter Christum, Moyses ac Petrus uti rectores ac duces solummodo praediti sunt, satis ostendunt quid de Petri auctoritate prisci Christiani cogitaverint: re vera enim novus Moyses, novus populi Dei dux, legislator et caput Petrus habitus est.

VI.

Petrus Legis custos ac caelorum claviger.

Ut notum est, Christus, apud Lucam (3), futuram praedixit apostolorum in communi tentationem circa fidem: « Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum: »; deinde affirmavit Petro se speciali modo orasse pro eo, ne fides eius deficeret: « Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua ». Denique subiunxit: « Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos ». Ultima haec verba priorum verborum gratia prolata sunt; nam ideo poterit Petrus fratres suos in fide confirmare, quatenus eius fides numquam deficiet. Neque fides hic solummodo intelligenda est velut propria apostoli fides, sed ut ipsius legis divinae certa atque sine errore cognitio, unde ipsa lex quasi e scrinio ubi deposita fuerit depromi pro opportunitate possit atque ad ceteros confirmandos declarari.

(1) S. AUG., *Sermones*, IV series, CCCLII, 4.

(2) S. Aug. l. c. 5.

(3) LUC., XXII, 31.

Porro, fidei hoc depositum, e quo depromere summi Pontifices dicuntur quoties aliquid *ex cathedra* seu modo infallibili pronuntiant, eloquentissime in primaevis monumentis adumbratum est; immo eo modo qui perfecte Petri personae congrueret, utpote Moysis personae assimilatae. Moyses enim legem a Domino in monte Sina accepit: Petrus, cuius Moyses figura fuit, a Christo stante in monte, vel in throno sedente, legis divinae volumen accipiet. (Tab. IV). Ne autem de natura voluminis traditi Petro dubitaretur, artifices aliquando, ipso in volumine explicato, scripserunt:

DOMINUS LEGEM DAT (1).

Ravennae autem, prima saeculi quinti parte, iussu episcopi Neonis, duae depictae sunt tabulae, quarum altera Petri ad convertendas gentes vocationem, altera Petrum, inter apostolos, legem e caelo recipientem exhibebat. His haec erat subscripta inscriptio:

Euge, Simon Petre, commissum tibi suscipe munus...
Bissenos inter fratres in principe sistis
Qui(s) fera corda domas hominum, qui(s) pectora mulces
Christicolasque doces (unum) omnes esse per orbem (2).

(1) Id praesertim in musivis operibus et in pateris fundisque cupparum reperitur. — Cf. GARRUCCI, I, p. 395. Cum vero legis traditio Paulo praesente plerumque sit adumbrata, ipsique Paulo quandoque, adstante Petro iam regno caelorum claves retinente, Christus volumen involutum porrigat, hinc sine dubio error exortus est ille, ut scilicet Petrum ac Paulum scripta de arte magica disserentia a Christo revera recepisse quiddam saeculo quarto et quinto crederent. Id quidem S. Augustinus iam ex parte notaverat, cuius verba pulchramque erroris huius refutationem praestat referri: « 15 Quid quod etiam divino iudicio sic errant quidam eorum, qui talia Christum scripsisse vel credunt vel credi volunt, ut eosdem libros ad Petrum et Paulum dicant; tamquam epistolari titulo praenotatos. Et fieri potest, ut sive inimici nominis Christi, sive qui eiusmodi execrabilibus artibus de tam glorioso nomine pondus auctoritatis dare se posse putaverunt, talia sub Christi et Apostolorum nomine scripserint: in qua fallacissima audacia sic excaecati sunt, ut etiam a pueris, qui adhuc pueriliter in gradu Lectorum Christianas litteras norunt, merito rideantur ».

« 16. Cum enim vellent tale aliquid fingere Christum scripsisse ad discipulos suos, cogitaverunt ad quos potissimum scribere potuisse facile crederetur, tamquam ad illos qui ei familiarius adhaesissent, quibus illud quasi secretum digne committeretur; et occurrit eis Petrus et Paulus, credo quod pluribus locis simul eos cum illo pictos viderent; quia merita Petri et Pauli etiam propter eundem passionis diem celebrius solemniter Roma commendat. Sic omnino errare meruerunt, qui Christum et apostolos eius non in sanctis codicibus sed in pictis parietibus quaesierunt; nec mirum si a pingentibus fingentes decepti sunt. Toto enim tempore, quo Christus in carne mortali cum suis discipulis vixit, nondum erat Paulus discipulus eius, quem post passionem suam, post resurrectionem, post adscensionem, post missum de caelo Spiritum Sanctum, post multorum Iudaeorum conversionem et mirabilem fidem, post lapidationem Stephani diaconi et martyris, cum adhuc Saulus appellaretur, et eos qui in Christum crediderant graviter persequeretur, de caelo vocavit, et suum discipulum atque apostolum fecit. (*Act.* IX, 4). Quomodo igitur potuit libros, quos antequam moreretur eum scripsisse putari volunt, ad discipulos, tamquam familiarissimos, Petrum et Paulum scribere, cum Paulus nondum fuerit discipulus eius? (S. AUG., *De consensu Evangelistarum*, lib. I, c. X) ».

(2) *Monumenta Germ. hist., Script. rer. lang. et ital.*, p. 293.

In quodam aliunde, anno praeterito, Romae, apud basilicam S. Sebastiani, invento sarcophago, Petri lapsus, necnon poenitentia et ad summum munus evectio uno simul argumento efficta sunt. Adest enim Christus, qui dexterae tres extendit digitos ad triplicem significandam apostoli negationem, sinistra vero volumen ante Petrum porrigit. Hic autem dum dextera manu se Christi praedictionis meminisse indicat, ad volumen sinistra accipiendum se parat (Tab. V). Ceterum hac



Tab. V.

eorum argumentorum coniunctione nil communius apud Patres, qui nunquam de Petri loquuntur primatu quin simul eius peccati ac poenitentiae mentionem ad fideles erudiendos faciant: « Ter negavit Petrus, princeps discipulorum », ait quidam saeculi quarti auctor anonymus; ac Scripturae verba: « Iustus sui ipsius accusator est in principio sermonis » commentans, S. Ioannes Chrysostomus inter alia haec habet: « Petrus, post gravem illam negationem, quoniam celeriter suum ipsius peccatum recordatus est flevitque amare, sic abluit illam abnegationem, ut etiam primus apostolorum fuerit » (1); et S. Augustinus: « Passionem eius, crucem

(1) S. Io. Chrys., *Adversus Iudaeos*, VIII.
(2) *Serm. ad populum*, CCXCIX, n. 7.

eius praenuntiavit ei (Petro) ipse Dominus Christus, sed iam amanti non negantl... Ergo, in illa negatione praedicta ostendit Dominus Petro Christum: *Amas me,* inquit? *Amo. Pasce oves meas* ». (2) Et ista quidem sufficiant; nam si omnia velim testimonia huiuscemodi colligere, facile integrum volumen conficiam.

Notamus denique in his repraesentationibus Petrum plerumque, perinde ac si vexillarius Dei regni esset, crucem ferentem apparere saepe margaritis exornatam, et aliquando in speciem Christi monogrammatis effictam.

Iam vero, aliud est quo Petrus insignis apud priscorum saeculorum fideles potissimum est habitus et ceteris apostolis superior. Tunc enim saepissime clavium regni caelorum collationem Petro uni factam esse commemoratur et praedicatur; proindeque omnino aë rem verberant haeretici, quum contendunt clavium potestatem Ecclesiae universae, seu et ceteris apostolis, aeque atque Petro, competere primitus reputatum fuisse: monumenta contrarium constanter exhibent, ac Petrus unus tanto privilegio tantaque potestate praeditus in his deprehenditur.

« Sed, - dixerunt quidam, - Petrus minime singulare munus accepisse est putandus, eo quod a Christo petra dictus fuerit eique claves regni caelorum sint commissae; nam respondit unus pro omnibus, qui praesentes erant, promissiones clavium accepit. »

Verum enim vero monumenta omnis generis, quae clavium traditionem referunt, plerumque Petrum solum cum Christo repraesentant, aut, ut summum, unam et alteram personam, praesertim Paulum, qui tamen praesens minime erat quando claves promissae sunt. Itaque, si artifices, qui ita sensibili ac materiali modo Christum stantem promissis adumbraverunt, aliquid velut omnibus apostolis commune claves illas esse cogitassent, aliter certe, et saltem apostolis omnibus adstantibus, rem effinxissent. Petrus, igitur, et ipse solus, clavium potestatem vulgo recepisse putabatur, neque ulla est ratio cur de hac clavium traditione aliter saltem intelligatur, quam de illa, de qua apud Isaiam legitur: « Et dabo clavem domus David super humerum eius (nempe Eliacim): et aperiet et non erit qui claudat; et claudet et non erit qui aperiat. » (1) Ceterum notum est in Apocalypsi clavium symbolo supremam Christi designari potestatem: « Haec dicit sanctus et verus qui habet clavem David ». (2)

(Continuabitur).

(1) Isa., XXII, 22.
(2) Apoc., III, 7.

P. Xyxtus Scaglia O. C. R.

Turpe est aliud loqui, aliud sentire; quanto turpius aliud scribere, aliud sentire!

Senec., *Ep.*, XXIV, 18.

Non solum fortuna coeca est, sed eos etiam efficit coecos, quos complexa est.

Cic., *De am.*, XV, 54.

EX SACRIS CONGREGATIONIBUS ROMANIS

SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE

Ex Congregatione Consistoriali.

Declarationes circa iusiurandum a Motu Proprio « Sacrorum Antistitum » (1) praescriptum.

I. Utrum qui, in praesenti, plura obtinent officia vel beneficia, unum dumtaxat iusiurandum praestare possint, an tot iuramenta emittere teneantur quot possident officia vel beneficia. — *R.* Sufficit unum iusiurandum, sed de eodem prius praestito fides exhibenda est ei, qui ius habet aliud exigendi iuramentum.

II. Coram quo Moderatores generales Ordinum aut Congregationum Religiosarum praestare debeant eiusmodi iusiurandum. — *R.* Moderatores generales, qui actu Ordini, vel Congregationi vel Instituto praesunt, coram Patribus sui Definitorii, sive Assistentibus sive Consiliariis generalibus; Moderatores autem generales, qui in posterum eligentur, coram Praeside capituli generalis.

III. An Vicarius generalis delegari possit ab Episcopo, generali modo, ad iusiurandum excipiendum. — *R.* Affirmative, postquam ipse in manibus Episcopi iusiurandum praestiterit.

IV. Utrum iuramenti formula, pluribus simul convenientibus, ab omnibus singillatim legenda sit, an vero sufficiat ut ab aliquo ex eis recitetur. — *R.* Sufficit ut, formula iuramenti ab uno recitata, a ceteris singulis, iureiurando emisso, formula ipsa subscribatur.

V. An quotannis teneantur renovare iusiurandum vicarii parochiales, confessarii et sacris concionatores, quibus facultas singulis annis prorogatur. — *R.* Negative.

VI. Utrum parochi, in locis a residentia Episcopi dissitis, teneantur emittere iuramentum coram Vicariis foraneis, an sufficiat ut ad Episcopum remittant iuris iurandi formulam ab ipsis subsignatam. — *R.* Pro hac prima vice sufficere ut memorati parochi subsignent iuramenti formulam iuxta indultum diei 25 Septembri 1910; in posterum vero parochos teneri ad iuramentum praestandum coram eo a quo beneficii possessionem obtinebunt.

VII. An novi beneficiarii debeant subscribere formulam tum professionis fidei, tum iurisiurandi. — *R.* Quoad professionem fidei, nihil innovandum; quoad iuramentum, servandam dispositionem Motus Proprii *Sacrorum Antistitum*.

(Ex decr. d. XXV mens. Octobr. MCMX).

Decretum de administratione temporali clericis vetita.

Docente Apostolo Paulo, *nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus* (II *Tim.*, II, 4), constans Ecclesiae disciplina et sacra lex haec semper est habita, ne clerici profana negotia gerenda susciperent, nisi in quibusdam peculiaribus et extraordinariis adiunctis et ex legitima venia. « Cum enim a saeculi rebus in altiorem sublati locum conspiciantur », ut habet SS. Tridentinum Concilium *Sess.* XXII, *cap. I de ref.*, oportet ut diligentissime servent inter alia quae « de saecularibus negotiis fugiendis copiose et salubriter sancita fuerunt ».

Quum vero nostris diebus quamplurima, Deo favente, in Christiana republica instituta sint operá in temporale fidelium auxilium, in primisque arcae nummariae, mensae argentariae, rurales, parsimoniales, haec quidem opera probanda sunt clero, ab eoque fovenda; non ita tamen ut ipsum a suae conditionis ac dignitatis officiis abducant, terrenis negotiationibus implicent, sollicitudinibus, studiis, periculis, quae his rebus semper inhaerent, obnoxium faciant.

Quapropter SSmus. Dominus Noster Pius PP. X, dum hortatur quidem praecipitque ut clerus in hisce institutis condendis, tuendis augendisque operam et consilium impendat, praesenti decreto prohibet omnino ne sacri ordinis viri, sive saeculares sive regulares, munia illa exercenda suscipiant retineantve suscepta, quae administrationis curas, obligationes, in se recepta pericula secumferant, qualia sunt officia praesidis, moderatoris, a secretis, arcarii, horumque similium. Statuit itaque ac decernit SSmus. Dominus Noster, ut clerici omnes quicumque in praesens his in muneribus versantur, infra quatuor menses ab hoc edito decreto, nuntium illis mittant, utque in posterum nemo e clero quodvis id genus munus suscipere atque exercere queat, nisi ante ab Apostolica Sede peculiarem ad id licentiam sit consequutus. Contrariis non obstantibus quibuslibet. (Dat. die XVIII mens. Novembr. MCMX).

(1) Cfr. *Vox Urbis*, an. XIII, n. X et seqq.

DIARIUM VATICANUM

(Mense Decembri MCMX).

Coram SSmo admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites aliosque viros, qui sui quisque muneris gratia Pontificem de more adiverunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: Excmus. vir Thun Hohenstein Princeps, Militaris Ordinis Melitensis Magister Maximus; Henricus Le Floch, Pontificii Gallici Seminarii rector, cum doctoribus et alumnis; P. Bertolotti, post mortem Praepositi Generalis Emmanuelis Sanchez, Congregationis Clericorum Regularium Scholarum Piarum rector; Augustinus Zampini ex Ord. Erem. S. Augustini, in Pontificia Domo Sacrorum praefectus nuper electus; Antonia Chigi-Albani, Urbana Princeps foemina; Robertus Fraser, Scotorum Urbani collegii rector cum suis alumnis; Thomas Kennedy, episcopus Adrianopolitanus, rector Urbani collegii Civitatum Foederatarum Americae Septentrionalis cum alumnis pariter suis; Bovhovic doctor, Illyricorum Urbani collegii rector; Philippus Crispolti marchio, qui recenti Catholicorum ex omni Italia conventui Mutini habito praefuit; Schonberg-Roth-Schonberg dynasta, eiusque uxor; Hoffmann dynasta; De Leiningen, Comes; De Bardi e regali genere Comitissa; Sacer Purpuratorum Senatus, Legati omnes exterarum nationum, Pontificiaeque Domus antistites et aulici omina in novum annum SSmo. offerentes.

Pontificiae electiones.

Nominationes episcoporum. — SSmus. D. N. Pius PP. X, decretis S. C. Consistorialis, elegit: r. p. d. Vincentium

Pisani, iam episcopum Anglonen. et Tursien., in Administratorem Apost. eiusdem dioecesis; r. p. d. Adulphum Turchi, episcopum Caiacensem, in Administratorem Apostolicum Aversanae dioecesis; r. d. Eduardum Brettoni, presbyterum archidioeceseos Florentinae, in episcopum cathedralis ecclesiae Regiensis; r. d. Maximilianum Crespo, presbyterum archidioecesis Popayanensis, in episcopum cathedralis ecclesiae Antioquiensis in republica Columbiana; r. d. Franciscum Christophorum Toro, presbyterum dioecesis Antioquiensis, in episcopum cathedralis ecclesiae de Socorro; r. p. d. Ioachimum Antonium d'Almeida, episcopum Piahumensem, in episcopum cathedralis ecclesiae Natalensis in Brasilia; r. p. d. Ioannem Bedam Cardinale, archiepiscopum titularis ecclesiae Laodicenae, in archiepiscopum ecclesiae archiepiscopalis Perusinae; r. p. d. Barnabam Piedrabuena, episcopum titularis ecclesiae Cestrensis, in episcopum cathedralis ecclesiae Catamarcensis; r. p. d. Hermannum Zschokke, canonicum metropolitanae ecclesiae Viennensis, in episcopum titularem ecclesiae Caesareae Philippi et in auxiliarem Emi. ac Revmi. Dni. Cardinalis Archiepiscopi Viennensis; r. d. Angelum Bartolomari, presbyterum archidioecesis Taurinensis, in episcopum titularis ecclesiae episcopalis Derbensis et in auxiliarem Emi. ac Rmi. Dni. Cardinalis archiepiscopi Taurinensis; r. d. Ioannem Ward, presbyterum dioecesis Leavenworthiensis, ibique rectorem ecclesiae S. Mariae Kansanopoli, in episcopum cathedralis ecclesiae Leavenworthiensis; r. p. d. Gulielmum Timotheum Cotter, episcopum titularem Clasomensem, in episcopum cathedralis ecclesiae Portusmuthensis; r. p. d. Emmanuelem Antonium Oliveira Lopes, episcopum titulalarem Tabensem et Coadiutorem cum futura successione episcopi Fortalexiensis, in episcopum cathedralis ecclesiae de Alagoas in Brasiliana Republica; r. p. d. Robertum Calai-Marioni, dioecesis Nucerinae, Vicarium Foraneum in loco vulgo *Gualdo Tadino,* in episcopum titularis ecclesiae episcopalis Hessebonensis; r. p. Augustinum Zampini, ex Ordine Eremitarum S. Augustini, provincialem Hetruriae et magistrum in suo Ordine, in episcopum titularis ecclesiae episcopalis Porphyreonensis; r. d. Emygdium Trenta, canonicum cathedralis ecclesiae Asculanae in Piceno, Cancellarium episcopalem, in episcopum cathedralis ecclesiae Larinensis; r. p. d. Ubertum Mariam Fiodo, iam Vicarium Generalem et Capitularem Civitatis Plebis et administratorem apostolicum dioecesum Cornetanae et Centumcellarum, in episcopum cathedralis ecclesiae Bovinensis; r. d. Eduardum Dionysium Kelly, presbyterum dioecesis Detroitensis, parochum civitatis vulgo *Ann Arbon,* in episcopum titularis ecclesiae episcopalis Cestrensis et in auxiliarem episcopi Detroitensis.

Transtulit r. p. d. Ioachimum Antonium d'Almeida, a cathedrali ecclesia Piahunensi ad nuper erectam dioecesim Natalensem in Brasilia.

Brevi Apostolico nominati sunt: r. p. Paulus Perini S. I., episcopus cathedralis ecclesiae Mangalorensis; r. p. Ludovicus Munsch, Congregationis a Spiritu Sancto et Immaculato Mariae Corde, episcopus titularis Magnesiensis et vicarius apostolicus de Kilima-Njaro in Africa orientali; r. p. Raphael Presutti, Ordinis Fr. Min. Cappuccinorum, episcopus titularis Anchialensis et vicarius apostolicus Arabiae; r. p. Iacobus Romanus Bilsborrow, Congregationis Anglicanae O. S. B., episcopus cathedralis ecclesiae Portus Ludovici in insula S. Mauritii; r. d. Franciscus Bonne, archiepiscopus ecclesiae cathedralis Tokiensis.

— R. p. Iosephus Brunelli, O. M. Unionis Leonianae, inter Consultores S. C. de Religiosis adnumeratur.

— Iulius Repond Pontificiae Helveticae cohortis novus chiliarcus dicitur.

ANNALES

Annus MCMX.

In Commentarii nostri fasciculis elapso nuper anno, ut ab initio consuevimus, resumere singulis mensibus tum eventus studuimus, qui in ipsis civitatibus acciderent, tum disceptationes, quae in publicis coetibus legibus ferendis agitarentur. Neque absolutum opus perfecisse unquam nobis visi sumus, aut cogitavimus; sed tantum rerum gestarum quasi recognitionem habere, eamque sine partium studio, lectorum iudicio relinquentes, quae inde sponte manarent.

Non hodie igitur, vela contrahentes, dicta repetemus; sed ad ea lectores humanissimos delegantes, nonnulla tantum deducere mens est, indeque, si liceat, aliquid de incoepto nuper anno praevidere.

***

Atqui si generalem politicam rationem ann. MCMX per orbem habitam respexerimus, id peculiari momento dignum exstitisse nobis apparet, propositum guberniis omnibus maximarum civitatum - quibus facere non potuerunt quin minores accesserint - commune, pacis omni ratione servandae. Quo quidem consilio posito, necessario fiebat ut quidquid dubii interciperetur, a rei civilis peritis illorum populorum, ad quos sive directe sive indirecte spectarent, aequo animo examinarentur, atque ea satis manifesta intentione, ut solutio inveniretur animo illi conformis, et quavis sublata acrimonia, unde nationis dignitas aliquo modo laederetur.

Huiusmodi non dubiae propensionis clarum argumentum ex eo etiam offertur, quod Hayense tribunal, - provida illa institutio, - congregari minime necesse fuerit ad gravia et necessaria iudicia emittenda, sed pro forma tantum legati nonnunquam convenerint, utque solum de minimis regulam aliquam atque normam statuerent.

***

Itaque acervi, ut ita dicam, maximarum in Europa civitatum, sive ex foedere sive ex amicitiae vinculis constituti, immutati permanserunt, pacificam actionem suam circum radiantes, ita ut populorum opinio certior fieret hanc unam fuisse et esse omnium mentem, pacem ipsam conservare.

Nec eiusmodi fides ex magnis copiis coactis perturbari credendum est; tritum est enim satisque expensum Romanum illud adagium: « Si vis pacem, para bellum ». Ita factum est ut timor quoque nunc absit contentiones oriri ex coloniis posse; quum persuasum iam cuique sit, singula imperia iam circa eas sepimentum suum definitivum prope invenisse.

***

Sic stantibus rebus, in tam tranquillo ac sereno caelo, quaeque civitas, anno qui proxime exortus est - quemque minus tristem circa rem oeconomicam futurum sperare iuvat - magis magisque ad internas necessitates, easque non leves, imo, propter aliquas sociales classes hic illic inquietas nimis, in dies difficiliores, studium et alacritatem suam convertere facilius poterit.

PUBLICI PER ORBEM COETUS
legibus ferendis

In **Anglia,** ex novis comitiis habitis, res ad statum quo ante reductae dici possunt, atque ideo antiquae difficultates, unde coetus dimissus est, minime remotae.

In **Austria,** rationibus acceptorum et expensarum in examen vocatis, administrorum collegium, praeside Biernerth, cui ante anni finem commissum inter alia erat commercii foedus cum Serbia componere, a munere abdicavit.

In **Batavia** rogatio legis de litoris defensione approbata.

In **Gallia** leges ad operariorum ab opere recessionem coercendam propositae.

In **Germania** constitutio pro Alsatiana civitate sub libertatis regimine gubernanda ceterorum statuum legatorum coetui examinanda traditur. Lex de opificum generali consilio acriter disputatur.

In **Graecia** nova comitia favorabilia Venizelos parti omnino cesserunt.

In **Hungaria** publici consilii, interveniente primum regni haerede, pro Francisco Iosepho Caesare, sessiones resumptae.

In **Italia** rogata ab administrorum collegio lex de iure suffragii innovando, cui socialistarum factio valde adversatur.

In **Serbia** commercii foedus cum Austrorum Hungarorumque imperio ratum habitum.

In **Turcarum imperio** gubernii praeses fusa oratione tum interna tum externa regni negotia exposuit.

PER ORBEM

Die I mensis Decembris MCMX atrae procellae in Gallia furiunt, novasque inundationes ferunt, Lutetiae Parisiorum praesertim, Nannete, Caesaroduni.

— d. II ad Romam novae aviationis victimae lugentur, Cammarota machinator et Castellano miles.

— d. V in castro S. Firmini prope Gallicam urbem Chantilly moritur Robertus de Chartres, Dux, Aurelianensis familiae propinquus et fautor.

— d. VI nuncium vulgatur Gallicas militias, in Africana regione Wadai, a fanatico incolarum furore petitas, earumque chiliarchum Moll strenue pugnantem obiisse.

— d. VII, Lutetiae Parisiorum, Charcot explorator expeditionem suam ad antarcticum polum publice narrat.

— d. IX tempestates et inundationes ingentia damna et humanas victimas procurant in Insubria et in Ligurum Venetorumque terris.

— d. X navalia ad Brestiam magno incendio pessumdantur.

— d. XI Beyruth ex urbe nunciant Mahumetanos ferriviam a Medina urbe ad Palaestinam interrupisse, curruumque serie Christianorum abundante potitos, trucidasse viatores.

— d. XV foederati Helvetiorum publici coetus civitatis praesidem dicunt M. Ruchet, iurisperitum.

— d. XX Farman aviator, ad Parisios, telegraphum filis expertem, ex aeroplano suo bono exitu experitur.

— d. XVI, Bolton ad Anglicam urbem, cunicularii trecenti quinquaginta duo improviso fodinae incendio misere absumuntur.

— d. XXII Caecilius Grace aviator Britannicum fretum transgredi aggressus, a via propter nebulas aberrat; neque de illo, neque de machina sua vestigium deinceps invenitur.

— d. XXIV ad Hirby-Steplen in Anglia ob vaporitraharum et curruum contra procedentium occursionem, viatores duodecim necantur; quinquaginta et ultra vulnera patiuntur.

— d. XXVIII, Lutetiae Parisiorum, Laffont et Pola aviatores, vix in aërem tracti Bruxellas petituri, in terram praecipitant statimque vita privantur.

— d. XXIX, Messanae, fortuito incendio publici diribitorii, telegraphi et telephoni tabernacula, pluresque casae ligno post terraemotum structae, comburuntur.

— d. XXX, Lutetiae Parisiorum, et aliam aviationis victimam lugent, De Caumont centurionem.

Fortuna opes auferre, non animum potest.

SEN., *Med.*, CLXXVI.

IOCI

Loquacitas molesta.

Colloqueris quoties, globulos divellis, Amuli,
Atque trahis tunicas, dilacerasque simul.
Non satis; et ventrem pulsas scapulasque pedesque
Irrorans nostrum rictus et imbre tui.
Haec essent nugae, nisi nos torrente teneres
Verborum summam de nova ad usque diem.
Sudores magis ipse loquens, si credis, Amuli,
Sub Cane quam passûm millia dena trahis.

LIBRORUM RECENSIO

Prof. Dr. Gustavus Pècsi. *Crisi degli assiomi della Fisica moderna.* — Versione italiana del Professor Filippo Trucco. — Romae edid. Desclée et Soc.

In hoc opere auctor circa tres leges a Newtonio propositas de motu et actione corporum critice inquirens, eas falsas a se demonstratas contendit; hinc totum aedificium scientificum his legibus superstructum reformandum esse docet. Ne longius sermonem protrahamus, id tantummodo notare velimus; secundam et tertiam legem Newtonianam ab auctore falso intelligi, primam vero aperto sophismate ab eo impeti. Putat enim motum seipso exhauriri et desinere, eo quod impulsus cum corpore communicatus natura sua sit finitus. Quare corpus etiam in perfecto vacuo motum tandem aliquando per seipsum quiescet. Si enim aliter res procederet, ait auctor, causa finita et impulsus finitus motum infinitum progignerent.

Sed facile respondetur, causam finitam non producere motum infinitum, seu indefinitum quoad intensitatem, sed quoad durationem tantum; iamvero minime repugnat causam finitam posse producere rem vel qualitatem indefinitae durationis, dummodo Deus per indefinitum tempus hanc rem vel qualitatem conservare velit.

R. Marcone O.S.B.

LIBRI RECENS DONO ACCEPTI

Sociorum et lectorum in mentem revocamus, libros recens editos atque ad nos missos, ut in Voce Urbis *eorum notitia detur, neque hoc ipso a nobis commendari, neque apud administratorem nostrum, nisi contra aperte declaretur, venumdari. Si quis alterum eorum sibi cupiat, petat necesse est ab editore, quem semper indicamus.*

Card. Alfonso Capecelatro. *Amore e dolore cristiano.* — Romae edid. Desclée et Soc., 1910. (Ven. lib. 1).

Id. *Il nostro dolore e la passione di Gesù Cristo.* Conferenze. — Indidem. (Ven. lib. 0,60).

Id. *Del godere e della felicità umana.* — *Il figliuol prodigo.* — Indidem. (Ven. lib. 0,60).

Mons. Nicola Rocco di Torrepadula. *Fatti e pregiudizi odierni sulla questione religiosa sociale.* Osservazioni. — Indidem. (Ven. lib. 0,50).

I. B. Francesia. *Actiones dramaticae Latinae plautinis versibus conscriptae.* — Augustae Taurinorum edid. officina libraria editrix Societatis *Buona stampa*, 1910.

P. Feyel. *Les Jeunes Filles françaises et le problème de l'education.* — Lutetiae Paris. edid. Bloud et Soc., 1910. (Ven. lib. 0,60).

F. Laudet. *La Soeur Rosalie.* — Indidem. (Ven. lib. 0,60).

M. Blondel. *La psycologie dramatique du Mystère de la Passion à Oberammergau.* — Indidem. (Ven. lib. 0,60).

AENIGMATA

I.

Sumar depoliendus, an exurendus ineptus?
In toto, legito, vertice consideo.

II.

Litibus exigitur, legi paretque severum,
A carne exoritur, viscera restituit.

F. X. B.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Doctorem IOSEPHUM FORNARI, Commentarii moderatorem (Roma, via del Governo Vecchio, 96) miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet opus, cui titulus:

Dies Christi Natali praevia

Ad exemplar carminis Bohemici C. I. Erben latine scripsit Fr. Palata.

Aenigmata an. XIII, n. X proposita his respondent:

1) **Deus superbis obstat;**
2) **Bis bina sunt quattuor.**

Ea rite soluta miserunt:

Petrus Tergestinus. — Rich. Brondel, *Brugis.* — Iac. Costa, *Dumio.* — Rich. Müller, *Berolino.* — F. Correa, *Emerita.* — Lud. Dubois, *Massilia.* — Alf. Martinez, *Badaiocio.* — Lud. Goux, *Bituricis.* — Vinc. Starace; Alex. Pintauro, *Neapoli.* — Iac. Fernandez, *Mexico.* — Clem. Fiard, *Curia Rhetorum.* — Alb. Perraud, *Lutetia Parisiorum.* — Mart. Dunne; Eug. Dolmar, *Neo Eboraco.* — F. Guerra, *Aletio.* — F. Aruori; A. Tonelli, *Mediolano.* — I. Ciolli, *Papia.* — Ant. Masia, *Tarragona.* — Alb. Catteau, *Lugduno.* — Iac. Menendez, *Madrito.* — Ant. Whiteside; Alb. Kain, *Dublino.* — Raim. Silvan, *Londino.* — Arch. Magliano, *Genua.* — F. Ortiz, *Morelia.* — Fr. Xav. Ghion, *Ostunio.* — I. Martins, *Philadelphia.* — Iac. Cordara, *Parentio.* — Nic. Lagumina, *Panormo.* — R. Richi, *Traianopoli.* — Hern. Forgeot, *Nicaea ad Varum.* — P. Prado, *Venetiis.* — F. X. M., *Drepano.* — A. Bounin, *Aureliano.* — E. Ricci, *Florentia.* — Barth. Ferraris; Ben. Savio, *Augusta Taurinorum.* — Carm. Zlinezky; Lad. Lud. Podobinski, *Cracovia.* — — Paulinus a S. Iosepho, *Barcinone.* — Frid. Horwath, *Vindobona.* — Ioan. Biava, *Bergomo.* — F. Wawer, *Marianopoli.* — Fr. Baturewicz, *Zytomiria.* — Max. Vronski, *Lobzów.* — Aug. Scribau, *Iassiis.* — Adam. Kozlowski, *Petricovia.* — Fr. Rader, *Vaals.* — Theo. T. Chave, *Chicagine.*

Sortitus est praemium:

IACOBUS COSTA,

ad quem missum est opus, cui titulus:

Aloisii Clasii Lusus pastorales.
(Latine vertit *Ioannes Battani*).

Sponsor: Ioannes Baptista Ciampi, iurisperitus

Romae — Ex officina *Societatis Editricis Romanae.*

EUPLIUS

(2

Actio dramatica a I. B. Francesia versibus senariis exarata.

DRAMATIS PERSONAE:

EUPLIUS, Diaconus.
CALVISIANUS, Urbis Catanae praetor.
VOLUSIUS, Senator, Euplii frater.
MAXIMUS, Christianus rebellis.
FELIX, Custos theatri graeci et tabernarius.
CYRUS, eius filius.
OCRIS, Servus.

Milites, Gladiatores, Populus ethnicus et christianus.

PROLOGUS (1)

Euplius sanctus, Catanensium decus,
Redit senariis ornatus versibus,
Ut olim sanguine, imperante Caesare,
Amens! qui Christum perdidisse credidit. (2)
Tunc multi indociles sacra volumina
Tradebant iudici, propter ignaviam.
Stetit sed Catanae sancta relligio
Virum per unum! Maximo qui pectore
Modo nec libros tradidit trepidulus,
Sed vitam potius quam fidem posuit!
A paucis voluit rebus historicis
Exordium facti poeta promere.
Personas ipsas refert et in medium
Verba Praetoris civitatis improbi.
Deus suis adest tunc per miracula,
Punit perversos, detegit fallacias,
Tuetur timidos, fortesque sustinet.
Quot ipsi texunt fallacias pessumi!
Per urbem dolus dum Praetoris funditur,
Tremunt christiani, strepunt, rident ethnici,
Et Euplius certe periisse creditur,
Et ipse fulgidus paret divinitus
Et omnem vertit in Praetorem tragulam.
Modis sed quibus? Vos ipsi videbitis.
Redit quam pulchre redimitus laudibus
Hic Euplius noster, novis cum meritis,
Exemplum magnae constantiae civibus,
Hisce praesertim turpibus temporibus,
Queis sunt viri similes arundini
In sylva ventis actitatae trepidis.
Venit puer nobis opportuno tempore,
Docens nos pueros vitam qui incipimus,
Et illos, proximus quibus est exitus,
Quam sit relligio tenenda firmiter!
Vacivis auribus, spectatores optimi,
Lubentes fabulam latinam sumite,
Vobisque faustae cunctae res eveniant.

(1) Erit Cyrus. — (2) In inscriptione nuper inventa legitur: *Divo Diocletiano, deleto christianorum nomine.*

ACTUS I.

SCENA I. (1)

Populus, Calvisianus et Maximus.

I. Popularis.
Diis sint actae gratiae quam maximae,
Servarunt Caesarem qui nobis incolumem!

II. Popularis.
Per omne vivat imperator saeculum!

III. Popularis.
Has obfert nobis ultro qui delicias.

IV. Popularis.
Eamus alacres, manet spectaculum!

V. Popularis.
Morari non decet nos senes neutiquam!

Mimi (*superbo incessu*)
Sumus nos Mimi!

Gladiatores (*severiore gradu*).
Gladiatores sumus...

SCENA II.

Calvisianus et Maximus.

Calvisianus (*post breve intervallum*).
Ite vos intro, mali cives, numerus,
Ut olim vates vos vocavit optime,
Modoque segetes nati consumere,
In quibus attamen nituntur Caesares.
Sed... expectamus virum, nec ipse venit...
Ferat qui civibus gratum solatium.

Maximus.
Quis est vir iste quaeris quem tam cupide?
Est ne Volusius? Princeps spectaculi?

Calvisianus.
Is est!

Maximus.
Cur ista dicis cum fastidio?
Et hoc quod magnam nobis fert laetitiam,
Cur ita cerno plenum te aegritudinis?

Calvisianus.
Vir unus est qui maxime me lancinat,
Suo qui molestat vel noctes cuspide.

Maximus.
Is? Omnes superat viros qui dulcedine?
Ni clarius dixeris, quid tibi suggeram
Quidem pol! nescio.

Calvisianus.
Dabis consilium?
Cave ne dicas nulli quid aperiam.
Erit sed aptius profanis auribus,
Loquendi causa, parum nos abducere (*introeunt in posteriorem partem*).

(*Ad proximum numerum*).

(1) Atrium qua itur ad theatrum Graecum. Dies festus agitur in memoriam Maximiani imperatoris, qui a viginti annis imperium obtinet. Ludi solemnes indicuntur et luctae gladiatorum. In extrema theatri parte, populus transit, transeunt et Mimi cum gladiatoribus. Interea ingrediuntur Calvisianus et Maximus, qui, ut ludis auspicentur, Volusium senatorem exspectant.

Ann. XIV. ROMAE, Mense Februario MCMXI Num. II.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Rerum index:

DE " ARCANI DISCIPLINA „

Quantae utilitatis sit pro Theologo, naturam, usum atque valorem « Disciplinae arcani » cognoscere, ex hisce verbis (quae tamen a nobis plene approbari nequeunt) quorumdam Protestantium scriptorum, satis apparet. Primus inter istos est D. Pfaff, qui a. 1756 scribere potuit: « Qui disciplinam arcani ignoraverit, is veteris Ecclesiae institutionem penitus ignoret necessarium est. » Secundus est D. Bingham, qui a. 1727 vocavit disciplinam arcani « novum et admirabile instrumentum ». Non parvae erit ideo utilitatis, praemissis notionibus *Disciplinae Arcani,* quae penes scriptores inveniuntur, quaestionem movere, an de facto disciplina huiusmodi in primitiva Ecclesia viguerit (1).

***

Penes Ioannem Daillé, a quo vocabulum « disciplina arcani » originem ducit, *Arcanum* methodus quaedam fuit, qua Patres « circa quaedam capita, quae hodie in controversiam vocantur, scilicet circa sacramenta Ecclesiae » usi sunt, et qua mediante « etiam in tractatibus suis, maxime in homiliis, quas ad populum habituri erant, nunquam nisi obscure de iis agebant ». Ideoque *Disciplina Arcani* res mere pedagogica fuit, inserviens nempe « ad reverentiam et vehemens desiderium sacramentorum » excitanda in catechumenorum mentibus, et nonnisi saeculis quarto et quinto adhibetur.

Disciplina Arcani, si aliis credimus, « expressio quaedam fuit, qua designatur lex primis Ecclesiae saeculis obligans fideles et clericos, ad nunquam publice loquendum coram catechumenis et infidelibus, de rebus fidei necnon de rebus cultus ».

(1) Cf. FEI *De Disciplina Arcani* - Paris, Beauchesne, Rue de Rennes 117. - BATIFFOL, *Etudes d'histoire; Vacant,* Dict. de Théol. v. *Arcane* p. 1738. - *Kirchenlexicon* v. Arcandisciplin p. 1231. FUNK *Quartalschrift,* 1903. p. 61: *Revue Biblique,* 1903 p. 315 e 116. - GRAVEL, *Die Arcandisciplin,* 1902.

Schelstrate vocat *Arcanum* « disciplinam quamdam a Christo institutam atque ab Apostolis adhibitam, cuius obiectum erant dogma de Trinitate, Eucharistia, Missa, necnon Sacramenta, et propter quam factum est, quod nos tam pauca cognoscamus de Sacramentorum numero, de Sanctorum cultu, de transubstantiatione ac de ceteris veritatibus dogmaticis ».

Pro aliis quibusdam, *Disciplina Arcani* est lex quaedam a Christo originem ducens, qua nedum paganis et catechumenis sed ipsis etiam christianis iam perfectis, nisi episcopi vel sacerdotes iudicio et auctoritate graves essent, mysteria christiana non revelabantur. Quidam, uti Teutzel, putant *Arcanum* fuisse « Disciplinam quamdam fine saeculi secundi introductam ad mysteriorum paganorum imitationem ».

Denique alii *Arcanum* definiunt: « Est disciplina quaedam qua catechumenorum dispositiones et animus formabantur ad mysteriorum divinorum notitiam gradatim suscipiendam, ita ut institutio catechumenatus disciplinae arcani originem dederit et nonnisi methodus quaedam pedagogica fuerit ».

***

Viguit ne in primitiva Ecclesia huiusmodi *Arcani disciplina?* Scriptores catholici in tres dividuntur sententias.

I. Disciplina Arcani relate ad universam theologiam de *Sacramentis* viguit. « Si Apostoli, - scribit M. Canus (1), - quibus formis sacramenta essent conficienda, quibusve ritibus administranda, aliaque id genus religionis secreta, passim vulgo tradidissent, quid esset aliud, quam adversus Christi legem sanctum dare canibus, et inter porcos spargere margaritas? Imo vero quid esset aliud, quam omnia mysteria Christianae religionis abolere? Nec enim mysterium est, quod ad popu-

(1) *De Loc. Theol. l.* III, c. III, 1. fundam. Cf. ESTIUM IV Sent. d. I., 19.

lares aures effertur ». « Disciplina Arcani, — ait P. Pesch, (1) — magnum impedimentum erat, quominus de tota re sacramentaria integros tractatus haberent SS. Patres. Postulabat enim haec disciplina, ut summa cautio adhiberetur, ne Sacramentorum doctrina infidelibus proderetur... Quare apud SS. Patres, cum de Sacramentis loquuntur, saepissime occurrunt formulae illae: « Norunt initiati ». Non audeo dicere propter « non initiatos », quae quidem formulae praecipue adhibentur de Eucharistia, non tamen de hac sola ».

II. Disciplina Arcani ad omnia Christianorum mysteria extendenda est, ita ut lex plane universalis facta fuerit. Disciplinam Arcani « viguisse nemo inficiabitur — ait P. Hurter (2), — qui vel obiter patrum inspexerit opera... Quod si... quaeras, quam late patuerit haec disciplina, respondemus, eam fuisse plane universalem. Ex hac... vero universalitate merito coniicitur, eam esse traditionis apostolicae... Summo autem rigore haec disciplina servabatur... Si vero quaeritur, de quibus potissimum arcani disciplina servaretur, respondemus, illam in primis viguisse circa sacramenta omnia, praesertim circa eucharistiam: sed etiam circa sublimiores veritates revelatas universim ».

III. Usque ad saeculum tertium nulla *Disciplina Arcani* in Ecclesia exstitit. Circa finem saeculi secundi, catechumenatus surgit, et catechumeni sunt « novitioli » quorum dispositiones probandae sunt, animus formandus, et methodus quaedam pedagogica exsurgit, qua ipsi catechumeni « incipiant divinis sermonibus aures rigare ». Haec pedagogica methodus, disciplina arcani est, quae diversitatem quamdam tum in publica praedicatione, tum in cultu publico importat, quaeque cum catechumenatu intime connexa est, et nonnisi characterem catecheticum et liturgicum praebet. Circa saeculi quinti finem, cessante catechumenatu, cessat quoque arcani disciplina (3).

Argumenta primae sententiae: I. Si Apostoli, quibus formis sacramenta essent conficienda, quibusve ritibus administranda, aliaque id genus religionis secreta passim vulgo tradidissent, quid esset aliud, quam adversus Christi legem sanctum dare canibus, et inter porcos spargere margaritas? Imo vero quid esset aliud, quam omnia mysteria Christianae religionis abolere? Nec enim mysterium est, quod ad populares aures effertur. Haec itaque prima ratio est, cur Apostoli quaedam sine scripto traderent. Nempe ne aut ab ethnicis sacra nostra irriderentur, aut vulgo etiam fidelium venirent in contemptum (4). — II. S.S. P.P. quoties de N. L. Sacramentis sermonem habent adhibent expressiones: « Norunt initiati.... Obscure de mysteriis loquimur propter non initiatos, iis vero remotis perspicue initiatos docemus... Non audemus propter non initiatos... Neque enim fas est coram non initiatis omnia detegere... Nolumus litteris respondere ne " prodere ,, videamur... Catecheses vero legendas catechumenis et aliis quibuslibet, qui Christiani non sunt, prorsus non dandas » (1).

Argumenta secundae sententiae: I. Disciplinam Arcani viguisse in re sacramentaria testantur (Patres) quoties aliqua silentio praetereunt vel ad aliqua tantum respiciunt et alludunt, vel eadem obscure tantum attingunt, adhibitis illis verbis, *norunt initiati*, quae fatente ipso Casaubono saltem quinquagies apud S. Ioannem Chrysostomum, nec multo rarius apud S. Augustinum occurrunt. Viguisse vero circa sublimiores veritates revelatas universim apparet tum quia Patres provocant ad ipsorum gentilium praxim, penes quos « mysteriis silentii fides debetur », ob oculos ponunt huius disciplinae utilitatem, tum ut mysteria a profanatione vindicentur venerandaque reddantur; tum ut catechumenorum animus ad illa discenda excitetur et audiendi cupiditas acuatur; tum ex eo, quod romani pontifices se hac lege obstrictos censuerint, ut testis est Innocentius I, qui noluit confirmationis formam literis consignare, ne magis prodere videretur, quam ad consultationem respondere...; tum ex horrore, quem concepit Iulius I quum audisset, in causa Athanasii interrogationem habitam fuisse ab Arianis de mysteriis eucharisticis praesentibus catechumenis, iudaeis et ethnicis; tum demum ex interdicto initiatis imposito, ne institutionem de mysteriis auditam aliis nondum initiatis traderent... Imo tanto rigore haec mysteria sacrosanta fideles celabant, ut vellent potius mori quam eadem prodere (2).

Argumenta tertiae sententiae: I. Quum Christiani accusarentur quasi « latebrosa et lucifugax natio, in publicum muta, in angulis garrula » de « occultis ac nocturnis sacris », de « pravae religionis » pravitate; ita ut qui veritatem christianam discere velint « eant cum mulierculis et sodalibus in conclave mulierum, aut in sutoriam officinam, aut in fulloniam », quia iuxta Celsum philosophum christianorum mos est « facere et docere clanculum »; nullus fit de Disciplinae Arcani existentia sermo, imo Origenes (3) respondet: « Falso Celsus putat sancta nos nostrae doctrinae occultare principia. Quin palam illa praedicamus ». Clemens rursus Alexandrinus (4) et Tertullianus secreta mysteria paganorum atque haeresis Valentinianae derident, ac Disciplinam Arcani apud Paganos et Valentinianos spernunt. Signum est ergo, disciplinam hanc apud Christianos primis Ecclesiae saeculis non viguisse. « Dominus, - ait - Tertullianus (5) palam edixit, sine ulla significatione alicuius tecti sacramenti. » Circa vero ipsum Eucharistiae Sacramentum idem Tertullianus (6) ait: « Non enim contra praeceptum reputamur ab Apo-

(1) *De Sacram.* T. vi, n. 91. — (2) *Theol. Dog. Comp.* t. III Sect. 3. de Sanct. Euch. myst. n. 344, n. 2. — (3) Sententia haec a Batiffol defenditur. Affirmat iste, tempore medii aevi disciplinam Arcani ignotam fuisse. Assertio haec nimis absoluta videtur. S. Thomas (3 p. q. 78, 3, ad 9) scribit « Evangelistae non intendebant tradere formas sacramentorum, quas in primitiva Ecclesia oportebat esse occultas ». — (4) Canus l. c.

(1) Cf. Citationes per integrum P. Fei *De Arcani disciplina.* (2) Cf. Hurter l. c. — (3) *C. Celsum*, I, 2; III, 55, 15. — (4) *Cohort. ad Gent.*, 2. — (5) *De Praescript.*, 26. — (6) *De Oratione*, 24.

stolis factum, qui in carcere audientibus custodiis orabant et canebant Deo, apud Paulum, qui in navi coram omnibus Eucharistiam fecit ».

II. Exstitit catechumenatus, exstiterunt catechumeni qui « novitioli » in fide christiana erant. Catechumenatus vero nonnisi methodus quaedam pedagogica fuit ad catechumenorum animos efformandos, et per quam, veritates nonnullae catechumenis, qui nondum parati erant, tacebantur, atque mysteriorum nonnullorum celebrationi assistere eis non permittebatur. *a)* Exstitit catechumenatus, quia Tertullianus (1) reprehendit haereticos, penes quos nullus est catechumenus. « In primis quis catechumenus, quis fidelis incertum est, pariter adeunt, pariter audiunt, pariter orant; etiam ethnici si supervenerint, sanctum canibus et porcis margaritas, licet non veras, iactabunt... Ante sunt perfecti catechumeni, quam edocti ». Idipsum asseritur a S. Epiphanio: (2) « Mysteria catechumenis cernentibus apud illum celebrantur... Nihil est enim apud illos nisi ludibrio ac risu dignissimum, quum vel mysteriis ipsis adstantibus catechumenis, operari non dubitent ». Catechumeni vero vocantur « novitioli » ab ipso Tertulliano: (3) « Novitiolis istis imminet, qui quum maxime incipiunt divinis sermonibus aures rigare, quique catuli infantiae adhuc recentis, nec perfectis luminibus incerta reptant; et dicunt quidem pristinis renuntiare, et poenitentiam assumunt, sed includere eam negligunt ». — *b)* Fuit methodus quaedam pedagogica, uti primo ex Tertulliani verbis apparet, secundo ex verbis Origenis (4): « Novit qui mysteriis imbutus est, et carnem et sanguinem Verbi Dei. Non ergo immoremur in his quae et scientibus nota sunt, et ignorantibus patere non possunt ». S. Athanasius etiam (5) ait: « Nec pudet eos coram catechumenis, et, quod peius est, coram ethnicis mysteria haec traducere: quum oporteat... Sacramentum regis abscondere, et ut Dominus praecepit: Nolite sancta dare canibus etc. Nefas enim est mysteria apud non initiatos traducere, ne ethnici quidem horum ignari, irrideant; catechumeni vero ad curiositatem deducti scandalizentur ». Denique S. Augustinus (6): « Ecce post sermonem fit missa catechumenis: manebunt fideles... Qui autem inter vos adhuc Catechumeni, vel Audientes vocantur, potuerunt esse quum legeretur audientes, numquid et intelligentes?... Quis contra te clausit, ut hoc nescias? Velatum est: sed si volueris, erit revelatum. Accede ad professionem, et solvisti quaestionem. Quod enim dixit Dominus Iesus, iam fideles noverunt. Tu autem Catechumenus diceris, diceris Audiens, et surdus es ».

***

Momentis sententiarum omnium hinc et inde libratis, sententiae de existentia *Disciplinae Arcani* tum quoad Sacramenta, tum quoad sublimiores veritates Ecclesiae adhaerere placet. Naturale siquidem Ecclesiae in « sua novitate » constitutae fuit, Sacramenta atque mysteria sua profanis abscondere, altumque circa eadem fidelibus silentium imponere ne (1) « Sanctum » daretur canibus et a carnalibus hominibus sacra omnia irriderentur. Cui motivo addatur praeterea, parvitas demonstrativa argumentorum tertiae sententiae, soliditas argumentorum secundae. Moveamur etiam Apostoli Pauli verbis (2): « Doctrinis variis et peregrinis nolite abduci ».

Friburgi Helvetiorum.

P. Reginaldus M. Fei O. P.

(1) *De Praescript.*, 41. — (2) *Adv. Haers.*, I, 3, 3, 4 h. 42. — (3) *De Poenitentia*, VI. — (4) *In Lev.*, h. X. 10). — (5) *Apol. c. Arianos*, 1, 11. — (6) *Serm.*, 19, 8; 132, 1.

(1) Matth., VII, 6. — (2) Hebr., XIII, 9.

SYNESII OPERA PHILOSOPHICA

Quae de Synesii illius, ethnici olim, ac deinde Christiani auctoris, hymnis aliquot ante annos in *Vocis Urbis* paginis scribentes adnotavimus (1) eiusmodi fuerunt, quae demonstrarent ipsum cum poeticae studio philosophiae ardorem coniunxisse. Et re quidem vera in ea perdiscenda maiorem vitae partem consumpsit, neque de eius amore, vel quum episcopi munere fungeretur, quidquam remisit, adeo ut, tunc temporis, sibi *philosophi sacerdotis* nomen adscribere non dubitaret (2).

Verum fallat si quis Synesium putaverit aut philosophiae magistrum egisse, aut novam composuisse disciplinam, quo sibi nomen apud posteros faceret. Id enim minime in votis habuit, atque a suo ingenio omnimo alienum erat. Philosophiam coluit solius oblectamenti causa, ab eaque summam illam vitae honestatem, iucunditatemque expetivisse videtur, quam Plato in contemplanda veritate sitam esse volebat. Quippe persuasum illi erat « vitam quae secundum mentem sit, finem esse hominis », (3) quodque in operando virtutis insit, id quadam ratione semper imperfectum esse. Hinc sapientiam omnibus nervis quaerebat, hinc omni persuasione nitebatur, ut a republica ad sapientiae studium amicos abduceret. Quod si philosopho civis esset adstipulatus, omni se negotio Synesius liberasset, nec tanta et tam praeclara fecisset, quibus de patria deque suis civibus est tam bene meritus.

***

Sed ad eius opera veniendum est, quibus, qualis philosophus exstiterit, cognoscamus. Iam in *hymnis* deprehendimus eum neo-platonicos esse subsecutum; quae enim de Deo Deique natura poetica ratione tradit, ab eorum schola proficiscuntur. Neque, meo iudicio, doctrinam aliunde quaesitam reperies, si alia Synesii

(1) Cfr. an. VI n. XXIV. — (2) *Epist.* LXII. — (3) *Epist.* CXXXVI.

opera philosophica legeris. Horum autem duo nobis occurrunt praecipuo attendenda, propterea quod ex omnibus sola sunt eo consilio a Synesio scripta ut dogmata sua exponeret, quorum unum in duos libros distinctum *Aegyptius sive de Providentia*, alterum *de Insomniis* inscribitur.

Libri *de Providentia* Aegyptiorum fabulam exhibent, Osiridis nempe et Typhonis fratrum, qui quamquam eodem satu procreati, patre videlicet Thebaeorum rege optimo, dissimilibus tamen omnino moribus praediti videbantur (1). Nam Osiris, amborum iunior, ad virtutem natura propensus erat, magnaque et eximia de se sua agendi ratione repromittebat; alter vero, aetate maior, ineptus ad omnia planeque rudis, nec, nisi ad vitia, natus censebatur. Cuius dissimilitudinis rationem eiusmodi tradit Synesius, quae proxime ad Manichaeorum placita accedat. Non eadem est, - inquit - (2) animorum corporumque cognatio. Nec enim ab iisdem in terra parentibus ortum habere, sed ex eodem fonte derivari, animorum naturae consentaneum est; quem fontem universi natura duplicem constituit: est enim lucidus unus clarissimusque, alter obscurus et tenebris obsitus. Hinc pravos emergere docet animos, pravorum daemonum ope, qui iis tamquam instrumento utantur ad res humanas perturbandas evertendasque; illinc vero boni demittuntur, ad terrenam hanc sortem administrandam, quos, si castam inviolatamque servarint naturam, eadem via refundi oportet, atque in fontem, unde orti sunt, regeri, quemadmodum qui a tenebris prodierint, illuc necessitate naturae recipi debeant.

Ita quidem fit ut virtutis aut vitii studium nulli iam liberum sit sed ad hanc illudve quisque comparatus fatali quadam necessitate nascatur. Inde etiam repetenda causa est, cur tam saepe res privatae publicaeque permisceantur; « necessarium quippe est dissidium quod cum superioribus animis inferiores insitum habent ». Cuius rei exemplum fabula haec Synesiana praebet.

Nam cum Osiris, mortuo patre, ad regiam dignitatem esset omnium suffragio evectus, regnumque sapientissime administraret, id aegre ferens Typho, de arripiendo imperio cogitare coepit, Scythisque scelerum sociis adhibitis, fratrem regno, Aegyptiosque libertate omni et felicitate spoliavit. Qui eousque processit saevitiae atque feritatis, ut in luctu omnes ubique versarentur, neque alius ex omni Aegypto quam publici planctus clamor exaudiretur. Augebatur porro in dies calamitas, nec ulla humani auxilii spes apparebat, quum barbaris militibus omnia permitterentur, iique civitate pro castris uterentur. Neque tantis malis a Deo levatio sperabatur, quum ipsa iam esset de Providentia ex animis hominum sublata sententia.

Verum, tum praesens deorum auxilium significari coeptum est quum omnino desperatae res essent. Non enim, - ait Synesius - (1) scelera vindicare, ordinemque eversum restituere prius dii parant, quam evidentior sit mutua vitii cum virtute comparatio; ut hi etiam qui mentis iudicio minus utuntur, vel sensu ipso, quid melius, quid peius sit discernere, atque illud amplecti, hoc declinare possint (2).

Quam deorum agendi rationem quomodo explicet auctor, videamus. Ponit primum divinam naturam rebus mundanis haud unquam immisceri, solaque suae pulchritudinis contemplatione occupari atque satiari. Ab illa deorum quoddam aliud genus mundo sublimius fluit, quos quidem universi contemplatio delectat, neque tamen ad eius curam demitti flective possunt, quippe qui ad contemplandum divinitatis fontem nati sunt. Hos vero alius deorum ordo subsequitur, quos inferioribus mundi ministeriis supremus Deus attribuit: quorum duplex functio est, actuosa una, quum procurandis mundanis rebus vacant, tranquilla altera, quum sese erigunt ad superioris numinis contemplationem. Quae, quum sit eorum primarium munus, praecipuamque ipsis conferat felicitatem ab ea vix possunt avocari ut mundi huius curam gerant. Neque ideo quod sibi commissum est disponere detrectant; sed statim atque id rite praestiterint, mundum sibi relinquunt, atque ad divinam pulchritudinem considerandum redeunt.

At vero, quod ab ipsis ita recte dispositum est, perverti necesse est atque corrumpi, tum quod res inferiores corruptioni per se sint obnoxiae, neque divinam motionem diutius conservent quam praestigiatorum sigilla (est a Synesio inducta similitudo) quae fidiculis cientur, et aliquo tantum tempore, eo cessante a quo impressus est motus, incitantur; tum quod daemones, inferiori naturae maxime affines, omni qua possunt virtute, ordinem perturbare, legesque a deo positas infringere nitantur.

Quod quidem illos inferiores deos cogit, ut, certis temporum intervallis, ad mundum hunc se convertant, novam incitationem, machinationum instar, auspicaturi. Hoc autem plerumque fit quum ad imperia gerenda huc transmittunt cognatas animas; « est enim divinae ac maioris Providentiae unius hominis interventu infinitorum curam suscipere ». Iis vero, quos ad id praeclarum munus destinaverint, curae esse debet, non ut deos postulent sibi perpetuo adesse, sed ut invicta virtute officium suum peragant. Deos enim rerum suarum, id est, divinae contemplationis satagere oportet; homo

(1) « *Aegyptius* » ad genus illarum (quibus hodiernae pene omnes litterae abundant) fabularum pertinet, quae sub fictae rei velamine aut res vere gestas produnt, aut doctrinam quamdam illustrant. Utrumque sibi Synesius proposuerat. Haec enim in sui operis praefatione habet: « Infinita prope modum dogmata a nemine in hunc usque diem definita, in hac fabula considerationis locum habuerunt...; praesentiumque rerum in hoc opere historia continetur ». Ad primum quod attinet, explicare maxime intendit quomodo Providentia mundum regat atque tueatur; ad secundum autem, statum Romani imperii, cuiusmodi maxime fuit in Oriente, sub Arcadio, depingit. In Osiride enim agnoscitur Aurelianus consul, vir probus atque fortis, in Typhone vero Gaïnas, Gothorum dux, a quo imperium perturbatum esse historiae referunt. Aureliano amico Synesius utebatur. — (2) Lib. 1 n. 1 et 8.

(1) Lib. 1. n. 16. — (2) Moralis iste a Synesio intentus finis, non videtur congruere doctrinae supra memoratae de duplici animorum fonte; qui enim e tenebris erumpant ad vitia ferri natura necesse est. — Ceterum in philosophicis rebus non semel Synesius a semetipso discrepat.

autem ut se erigat potiusquam deos deprimat eniti debet. Certandum ergo cuique est; deos, si non adiutores, at certo e sublimi spectatores habet; a quibus obtundendis desinendum, quod quisque, si velit, propriis sese operibus servare possit.

Quod si denique (neque enim minimis quibusque peccatis Deus impellitur) concentus ille dissolvatur, qui ab ipsis fuerat temperatus, veniunt iterum ut eumdem intendant et quasi expirantem suscitent. Interea viribus sibi datis utatur homo, quibus, quod sibi praestandum est, possit efficere. « Non enim perinde est Providentia ut editi nuper infantis mater, quae in omnibus iis quae aut advolant, aut quocumque modo molesta sunt, repellendis quum negotio occupatur, quod ille adhuc imperfectus est, et propriis auxiliis destitutus, sed ei similis est quae adulto iam et armis instructo puero, uti iam illis atque ei imminentia mala propulsare iubet ».

Hunc ergo in modum qua ratione Deus res humanas curat explicat Synesius (1). Hanc doctrinam omnibus scitu dignissimam putat, hanc ut assidue meditentur monet. Verum sat cuique legenti patet, quam multa in ea exponenda peccet, quamque parum concordet christianae doctrinae. Neque enim fingi potest nihil agens Deus, neque divina providentia tunc solum, quod in fabulis recte praecipitur, mundo interesse putanda est, quum sit tali *dignus vindice nodus*. Neque magis daemones illos inducere licet, qui fatali necessitate ordinem corrumpant evertantque. Leges quippe naturae constantes esse volumus, neque nisi ab ipso aut volente aut permittente Deo perturbari posse. Quid praeterea? Quod homo, medios inter hostes, propriis viribus uti iubeatur, quin ad divinam opem ne deos deprimat, confugiat, id Providentiae notioni aperte repugnat. Equidem desides nos aut inertes esse non oportet; verum nulli existimandum est se sua virtute sola, quidquid boni sit, esse effecturum. Haec est vera philosophia, quae hominem ita componit ut Deum supremum rerum moderatorem credat, ab eoque solo eius quod exsequi nititur exitum felicem speret.

Quam quidem, quia nondum attigerat Synesius, nemo mirabitur eum in errorem incidisse. Platonis et Procli commenta sectatur, quibus fortasse quaedam de suo penu addidit. Platonem quippe scimus (ex *Symposio*) docuisse Deum homini non misceri, sed omne commercium terram inter et coelos per intermedios deos, quos daemones bonos appellat, instituit. Proclus vero, teste Suida, non modo Platonis ceterorumque profanorum philosophorum, verum etiam B. Dyonisii Areop. theorematis usus est, et interdum nudis eius verbis. Hinc elucet cur nonnunquam eum Christianis Synesius sentire videatur. Verum quod nondum fontem verae sapientiae attigerit quum sua philosophica scripsit opera, magis magisque ex iis patebit, quae alias hisce notis, si licuerit, addemus.

I. Lemette.

(1) Lib. I, n. 9-12.

CYCLOPEA

Sic faber ferrarius sedens iuxta incudem, et considerans opus ferri: vapor ignis uret carnes eius, et in calore fornacis concertatur: vox mallei innovat aures eius, et contra similitudinem vasis oculus eius.

(Eccles. XXXVIII, 29 et seqq.).

« Per rabidum Cyclopum
Sanguinem, fluxus utinam degeneres rigescant!
Heus, puer, heus! quousque
Dormiet vectis? tua quae segnities? vicissim
Duc piceam catenam
Tractibus. Quid si furias vi tubus has resolvat,
Viscera queis obesa
Follium immiti resonant in fremitu? aemulare
Atra Jovis sodales
Cudere Aetnaeis solitos fulmina in officinis
Ac Phrygis arma, stirpis
Unde Romanae vigor ac gloria sempiterna...
Filius esto Brontis!... »
Malleum stringens validum sic faber: interimque
Praecipites caminum
Irruunt aurae e caveis; congrediuntur igne,
Qui furit atque saeva
Volvitur flamma, rubeis dentibus apprehensum
Dum peredit metallum.
Ignibus forceps trucior, non secus ac molossus
Ventris adactus aestu
Osseum fragmen retinet, dilaniatque morsu,
Prensat adunca ferrum,
Victimam incudis miseram... « Tardipedis per artus,
O puer, es Pyracmon,
Flamen exhalas Erebi!... » Eiage! malleique
Pergravibus resultent
Ictibus; ducta in numerum brachia ferrum ad aptas
Molle trahant figuras.
Vomeres educ biiugo rus bove mox ferendos,
Aspera rastra glebis;
Duruit quae agris, manui tradito, malleator,
Marte potentiora
Arma, thesauros larium et laetitiam, ligones...
Frigidus ast metallum
Occupat quassum tremor... « Heus! vel sopor inter ictus,
Dum gemit officina,
Te, puer, captat? Steropis per iecur! adde flammas
Mulcibero tepenti,
Qui utre ventoso crepitet fervidus... » En rubescunt,

Exiliunt metalli
Igneae squamae. Modo quid? candida nonne fidos
Pectoris urna amores
Servat? et pactae fidei munera capsa ferri.
Ergo feri reducant
Mallei in lamnas solido frusta subacta pulsu,
Compede quas acutus
Clavus innectat cubicas, firmet honesta clavis.
Virginis hic latebit
Gaza dotalis: rutilum cum viriis monile,
Annulus ac inaures,
Gemmeum sertum, capitis pulcher apex, eburna
Fibula... cordis ardor!
Vel stupet dictis, premitur frigore massa... « Eia,
Follibus adde vires,
O puer... » Nam Mars agitat sanguineo haud levanda
Flumine in execrandum
Corda certamen. Jaculis nunc opus est, iubisque,
Et clypeis, et hastis;
Ensis aptetur lateri, sicaque vafra dextris.
« Adde, puer... sed absit!
Ah! genu obtestor posito per patriam, per aras,
Ora per alma prolis,
Antequam incude hac placidi malleus hicce fabri
Vertat in arma ferrum,
Brachia actutum rigeant, obruat unda flammas! »

Romae.

THOMAS VIGNAS, Sch. P.

Litterae cl. v. Marci Galdi de accepto numismate ad eum a " Voce Urbis „ praemio misso.

Marcus Galdi viro clarissimo Iosepho Fornari, Comm. « Vox Urbis » Moderatori, s. p. d.

Accepi numisma argenteum, venuste cusum affabreque caelatum, quod Iudicum collegium qualibuscumque meis scriptis, superiore anno in « Voce Urbis » vulgatis, pro sua benignitate addicere voluit, et quamplurimas tibi ob hoc acceptissimum munus ex animo gratias persolvo.

Cuius dum apocham conscribere festino, libenter occasionem arripio bene tuo Commentario precandi, ut, te impigro peritissimoque Moderatore, cotidiano incremento augeatur humaniorumque litterarum ac religionis causam omni ope defendat. Vale.

Cavae Tyrrhenorum, a. d. VIII Kal. Febr. MCMXI.

S. PETRI PRIMATUS ET PRAEROGATIVAE

EX ARCHAEOLOGIAE TESTIMONIIS

(Cfr. sum. sup.)

VII.

Petri cum Christo similitudo.

Christi potestas tam clare Petro collata effecit, ut artifices, aut potius illi qui sarcophagos insculpendos artificibus locabant, sedulo quidquid aliquam Petri cum Salvatore similitudinem contineret, in anaglyptis significarent. Sic duo sunt apud anaglypta qui mortuos ad vitam revocent, Christus scilicet ac Petrus: Christus quam saepissime, Petrus vero pluries, et iuxta illa quae de Tabitha vidua in evangelio leguntur. Miracula etiam quaedam Petrus patrans effingitur, ut cum Anania ab eius conspectu mortuus abducitur, ac iuxta apocrypham quamdam fabellam, cani loquelam impertit; semel insuper ambulans super fluctibus Christo obviam veniens apparet. Sicut Christus, Petrus potestatis virgam habet, in throno sedet, sicut Christus a militibus deprehenditur, in carcerem detruditur, ad crucem damnatur. Petri aliquando in anaglyptis historia contexta est, ita ut *Petrinos* quosdam sarcophagos libenter dixerim. Sic in quodam Firmano sarcophago ita quae ad Petrum spectant argumenta sunt distributa: (1)

Mulieres mortem Tabithae ante Petrum plorantes.	Tabithae resurrectio.	Cain et Abel Deo munera offerentes.	Milites Petrum custodientes.	Petrus ab angelo e carcere eductus.

In alio Arelatensi sarcophago: (2)

Petrus Christum negans.	Petrus ab Herodis satellitibus deprehensus.	Petrus praedicans.	Petrus a Neronis militibus ad supplicium ductus.	Petrus claves a Domino recipiens.

Et in alio Romano sarcophago, apud museum Lateranense asservato: (3)

Petrus in cathedra sedens, dum Christus ei pedes loturus adest.	Petrus ad crucis supplicium ductus.	Christus legem dans Petro.	Christus ad Pilatum ductus.	Pilatus manus suas lavans.

Nec raro fit ut in uno eodemque sarcophago Christi ac Petri commemoratio aliquatenus unice fiat. Exempli gratia, in Romano quodam sarcophago, apud cryptas Vaticanas invento, ita historiae distribuuntur: (4)

Christus caecum sanans.	Christus mulierem fluxu sanguinis laborantem sanans, adstante Petro.	Christus legem Petro committens coram Paulo.	Christus triplicem negationem Petro praedicens.	Christus claves Petro committens.

In alio sarcophago, nuper apud S. S. Marci et Marcelliani coemeterium detecto, Christi miracula semper adstante Petro patrata exhibentur; unde non est ibi historia in qua Petrus desit.

Erit fortasse qui obiiciat eiusmodi tam crebram Petri memoriam Romae solummodo conspici. Id autem veri-

1) GARRUCCI, V, 310 n. 2.
(2) GARRUCCI, V, 340 n. 5.
(3) GARRUCCI, V, 335 n. 3.
(4) GARRUCCI, V, 330 n. 5.

tati haud consentaneum; nam Petrus, exempli gratia, ad vitam viduam Tabitham revocans in Gallia saepius quam Romae cernitur; ceterum, ut res perspicua omnibus evadat, en, iuxta iam laudatum Garrucci opus, Petri historiarum prospectus *topologicus*, seu tabella qua urbes nominantur, in quarum museis monumenta, de quibus egimus, inveniuntur.

PETRUS TABITHAM RESUSCITANS:

Romae — Firmi *(Fermo)* — Arelate *(Arles)* — Cabillone *(Châlon sur Saône)*.

PETRUS CUM BACULO CORAM CHRISTO EI NEGATIONEM TRIPLICEM PRAEDICENTE:

Romae — In Civitate Castellana — Syracusis — Arelate — Parisiis — Narbonae — Massiliae — Lugduni — Madriti — Caesaraugustae *(Saragozza)* — Geronae.

PETRUS LEGEM ET CLAVES A DOMINO RECIPIENS:

Romae — Veronae — Ravennae — Anconae — Mediolani — Arelate — Remis *(Reims)* — Aquis *(Aix)* — Massiliae.

PETRUS A MILITIBUS DEPREHENSUS.

Romae — Pisis — Mediolani — Firmi — Arelate — Narbonae — Cadurci *(Cahors)* — Claro-Monte *(Clermond-Ferrand)* — Geronae — Barcinone *(Barcellona)* — Asturicae *(Astorga)* — Caesaraugustae.

PETRUS-MOYSES.

Romae — Pisis — Mediolani — Arelate — Avenione — — Narbonae — Massiliae — Madriti — Asturicae — Geronae — Caesaraugustae.

Quae autem post editum Garrucci opus in lucem prodierunt tum in Occidente tum in Oriente monumenta, haec quae hucusque demonstravimus mirum in modum confirmant; quam circa rem plane notandum venit, S. Hippolyti statua excepta, praeter Boni Pastoris, seu Christi, ac Mariae Virginis Deiparae, Petri solummodo statuas, saeculo quidem sexto vetustiores, ad nos usque pervenisse.

* * *

Porro, brevissimam simplicissimamque quidem, sed eloquentissimam, ni fallor, conclusionem eruere licet atque iuvat: — I. Petrum, sicut in Scriptura, ita in monumentis primum inter omnes apostolos designari, ac longe crebrius quam illi repraesentari; eius autem praerogativas evidenter significari, immo sensibili omnino modo clavium potestatem, et non solum promissam, sed datam adumbrari; — II. Petrum Christo apud monumenta circa persecutiones ac supplicium conferri; Petro legem a Domino veluti fidei arcae, concredi, eumque, sicut Christum, fideles adoratione quadam prosequi; — III. Tandem Petrum, uti Christum, gloriosae crucis baiulum apparere, sicque revera, perinde ac Dracontius cecinit, *crucis almae signiferum*, aliusque auctor *novi signiferum Testamenti*, seu ducem eum habitum fuisse (1).

(Finis) P. XYXTUS SCAGLIA O. C. R.

(1) DRACONTIUS, *Carm. de Deo*, III, 218; *Auct. de vera circumcis. int. opp.* S. Hieronymi, 17.

DE RE CATHOLICA APUD IAPONIOS

(Cfr. num. sup.)

Utram Iaponii potius sequentur ecclesiam? Catholicamne an « Protestanticam »? Hoc quidem ex eo iudicandum est utra plus navet operam, utri plures atque meliores in tempore adsint indigenarum operae. Si tamen res spectetur, ut nunc est, « Protestantum » sunt emolumenta maiora. Hi enim, imprimis qui ex America venerunt, iamdudum viderunt, quam sit necesse ad Iaponios ferre evangelium, qui non hoc summi faciunt, ut singulos suae iungant sectae, sed ut potius oculos omnium ad rem Christianam convertant. Quod ut assequantur, sacros libros dilargiuntur, de religione tractatus edunt, prelum sustentant, scholas condunt et orphanotrophia, sermones habent in suis itineribus ad populum. Ita iam nunc magnum confecerunt numerum catechistarum et praedicatorum, a quibus multum adiuvantur omnibus partibus. Neque vero hoc mirandum est; magnam enim pecuniae vim repetunt ab iis, qui eandem in patria doctrinam sequuntur.

Atque etiam missionarii catholici, quantum per humanas vires licuit, perfecerunt. Incredibilis fuit laboris eos fructus facere, qui iam nunc sunt. Qui si neque prelo, neque scholis, neque catechistis assecuti sunt, quantum protestantes obtinent, hoc inauditis pecuniae angustiis tribuito. Quam est acerbum, mihi crede, summam semper sustinere inopiam, non habere quae ad vitae cultum necessaria sunt, et tamen audire voces generis huius: « Tempora non intelligitis, immo impares estis muneri »! Quod si in hoc tam gravi tempore, quum pagani et protestantes et catholici inter se viribus omnibus et nervis contendunt, si res catholica victrix debeat evadere, Europaei catholici, Protestantes Americanos imitantes, multo maioribus et crebrioribus subsidiis sustentent necesse est. Et ad hos quidem annos missio Iaponia propterea fortasse in reliquis Europae partibus minus fuerit cognita, quod Gallicorum missionariorum ea regio fuit propria: sed iam triennio etiam Germanici religionem illic diffundunt, ut sancti Francisci filii, ut sancti Ignatii, ut sacerdotes Steylenses, quibus hoc est maxime propositum, fidem Christianam ad gentes exteras deferre.

* * *

Diximus supra e re esse catholica, quod Iaponii, priusquam assentiantur, omnia ipsi examinent et postremo, quae vera esse viderint, amplectantur. Placet populo Iaponio firma catholicorum coniunctio, in qua non sint centenarum sectarum sententiae probandae, placet religionis nostrae cultus, placet vel maxime, quod ab omnibus capiti uni tanta deferatur auctoritas. In ea enim instituta publica magis innituntur apud Iaponios quam apud Europaeos.

Sunt tamen etiam, cur Iaponiis nostra religio minus videatur expetenda. Offendit eos nationum catholicarum ruina regnorum protestanticorum gloria obcaecatos, offendunt convitia atque calumnia, quibus Ecclesia catholica in Europaeorum etiam doctiorum opusculis perfunditur, deterret eos prorsus inveterata opinio, hac nostra religione intendi rei publicae pericula. Hoc iudicium ante tria saecula conceptum est (illinc crudelissima catholicorum persecutio nata est), hoc iudicium per annos trecentos publicis decretis in hominum animis renovatum est, hoc nostra hac aetate non satis affirmari potest ab historicis protestanticis, qui sexcenties reiecti iterum atque iterum commemorant pontifices maximos mediae aetatis reges instituisse et deposuisse, subditis eorum fidem interdixisse, et quae huiusce fere sunt generis. Postremo hoc iudicium in dies percrebrescit amplius Europaeorum politicorum, doctorum, ephemeridum vocibus: Ecclesiam catholicam esse quandam in ipsa civitate civitatem, id semper appetere clericos, ut, re publica fracta, soli veniant in potestatem. Et Iaponii haec commenta legentes ita secum loquuntur: « Certe Europaei Christiani sciunt verum esse; ita enim necesse est ». Quantum vero in hac parte peccatum est ab Europaeis gentibus, quae Iaponios amantiores veri in errores induxerunt! Horum igitur errorum removenda vis est; iam multa religioni Catholicae messis parata est.

***

Hic cogor dicere vehementer esse dolendum, quod librarii catholici catholicos libros ad Iaponios non perferant. Quanto gnaviores etiam in hac re Protestantes sunt nobis! Habet Iaponia multas librorum tabernas, ubi praeter catholica omnia opera coemi possint! Librarii catholici plurimum conferrent ad sinistras de religione opiniones convellendas, litterarum catholicarum veram ostenderent vim debitamque vindicarent auctoritatem.

Sed tamen maxime necessarium est in ipsa Iaponia catholicum prelum condere. Debent enim historicorum mendacia et depravationes refutari. Debet libellis apologeticis comprobari tum religionem necessariam esse homini, tum prae ceteris catholicam esse amplectendam. Debet ante oculos poni Iaponiis, quantum Ecclesia catholica contulerit ad cultum humanum et ad litterarum explicationem et ad societatis humanae institutionem optimam et ad leniendas communes hominum miserias. Aperiri iis debet non everti rem publicam ab Ecclesia catholica, sed fidem erga regem, amorem patriae, legum civilium observantiam ab ea sanctissime exigi; esse quidem communem religionem terrarum omnium, sed tamen etiam singulis aptam nationibus. Hi vero tractatus maximam parient utilitatem, quia describunt veram religionis imaginem et expungunt quae adhuc sunt adversa iudicia. Certe negabit nemo propria via modoque proprio singulas nationes ad fidem adducendas esse: atqui Iaponii sunt pagani huius aetatis doctissimi, qui multa studiose legant: ad Iaponiorum animos solum per litteras nudamque veri declarationem patet via. Sane preli alicuius catholici institutio non est facilis; pecunia enim opus est. Verene igitur fieri non potest ut catholici Europaei summis rebus inflammati tantum inter Iaponios opus excitent, fulciant, sustentent?

***

Est alterum missionis catholicae in Iaponia propositum, orphanorum cura. Orphanotrophia erigere et administrare in Iaponia est religionem diffundere.

Primum enim, ut nunc est, adulti non adducuntur ad fidem nostram, nisi singuli. Quantam autem praebent orphanorum domus spem! Quo qui admittuntur, ad unum omnes religionem suscipiunt, educantur catholicis legibus, postea familias catholicas instituunt, postremo catholicos pagos.

Deinde, ut maiora habeat religio in Iaponia incrementa, missionarii Europaei adiuvari debent a multis magistris Iaponiis et presbyteris. Hi enim cognitum habent Iaponiorum animum, hi acrius sciunt observare hominum studia, quam sacerdos Europaeus, hi soli prelum fructuose administrant, quia Iaponii a Iaponiis litteras accipere desiderant. Neque vero potest Europa semper satis magnum numerum virorum apostolicorum illuc dimittere, praesertim quum aliquando Iaponii de religione quaerere desierint et ipsam religionem in se recipere coeperint. Id maximum est Protestantum robur, quod multos habent catechistas eosdemque bene instructos indigenasque praedicatores (1). Est quidem in dioecesi Hacodatensi seminarium catechistarum a Germanicis viris institutum, sed eam habet difficultatem, quod minor est alumnorum numerus. Pueri enim in media scuola versati perpauci ad hoc ibunt seminarium, quum remissiore industria fertiliorem locum in aliis institutis accipere possint. Neque quidquam augebit istum alumnorum numerum, nisi domus pupillorum, quorum admodum magnus exstat in Iaponia numerus; multae enim uxores bello orbatae coniugibus in intolerabilem paupertatem inciderunt. Inter pupillos autem semper inveniuntur, qui pro meliore indole ad catechistarum ordinem et ad ipsum sacerdotium idonei sint.

Tum Iaponii, quod permagni est momenti, a scholis publicis religionum disputationes omnino prohibent. Licet igitur missionariis aperire scholas, collegia instruere, publica suis scholis impetrare iura, quae si non acciperent, discipuli essent nulli; sed est etiam parendum legibus, de religione in schola tacendum est. Et ita quidem omnis fere missionariorum auctoritas eluditur. Ergo pupillos colligamus, pupillos ad religiosam vitam libere exerceamus.

Postremo inaudita tot parvulorum inopia nos moveat ad aedificandam orphanorum domum. Non quidem occi-

(1) Catholici habent adiutores Iaponios 325, sed Protestantes adiuvant millia duo et quingenti viginti.

duntur infantes, quibus victus a parentibus suppeditari non queat, sicut apud alias gentes saepe, tamen tristissima his plerumque proponitur vita, quum in manus veniant negotiatorum, qui bene idcirco eorum alant corpora, ut lucrum ex iis capiant, vel etiam ad turpissimum quaestum abutantur.

Saepe exprimuntur missionariis lacrimae, quum inter rudera vident pueros fame extenuatos vilibusque involutos pannis, qui vel leguminum investigant reliquias, vel ligna colligunt quorum pretio rarum cibum percipiant. Hi enim deinceps fidem nostram dispersuri erunt, si nunc in orphanotrophia recepti educati fuerint. Finge nunc animo puerorum istorum coronam, finge te nunc audire vocem iampridem cognitam: « Qui susceperit unum parvulum talem in nomine meo, me suscipit »!

***

Dixi quae a missionariis catholicis in Iaponia ante reliqua videantur peragenda; prelo opus esse dixi catholico ad declarandam catholicam veritatem et ad confutanda haereticorum convitia; opus esse aliquo pupillorum domicilio, in quo quam plurimi catholicis moribus instituantur, quorum optimi catechistarum seminario vel sacerdotum tradantur.

Veniet illa dies, et nescio an brevi adsit, qua intelligent Iaponii subeundam esse religionem Christianam, sicut ab eis profanae vitae cultus susceptus est. Idcirco nunc omnibus nervis est connitendum, ut veritatis catholicae lux ei terrae illucescat, ne unquam ea natio, quae prae ceteris Asiae mongolicae, et fortasse etiam indicae, magistra sit futura, errorum specie decepta aeternis haereseos laqueis vinciatur. Sed quid in tanta pugna tam pauci agent missionarii tamque rerum omnium penuria coarctati, nisi Europaei catholici opitulentur? Profecto non solum qui patria, qui parentibus, qui vitae commodis relictis ad voluntariam Christi proficiscuntur militiam, Christi postremam voluntatem exsequi debent; omnia Christianae Ecclesiae membra, pro suis quisque viribus, ad hanc regis aeterni voluntatem perficiendam conspirabunt. Non est satis in patria diligenter animadvertere, quid missionarii fructuum colligant, quove iam progressi sint; unusquisque manum moveat, missionariorum laboribus proprios labores iungat. Tu igitur ipse arma cape Christi, regni Christiani fines propaga! Adiuva Christi in paganorum terris legatos sanctis tuis ad Deum precibus, atque, si ferat facultas et occasio, donis!

IOANNES WEIG
Cath. Missionarius in Iaponia.

Quem felicitas amicum, infortunium faciet inimicum.
BOET., *De Consolat.*, III.

In nullum avarus bonus est; in se pessimus.
SENEC., *Ep.*, CVIII, 9.

Care amicum credas, nisi quem re probaveris.
PUBLIL. SYRUS, *Mim.*

COLLOQUIA LATINA

Colloquium in schola (1)

GEORGIUS. — Oho, Thoma, iam ulciscar me. Frequenter abs te accusatus, paria reponam.

THOMAS. — Aliquoties accusavi te, non eo inficias; saepius, nego.

G. — Quare autem vel aliquoties?

T. — Quod commerueras, et mihi quoque non plus est parsum ab aliis.

G. — Nunquam te laesi.

T. — Imo reum me fecisti.

G. — Nunquam.

T. — Quid est porro quod me cogitas accusare? Quid culpae contraxi?

G. — Scamnum cultello scriptorio conscindis, quod prohibuit Praeceptor, et tuum nomen incidis, quod gravius prohibuit, eaque de re flagris alios accepit.

T. — Oro te, tace: cera complebo sulcos illos, aut radam lignum, ne appareant literae.

G. — Hui consilium callidum! Quid dabis in loco mercedis?

T. — Submisse, ne audiat Magister. Pulcherrimum de globulis meis.

G. — An tulisti tecum?

T. — Non omnes.

G. — Quot habes?

T. — Septem.

G. — Monstra, si placet.

T. — En.

G. — Sunt elegantes. Facisne mihi copiam eligendi quem praecipue probavero?

T. — Facio.

G. — Hunc eligo.

(1) Ex IACOBI PONTANI opere, cui titulus *Progymnasmata latinitatis*, passim retractavit I. F. — Placet hîc adnotationes referre, quas clarus ipse auctor huic colloquio apposuit: « Naturae puerilis in hoc et in aliis praeterea dialogis spero a me adumbratam, si minus expressam et depictam imaginem. Mirum sane, quam illa iniuriarum impatiens, ad par pari referendum, ad delicta celanda, ad ludendum ingeniosa atque prompta sit; quae quidem hoc loco a nobis insinuata sunt. Quae autem aliis, et sparsim, eorum testem advocare visum est Ciceronem, V *de finibus:* « Eos, - inquit, - parvi agnoscunt, a quibus educantur; deinde aequalibus delectantur, libenterque se cum iis congregant, dantque se ad ludendum, fabellarumque auditione ducuntur, deque eo quod ipsis superat, aliis gratificari volunt; animadvertuntque ea quae domi fiunt, curiosius, incipiuntque commentari aliquid et discere; et eorum, quos vident, nolunt ignorare nomina, quibusque rebus cum aequalibus decertant, si vincunt, efferunt se laetitia; victi debilitantur, animosque demittunt, etc. ».

T. — Istum eligeres: meo enim iudicio relinquit alterum praestantia.

G. — Non tam aptus est ad manum meam propter magnitudinem.

T. — Ergo istum paullo minorem.

G. — Sine, tentem. Nimium parvus est.

T. — Retinebis igitur, quem primum omnium sumpseras.

G. — Ita faciam. Quam venuste nigro alboque distinctus venulas quasdam ostentat! Emistine an lucro acquisisti?

T. — Lucro.

G. — A quo?

T. — A Leonardo, nostri vicini filio, quîcum persaepe ludo.

G. — Si tam scite factis abundat globulis, provocabo illum ego similiter ad certamen.

T. — Vix aliquando vincitur; peritissimus enim huius scientiae puer est.

G. — Et me lusorem non ultimum esse cognoscet. Atat, comprimamus orationem; Praeceptor de cathedra descendit... Ne confabulantes inveniat et ad poenam vocet!...

ACTA PONTIFICIA

SS. D. N. PII PP. X litterae ad E. P. D. Antonium Card. Fischer missae, post coetum Germaniae Episcoporum Fuldae celebratum.

Dilecto Filio Nostro Antonio S. R. E. Presb. Card. Fischer, Archiepiscopo Coloniensi.

Dilecte Fili Noster, salutem et apostolicam benedictionem. — Quae tuo nomine itemque Venerabilium Fratrum, Germaniae Episcoporum, qui tecum solemnem coetum Fuldae celebrarunt, perscribis ad Nos de rebus communiter consultis, ea Nos quidem summo opere delectant; praesertim quum sit perspicuum in consiliis vestris fraternam omnino dominatam esse caritatem, adeo ut opinionum varietas in disceptando consensum omnium in deliberando minime impediverit. Gaudemus etenim vos de re sociali diligenter cavisse, ut simultates contentionesque acerbae, quae inter duo foederatorum opificum genera intercedant, e medio pellantur; ob eamque causam utrisque sodalitatibus certas quasdam in universum constituisse leges, quas sequi debeant, ut in sua quaeque regione pergant pro veris et dominorum et operariorum utilitatibus niti, idque cum religiosae civilisque rei emolumento. Gratum est etiam quod significas, vos, Decreti Nostri *Quam singulari* exsequendi gratia, statuisse per communem epistolam docere populum et admonere quid generatim fieri oporteat, ut pueri quamprimum Mensam Eucharisticam participent. In quo velimus probe intelligant Christifideles non tam illud agi ut praecepto Romani Pontificis obtemperetur, quam ut eiusmodi officio satisfiat, quod ab ipsa Evangelii doctrina sponte nascitur, atque adeo ut vetus et perpetua Ecclesiae consuetudo, ubi intermissa est, ibi revocetur. — Quod attinet ad potestatem a Nobis factam Episcopis removendi loco Parochos, ratione oeconomica, non miramur, huic decreto, quotquot ab eo sibi timent, repugnare, eosque fortasse ab ipsis rerum publicarum gubernatoribus contendere, ut eiusdem Decreti vim et effectum impediant. Etsi autem usus potestatis huius omnem semper circumspectionem cautionemque desiderat, nolumus tamen, id prudentiae studium unquam abeat in sollicitudinem pusilli animi, ob quam Episcopus, rei difficultatibus, plus aequo, commotus, non audeat ad id devenire, quod magni ad salutem animarum interesse videt. Etenim in perfunctione officii, maxime quae ad divinam gloriam recta pertineat, nulla est defugienda dimicatio, imo animose nobis adeunda, quandoquidem Deus ipse dimicantibus adest *adiutor fortis*. — De detestandis autem *Modernistarum* erroribus ad praescriptam a Nobis formulam, Nos quidem, quum coram tecum egimus benigna legis interpretatione usi, declaravimus, non adigi eo Motu-proprio ad iusiurandum sacerdotes, qui sacras disciplinas in Athenaeis publicis profitentur. Verum, si qui ex his doctoribus publicis simul in ministerio sacerdotali ut concionatores aut confessarii versentur, aut sacrum beneficium obtineant, aut in curiis vel iudiciis ecclesiasticis aliquid muneris gerant, eos e communi iurisiurandi lege eximere, Nobis profecto non fuit in animo, nec est. Illi ipsi autem, quibus, utpote doctoribus publicis tantum, iurando abstinere licet, si prae se ferant hac se uti licentia libenter, nullam fortasse de suae doctrinae sanitate suspicionem afferent, at certe iudiciis hominum misere servire se ostendent, ignave reverentes istorum auctoritatem, qui non ex animi sententia, sed ex odio catholicae professionis clamant personantque, hoc fidei sacramento dignitatem violari rationis humanae et progressionem studiorum cohiberi. Itaque in hoc genere, praeter eam, quam diximus, causam, remissioni dare locum non placet. Ceterum, hoc habemus persuasum, quibus iurisiurandi gratiam fecimus, eos ipsos in significationem virilis animi fore principes ad illud dandum, nec dubitaturos, si res tulerit, contumelias pati; siquidem facile sibi viderentur non digni magisterio christiano, si se puderet in ministris esse Domini Nostri Iesu Christi. — Quod autem ad populum tuum amantissimis verbis renuntiasti, quemadmodum a Nobis, nempe pro tuis magnis in nos meritis, paulo ante exceptus esses, gratum est. Nam quum omnes

qui suam pietatem Nobis probant maximeque dilectos filios Nostros, Cardinales, et Venerabiles Fratres, Episcopos, qui regiminis Ecclesiae pondus Nobiscum sustinent, caros habeamus; tum nihil tam valde cupimus, quam ut Nostra erga eos caritas benevolentiae appareat. — Restat ut gratias tibi pro faustis omnibus agamus, quorum quidem referimus ex animo vicem; atque in auspicium caelestium, quae precamur, munerum tibi, dilecte fili Noster, ceteris omnibus Germaniae Episcopis, in primisque Cardinali Episcopo Vratislaviensi, et clero populoque vestro apostolicam benedictionem amantissime impertimus. Datum Romae apud S. Petrum, die XXXI mensis Decembris MCMX, Pontificatus Nostri anno octavo.

PIUS PP. X.

EX SACRIS CONGREGATIONIBUS ROMANIS

SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE

Ex Congregatione Concilii.

Dubia circa abstinentiam et ieiunii legem.

Episcopus Barcinonensis, ut consuleret fidelium sibi concreditorum tranquillitati, sequentia, circa abstinentiam et ieiunium, dubia enodanda proposuit:

« Nimirum, sciscitatus est Antistes Gerundendis: « An responsum S. Poenitentiariae sub die 28 Febr. 1826, quo fas est gaudenti indulto carnis diebus ieiunii vesci in eadem comestione pulmento carnis iure cocto et de cetero vesci piscibus et, iuxta opiniones auctorum, vesci carnibus in eadem comestione simul cum iusculo piscium, etiam valeat pro fidelibus Regni Hispaniae, ubi haec consuetudo non viget ». Et responsum, percontanti Praesuli datum, sic se habet: « In audientia SSmi. die 28 Augusti a S. Poenitentiariae Regenti Sanctitas sua rescribi mandavit: enunciatam commixtionem permitti contrariis quibuscumque non obstantibus ».

« Iam ita brevi temporis intervallo, diversimode non pauci sunt opinati.

« Quidam enim docent, etiam in diebus abstinentiae et in serotina collatione iusculum carnis adhiberi esse licitum, quia iusculum carnis rationem condimenti habet et vera caro non est; alii vero iusculum carnis in refectione tantum et non in caenula permittunt, utpote quod iusculum carnis inter laeticinia recenseant; postremi denique iusculum carnis et in refectione et in caenula diebus abstinentiae interdictum reputant, siquidem illis diebus facultas edendi carnes vi indulti non habetur.

« Insuper, occasione indictae resolutionis quaestiones exortae sunt circa condimenta ex adipe et larido quoad cibos esuriales; nec non controversia exagitata de piscibus in caenula comedendis.

« Ex his sententiis variis, non omnium locorum inveteratis consuetudinibus respondentibus, in re singulorum praxi subiecta, proveniunt angores conscientiarum, quos praestat removere, ideoque quaeritur:

« 1.° Utrum diebus quibus carnes vetitae sunt, etiamsi indultum non existat, sicuti Feriis VI Quadragesimae, nihilominus iusculum carnis una cum piscibus adhiberi liceat.

« 2.° An quando usus laeticiniorum prohibetur, possit quis sumere iusculum carnis.

« 3.° Liceat necne inter Hispanos condire cibos esuriales et in refectione et in serotina collatione cum adipe vel larido.

« 4.° Si tandem possint sumi pisces in coenula diebus ieiunii, dummodo servetur quantitas, etsi in Hispania talis consuetudo haud vigeat ».

Resolutio: Ad 1.um et 2.um Negative, sed iusculum carnis diebus ieiunii in unica comestione una cum piscibus ab iis tantummodo adhiberi posse qui indultum obtinuerint pro esu carnis.

Ad 3.um Affirmative, etiam in serotina collatione, dummodo ex Apostolico Indulto ea condimenta permissa sint in diebus ieiunii.

Ad 4.um Attenta contraria consuetudine, negative.

(Ex decr. d. VI mens. Augusti MCMX).

Ex Congregatione Consistoriali.

Declarationes circa Motum Proprium « Sacrorum Antistitum ». (1)

I. — An praeceptum quod nemo theologiae laurea sit donandus, nisi prius in philosophicis disciplinis lauream obtinuerit, vel saltem de curriculo in philosophia scholastica absoluto certum praebuerit testimonium, stricte sit observandum? — *Resp.* Affirmative.

II. — An praescriptio *Consilium vigilantiae* altero quoque mense congregandi sit item stricte intelligenda? — *Resp.* Affirmative.

III. — An tamen ii, qui *Consilium vigilantiae* constituunt, si longe distent a civitate episcopali et legitime impediti sint ab interveniendo, possint, adducta causa impedimenti, scripto trasmittere relationem suam? — *Resp.* Affirmative.

IV. — An prohibitio alumnis in seminariis et ecclesiasticis collegiis facta legendi diaria quaevis et commentaria, quamtumvis optima, etiam ad iuvenes regulares in monasteriis et in congregationibus studii operam dantes extendatur? — *Resp.* Affirmative.

V. — An *quotannis* doctores in seminariis teneantur textum, quem sibi quisque in docendo proposuerit, vel tractandas quaestiones, sive theses, Episcopis exhibere, et ineunte anno iusiurandum dare? — *Resp.* Affirmative.

VI. — An idem quotannis praestare debeant suis moderatoribus doctores seu lectores in ordinibus reli-

(1) Rel. in *Vox Urbis*, an. XIII, n. X et seqq.

giosis ante auspicandas praelectiones? — *Resp.* Affirmative.

VII. — An ad iusiurandum praestandum teneantur confessarii et sacri concionatores iamdudum adprobati, et parochi, beneficiarii atque canonici in possessione beneficii, nec non officiales omnes in curiis episcopalibus et romanis congregationibus vel tribunalibus, religiosarumque familiarum et congregationum moderatores, qui in praesenti sunt in officio? — *Resp.* Affirmative. SSmus. vero benigne indulsit, ut in locis a residentiis Episcopi dissitis parochi, confessarii et doctores formulam iurisiurandi ad eosdem missam et praecognitam vel una simul cum vicariis foraneis vel etiam quisque singillatim proprio nomine signent, itemque beneficiarii in collegiatis ecclesiis, nec non religiosi in conventibus cum eorumdem Superioribus.

VIII. — An in casis particularibus, data iusta causa, Episcopi et Moderatores ordinum et congregationum religiosarum delegare possint ad accipiendum iuramentum sacerdotem aliquem sive saecularem sive regularem in aliqua dignitate vel officio constitutum? — *Resp.* Affirmative.

IX. — An ad Sanctum Officium sint deferendi non solum qui iusiurandum violaverint, sed etiam qui iurisiurandi formulam subscribere renuerint? — *Resp.* Affirmative.

X. — An Episcopi et Moderatores regularium possint commendationis litteras absque nota concedere suis subditis, qui alicubi a praedicatione fuerint prohibiti? — *Resp.* Negative.

XI. — An invitari possint sacri oratores, qui in aliquo loco ab Episcopis fuerint improbati? — *Resp.* Negative.

(Ex decr. d. XXIX mens. Septembris MCMX).

XII. — Utrum alumni Religiosi maioribus ordinibus initiandi teneantur dare iusiurandum a Motu-proprio *Sacrorum Antistitum* praescriptum coram Episcopo ordines conferente, an coram moderatore religioso? — *Resp.* Affirmative ad primam partem; negative ad secundam.

XIII. — Coram quonam idem iusiurandum praestare debeant Religiosi, qui confessionibus excipiendis et sacris concionibus habendis destinantur. — *Resp.* Coram eo, a quo approbationem confessionibus excipiendis et sacris concionibus habendis obtinent.

XIV. — In quibusnam tabulariis adservanda sint documenta iurisiurandi a superius memoratis Religiosis dati. — *Resp.* In tabulario illius Ordinarii, qui iusiurandum recepit.

(Ex decr. d. XVII mens. Decembris MCMX).

Ex Congregatione Indicis.

Per decretum d. II mens. Ianuarii MCMXI damnata, proscripta atque in Indicem librorum prohibitorum relata sunt opera quae sequuntur:

FRANZ WIELAND. *Mensa und Confessio.* — *Der Altar der vorkonstantinischen Kirche.* — München, 1906.

— *Die Schrift Mensa und Confessio und P. Emil Dorsch S. I. in Innsbruck, Eine Antwort.* — Ibid., 1908.

— *Der vorirenäische Opferbegriff.* — Ibid., 1909.

IOSEPH TURMEL. *Histoire de la théologie positive du Concile de Trente au Concile du Vatican.* — Paris.

— *La vraie science des Ecritures, ou les erreurs de la scholastique et l'enseignement officiel de l'Eglise sur le vrai sens de la Bible,* par X. — Annonay et Montligeon, 1909.

LASPLASAS. *Origen, naturaleza y formacion del hombre.* — San Salvador, 1896.

— *La Iglesia y los estados.* — Ibid., 1897.

— *Etologia ó filosofia de la educación.* — Ibid., 1899.

— *La sabiduría.* — Santa Tecla, 1901.

— *El compuesto humano.* — Ibid., 1901.

— *Evolución de los errores antiguos en errores modernos.* — Ibid., 1902.

— *Generación y herencia.* — San Salvador, 1902.

— *Ensayo de una definición de la escolástica.* — Barcelona, 1902.

— *La moral es ley moral.* — S. Salvador, 1903.

— *La psicología.* — Ibid., 1904.

— *La política.* — Barcelona, 1905.

— *Mi concepto del mundo. Libro primero: Del hombre.* — Ibid., 1907 — *Libro segundo: Dios.* — Ibid., s. a.

TEU HOMPEL. *Uditore Heiner und der Antimoderniste* — *id. Grenzfragen: Erstes Heft.* — Munster, 1910.

PIERRE BATIFFOL. *L'Eucharistie, la présence réelle et la transsubstantiation.* — Paris. *Decr. 26 Iul. 1907.*

Rivista storico-critica delle scienze teologiche. Pubblicazione mensile. — Roma. *Decr. S. Off. fer.* IV, *7 Sept. 1910.*

ALFONSO MANARESI. *L'impero romano e il cristianesimo nei primi secoli. Vol. I: Da Nerone a Commodo.* — Roma, 1910. *Decr. S. Off. 7 Sept. 1910.*

ERNESTO BUONAIUTI. *Saggi di filologia e storia del nuovo testamento.* — Roma, 1910. *Decr. S. Off. 7 Sept. 1910.*

FRANCESCO MARI. *Il quarto vangelo.* Roma, 1910. *Decr. S. Off. 7 Sept. 1910.*

Ex eodem Congr. Indicis decreto notum quoque fit ALFONSUM MANARESI, ERNESTUM BUONAIUTI et FRANCISCUM MARI, Decreto S. Congregationis S. Officii, edito die 7 Septembris 1910, quo quidam libri ab eis conscripti notati sunt, laudabiliter se subiecisse.

DIARIUM VATICANUM

(Mense Ianuario MCMXI).

Coram SSmo admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites aliosque viros, qui sui quisque muneris gratia Pontificem de more adiverunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: Melania de Metternich Winneburg, Princeps foemina; Stanislaus Medolago Albani, Comes; De Solofra Princeps, eiusque familia; Urbani Principes Borghese et Giustiniani-Ban-

dini; Nicolaus Mauritius Esterhazy, Comes, eiusque familia; Buelow Princeps, eiusque uxor; Rector, doctores et alumni Urbanorum Collegiorum Anglici, Beda et Graeci; Caffarelli, Urbanus Dux, cum uxore et liberis; Didacus Pignatelli-Canaviglia, Princeps; Antici-Mattei, Urbanus Princeps; Descamp, dynasta; Didacus Pignatelli-Angiò, Princeps; r. p Jabar S. I. novus Pontificii Collegii Pii Latini Am ricani de Urbe rector; Patritius Naro-Patrizi-Montoro, Marchio, S. R. F. signifer; Nicolaus Szecsen de Temerin, Comes, Austrorum Hungarorumque legatus apud Apostolicam Sedem, nunc ad Parisiensem legationem regendam translatus.

Pontificiae electiones.

Emus. P. D. Franciscus Salesius Card. Della Volpe, S. Congregationis Indicis Praefectus renunciatur.

— R p. d. Michael Lega, S. Romanae Rotae decanus, inter Congregationis S. Officii Consultores adsciscitur.

— R. p. Benedictus Oietti S. I. Inter Consultores refertur S. Congregationis Consistorialis.

Nominationes episcoporum. — SS. D. N. Pius PP. X decreto S. Congregationis Consistorialis elegit: r. p. d. Balthasarem Kaltner, episc. tit Agathopolitan, et auxiliarem Emi. Archiepiscopi Salisbu gensis, in episc. cath. eccl. Gurcensis; r. p. Pium a S. Ioseph, in saeculo Marcellum Bagnoli, definitorem generalem Ord. Carmelitarum Excalceatorum, consultorem SS. CC. Concilii et de Religiosis, in episcopum cath. eccl. Marsorum; r. d. Ioannem Rosi, dioecesis Cremensis, doctorem in philosophia et iure canonico, rectorem ac professorem in seminario Cremensi, in episc. cath. eccl. Montis Falisci.

Brevi Apostolico nominati sunt: r. p. d. Fulgentius Torres O. S. B., episc. tit. Dorylensis ed Administrator Apostolicus Vicariatus de Kimberley in Australia; r. p. d. Henricus Gregorius Thompson O. S. B., episc. novae dioecesis Giblatariensis; r. p. d. Eduardus Ioannes Kenealy ex Ord. Fr. Min. Capulatorum, archiepiscopus Simbensis in Indiis Orientalibus; r. p. d. Ioseph Patritius Clune, C. SS. R., episc. Perthensis in Australia; r. p. d. Mauritius Franciscus Ducoeur e Seminario Parisiensi pro Missionibus exteris, episc. tit. Barbalissen. et Praefectus Apostolicus Kuam-Si in Sinis.

Nominationes Praefectorum Apostolicorum. — Decreto S. C. de Propaganda Fide nominati sunt: r. p. Henricus Bardou Congregationis Missionariorum Africae, Praefectus Apostolicus de Ghardaia (Sahara); r. p. Ioannes Ogé, e Seminario Lugdunensi pro Missionibus Africae, Praefectus Apostolicus de Liberia in Africa.

Varia.

In locum r. p. d. Ianuarii Granito Pignatelli de Belmonte, archiepiscopi tit. Edessen., Nuntii Apostolici Vindobonae, qui a munere abdicavit, suffectus est r. p. d. Alexander Bavona, archiepiscopus tit. Pharsalen., nunc Apostolicus Nuntius in Brasilia.

— In locum cl. v. Nicolai Szecsen de Temerin, Comitis, Austrorum Hungarorumque legati apud Apostolicam Sedem, Parisios translati, Romam ad eodem munere fungendum missus est Ioannes Schönburg-Hartenstein, Princeps.

Vita functi viri clariores.

Die IV mens. Ianuarii MCMXI, arterosclerosi confectus, Romae, Purpuratus Pater **Franciscus Segna**, S. Congregationis Indicis Praefectus et Supremi Apostolicae Signaturae Tribunalis Iudex, vir scientia et pietate insignis. Natus erat in podio Ginolfo, Marsorum dioecesis, d. XXXI mens. Augusti MDCCCXXXVI, in Sacrum Senatum cooptatus die XVIII mens. Maii MDCCCXCIV, titulo S. Mariae in Porticu.

ANNALES

Ex Iberica peninsula.

Non sine quadam voluptate fama per orbem manavit, Alfonsum, Hispanorum regem, Melillam urbem una cum administrorum praeside visitasse et ad ultimos ditionis suae fines se contulisse, comiter ubique, imo populo universo ovante atque gratulante exceptum. Id enim non obscurum indicium fuit, compositionem inter Hispanicum et Mauritanum imperium munimentis integris satis firmisque suffultam, atque esse sperandum fore ut tandem aliquando dubiis de pace, quae inde ex Africa manarent, finis imponi possit.

Quod si talia praestant Hispanici eventus, proximi populi, idest Lusitani, res non eadem ferme in animos inducunt. Obscurae hae enim, atque ita incertae, ut id unum manifestum appareat, civitatem illam duobus motibus trahi, sociali altero atque oeconomico, ab operariorum ex condicto ab opere recessionibus, alia aliam insequente, patefacto; politico altero, qui tum prodit ex impetu, quo non solum regiae factionis, sed radicalium etiam, qui nuncupantur, asseclae gubernia obtrectant, tum ex vi quam ipsa diaria a plebe, nulla potestate eam coercente, patiuntur. Ecquid mirum? Potestatis supremae exercitium ab Almeida, qui eam abdicat, ad Theophilum Braga praesidem; ab hoc ad Bernardinum Machado iactatur, indeque ad Alfonsum Costa, iustitiae administrum, novae de comitiis legi nunc unice intentum..... Itaque nemini praevidere licet quo fata sint inclinatura, quamvis Reipublicae regimen in periculo, nunc saltem, eo etiam non versetur, quod Emmanuel rex regno recuperando se abstinere palam ostendat.

***

In Turcarum imperio.

Nec minus quieta Turcici imperii negotia. In regione enim Yemen gravis exorta est seditio, quam vi comprimere non facile est, quum praesertim exercitus ex Albania et Macedonia revocari nequeant.

PUBLICI PER ORBEM COETUS
legibus ferendis

In **Anglia** novi publici coetus legati convenerunt, sibique praesidem elegerunt Lawther doctorem.

In **Austria** Bienerth dynasta novum administrorum collegium composuit eo praecipue consilio ut potius quam politicis officiis inserviret, civili administrationi provideret.

In **Gallia** ratio accepti et expensi tum exterarum tum civilium rerum habita; ex quibus occasio capta felicem rerum statum pro Gallia exponendi.

In **Germania** sociales leges, in utilitatem eorum qui publica vel privata officia obtinent, approbantur.

In **Graecia** coetus sessiones tranquille resumptae.

In **Hungaria** commercii foedus cum Serbia ratum habitum.

In **Iaponia** de aerarii difficultatibus disceptatum, deque opportunitate pecunias mutuas publice sumendi.

In **Rumenia** administrorum collegio praeside Bratianu, quod ab anno MCMVIII regni res moderabatur, a munere abdicanti, novum suffectum, praeside Petro Carp, comitiaque ad omnes populi legatos eligendos in Martium mensem indicta.

PER ORBEM

Die I mensis Ianuarii MCMXI ex officina Lynceorum, Romae, primum volumen editur operis cui titulus *Corpus nummorum italicorum*, quod Emmanuel III, Italorum rex, composuit.

— d. III immanis terrae motus Vyernyam urbem, in Asiatica regione Turkestan, diruit.

— d. VII Monachii ad Nicaeam princeps libertatis reginem suo populo concedit.

— d. VIII Veronae obit Felicitas Crosio e Villafranca, Eugenii e Sabaudica Cariniani gente principis vidua.

— d. IX Bellogradi ex aëre praecipitat ac moritur Rusian aviator.

— d. XI Parmae vita fungitur Albertus Ròndani, Italicus poeta ac litterarum magister.

Romae, novae Iustitiae administrandae aedes, eaeque magnificentissimae, a rege sollemni ritu aperiuntur.

Ferriviae et metallorum opifices Olysippone ex condicto ab opere recedunt.

— d. XVII, dum publicus legibus ferendis coetus Lutetiae Parisiorum habetur, amens quidam, manuballistula, Briandi, administrorum praesidis, vitam, indigne quamquam infelici exitu, appetere conatur.

— d. XVIII Ely aviator, ex S. Francisci, Americanae urbis, litore profectus, in navem, altum tenentem, fauste descendit.

— d. XIX Florentiae centenaria fit sollemnis commemoratio e renovata celebri illa excolendae Italicae linguae academia, cui « a furfure » nomen.

— d. XX inter glacies cuiusdam ex paludosis lacubus Branderburgensis regionis reliquiae inveniuntur aërostati *Ildebrand*, vestigia cuius, exeunte mense Decembri, a Kohrs, Berolinensi advocato et Keidyl negotiatore ducti, ad Russiam profecti, frustra pressa fuerant. Aëronautarum cadavera rigida e gelu educuntur.

— d. XXII Romae sexaginta vix annos natus, animam agit Iosephus Tomassetti, subtilis Romanarum rerum, medii aevi praesertim, investigator. Eius opus, - quamquam non absolutum reliquit, - de Romano agro, eius sapientiae acrisque ingenii monumentum exstabit.

— d. XXIV Neo Eboraco in urbe S. Philips, scriptor valde celebratus, nefarie interimitur.

— d. XXVI, Douai in urbe, Sommer aviator cum viatoribus sex aëreum iter primus conficit.

— d. XXVII Antuerpiae ob fortuitum incendium, in domo Manke cuiusdam artis operum collectoris exortum, Rubens, Van Dyk ac Theniers nonnullae tabulae misero fato absumuntur.

— d. XXVIII Lutetiae Parisiorum naturae concedit Henricus de Houx, rerum ac diariorum scriptor notissimus.

— d. XXX improvisa vulcani ad Taal eruptio, cuius lapides usque ad Manillam urbem eiiciuntur, terrorem ac mortem late diffundit.

LIBRORUM RECENSIO

Iacobi Balmesii centenaria commemoratio. — Nova Lyra, aliquos hymnos quae canit ac odas IOSEPHI FONTS ET SURINYACH versione eorum in linguam vernaculam ab ALOYSIO VINYAS et CANEDELT. — Barcinone, ex off. Giunart et Pujolar, MCMX.

Quum superiori aestate urbs Catalaunica Vich, patria sapientissimi Iacobi Balmes, illustris huius civis centesimum recoleret ac celebraret natalem, Iosephus Fonts sacerdos *Novam Lyram* edidit, opusculum videlicet, in quo duobus carminibus, in laudem Balmesii concinnatis, alia accedunt de variis argumentis composita. Quae omnia, latine conscripta, alter sacerdos, Aloisius Vinyas, in linguam catalaunicam metrice convertit, posita hac interpretatione e conspectu textus latini.

Iosepho Fonts animum inesse vere poeticum, nemo profecto negabit, qui eiusdem odas perlegerit. In iis enim haud communis apparet vis sententiarum, calor affectuum atque imaginum varietas. Pro diversitate materiae, stylus nunc ornatior nunc simplicior adhibetur; modo sobria contentus brevitate, modo in floridam excrescens amplitudinem. Linguam latinam auctor egregie callet, quod singulae fere libri paginae demonstrant. Interdum tamen vocibus utitur probatis scriptoribus minus acceptis, uti quum *incendiatores* Barcinonis memorat, quum verbum *radicandi* non inter deponentia recenset quum verbo defectivo *avere* gerundium attribuit.

Bis etiam possessivum *suus* pro *eius* adhibet. In prosodia quoque aliquando deficit, v. g. quum in voce *mater* primam syllabam et in voce *aether* ultimam corripit, et in participio *tributus* primam syllabam producit. Pluries tandem, in strophis alcaicis, quartum versum sine caesura construit: quod in Horatio nunquam aut certe rarissime tantum occurrit. Nonnunquam praeterea subobscurus est auctor: quod forte tribuendum est mendis typographicis, satis frequentibus.

Ceterum leves huiusmodi naevi, qui in nova editione facile tollentur, laudes peritissimo poetae debitas nihil imminuunt.

FERNAND LAUDET. — *La Soeur Rosalie.* 1787-1856. — Parisiis, edid. Bloud et Soc., 1910.

Hic libellus rapide delineat imaginem pulcherrimam unius ex filiabus S. Vincentii a Paulo, cuius nomen per dimidium saeculum non solum in urbe Parisiorum, ubi toto hoc tempore vixit, sed in Gallia omni, quin etiam in universo orbe, celeberrimum fuit. Eius eximia, immo heroica in pauperes et miseros quoscumque caritas tum praesertim enituit, quum anno 1832 morbus, quem cholera vocant, Lutetiam primum invasit, ibique vastissimas edidit strages; ac deinceps anno 1848, quum bellum civile eamdem urbem misere dilaniaret. Nam, quum ab omnibus summa in veneratione haberetur, impune potuit inter hostica agmina discurrere et pacis proponere consilia. Ad duces exercitus conversa, qui ei suadebant ne morti se exponeret, copias rebelles petitura, heroice respondit, vitam sibi iam non placituram, si filii eius etiam dyscoli necarentur. Conversa autem ad rebelles, iussit eos a pugnando desistere, his verbis: « Nonne iam satis, et plus quam satis, viduarum et orphanorum mihi alendi sunt? Cur vultis horum numerum measque curas augere? »

Adeo nempe verum est, religionem christianam fecundam esse heroum et heroidum matrem! Nam qui Christum vere amare didicerit, is, ad ipsius exemplum, etiam pro fratribus animam ponere non dubitavit.

FR. X. R.

IOCI

Rufus delectus causa miles, emeritis recens stipendiis, quum temulentior forte incidisset in quemdam ordinum ductorem, ab eo de re hac obiurgatus, sic dixisse fertur, aquae satis ab se haustum ad Hissam.

* * *

Throchilus, totus ossa atque pellis ob eamque causam haud abundans sanguine, quum conaretur exturbare crure pulicem molestissimum, Trebonius, homo facetissimus: -- « Sine, -- inquit, -- quod velit, faciat, prope enim est, ut fame pereat! »

TITUS CURZIUS.

EPISTOLARUM COMMERCIUM

Cl. v. IOS.... WAB..., *Varsaviae Polon.* — Vir ille excellentissimus certamen non ex se indixit, sed ex munere sibi, civitatis primo, a munifico quodam viro commisso. Quum ita se res habuerit, eum negligendum utilius esse duximus ac silentio praeterire. — Ioci, quos memoras, ad nos minime pervenerunt.

Cl. v. TH...... T. CH..., *Chicagine.* — Ne apud nos quidem illiusmodi editores heu! inveniuntur.

Cl. v. FR. BUL.., *Spalati.* — Carmen ad animos inveni tuo augendos ubi primum licuerit vulgabimus. Sed *Vocis Urbis* inter socios eum scire prius volumus. Facias de re certiorem commentarii nostri moderatorem Iosephum Fornari, ad cuius domicilium (*Roma, via del Governo Vecchio, 96*) omnia quae ad « redactionem » pertinent, mittenda sunt.

A SECRETIS

AENIGMATA

I.

Corporibus praesto fulcrum. Mihi praefice sigma:
Solamen miseris praebeo terricolis.

II.

Pabula significo, quae iactat vel levis aura.
Rho mihi subnectas: collo dependeo tauri.

F. P.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Doctorem IOSEPHUM FORNARI, Commentarii moderatorem *(Roma, via del Governo Vecchio, 96)* miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet opus, cui titulus:

VINCENTII LANFRANCHI
DE STILO PLAUTINO ACROASIS.

Aenigmata an. XIII, n. XI proposita his respondent:

1) **Venenum**; 2) **Vi-na.**

Ea rite soluta miserunt:

Petrus Tergestinus. — F. Wawer, *Marianopoli.* — Rich. Brondel, *Brugis.* — Ioan. Biava, *Bergomo.* — P. Prado, *Venetiis.* — F. Arnori, *Mediolano.* — Iac. Costa, *Dumio.* — Paulinus a S. Iosepho, *Barcinone.* — — F. X. M., *Drepano.* — Frid. Horwath, *Vindobona.* — Hern. Forgeot, *Nicaea ad Varum.* — Alb. Catteau, *Lugduno.* — Rich. Müller, *Berolino.* — F. Correa, *Emerita.* — Lud. Goux, *Bituricis.* — Alex. Pintauro, *Neapoli.* — Alb. Perraud, *Lutetia Parisiorum.* — Eug. Dolmar; Mart. Dunne, *Neo Eboraco.* — Lud. Dubois, *Massilia.* — Alf. Martinez, *Badaiocio.* — Barth. Ferraris, *Augusta Taurinorum.* — A. Bounin, *Aureliano.* — R. Richi, *Traianopoli.* — Ant. Whiteside; Alb. Kain, *Dublino.* — F. Ortiz, *Morelia.* — St. Kempa, *Ogrodinia.* — Adam. Kozlowski, *Petricoria.* — Max. Vronski, *Lobzów.* — A. Renevey, *Estavayer-le-Lac.* — Lad. Lud. Podobinski, *Cracovia.*

Sortitus est praemium:

FRIDERICUS HORWATH,

ad quem missum est opus, cui titulus:

MARCI MINUCII FELICIS
OCTAVIUS
ADNOTATIONIBUS ILLUSTRATUS.

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus

ROMAE — Ex officina *Societatis Editricis Romanae.*

EUPLIUS

(3

Actio dramatica a I. B. Francesia versibus senariis exarata.

SCENA III.

CYRUS (*ludens ab aedibus egressus, videns colloquentes*)

Si me novisse qui siem vos cupitis
Vocari dicam Cyrum candidissime!
Et insuper filius Felicis nomine
Tenet theatrum Graecum qui custodia.
Bonus... sed amplius non dicam... quod video?
Volunt quid illi sic remotis arbitris?
Curiose aspiciunt obtortis oculis.
Placet minime. Mihi videntur subdoli,
Texant qui forte caute fallacias.
Hic audiam vafros vacivis auribus,
Et ipse, si quas instaurant insidias,
Suas in ipsos invertam versutias.
Aves augurii mali sunt nunciae.
Cur adveniente me abierunt cautius?
Comparent denuo, loquuntur, mussitant!
Darem libentius meam pecuniam,
Vel ut tantillum possim exspiscarier (*se se abscondit seorsum*).

CALVISIANUS (*suspiciose*).

Hunc si captavero, mille versutiis
Hunc ut christianum possim si trudere,
Ferire caelum putabo pol! digito:
Hic unus si cadit, cadet tota civitas,
Eiusque pollens ero tunc divitiis,
Et ipsi carus Caesari prae ceteris.

CYRUS (*e suo loculo*).

Istos iurarem colloqui nunc de Euplio!

MAXIMUS (*animose*).

Dabis mihi partem quamdam tu pecuniae?

CALVISIANUS (*cum vi*).

Dabo!

MAXIMUS.

Quam?

CALVISIANUS.

Mihi es molestus! Ne dubita!

MAXIMUS.

Mihi ni dixeris partem quam dederis,
Manum nec obferam tuo in consilio.

CYRUS (*eodem more subridens*).

Hic usque astutus tendit recto ad littora!

CALVISIANUS.

Scis abhinc annos paucos qui nunc imperat
Diocletianus, suos qui temperat
Dulci fraeno subditos, iusto imperio
Vult Christi perdere cunctos discipulos.

CYRUS (*caput ostendens*).

Ad rem venit!

MAXIMUS (*interrumpens*).

Virum quisnam laudaverit?

CALVISIANUS.

Quid istac suggeris quae non intersunt tua?

MAXIMUS.

Perge! Rem narra!

CYRUS (*idem*).

Festinanter integram!

CALVISIANUS.

Hi namque Catanae, sequaces hederae
Ut totum serpunt agrum, suffocant, liberi
Secretis ipsi perfodiunt artibus,
Ita ut se totam Christianam sentiat.

CYRUS (*u. s.*).

Nihil narras novi!

MAXIMUS.

Id sciebam tamdiu!

CALVISIANUS.

Sed istum feriam serpentem gladio,
Suis qui spiris minitatur patriam,
Brevi velim ipse scriptitare Caesari:
Ubi imperabat Christi superstitio,
Ubi radices posuit latissimas,
Calvisianus unus, tenax propositi,
Gentem dispersit, obtruncavit perfidam!

CYRUS (*semper seorsim*).

Hic Euplium quaerit! Curabo maxime,
Ut ipse liber sit, ego tantillus puer
Tibi, vir magne, plane os pulcre sublinam.
Adibo patrem qui dabit consilium.

MAXIMUS (*post breve silentium*).

Ero tibi lubens comes a latere,
Tuusque gladius, magis si perlubet.
Haec rerum novitas, falsa seu relligio
Parens de longe generat discordiam.

CALVISIANUS.

Facitque ceteris nimis fastidium!

MAXIMUS.

Sciebam tandiu! Nihil narras novi.

CALVISIANUS.

Sed Euplium iuvat in primis quaerere,
Suis qui totam versutiis commovet
Urbem, dolis tenet semperque perfidis.

MAXIMUS.

Habet christianae gentis marsupium.

CALVISIANUS.

Valet quis auri novisse congeriem
Istud quam cumulat caput nequissimum?
Sed istum frustra quaeres, ni plectes prius...

(*Ad proximum numerum*)

Ann. XIV. ROMAE, Mense Martio MCMXI Num. III.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Rerum index:

XVI KAL. APRILES AN. MDCCCCXI

DIE NOMINALI

PII X PONT. MAX.

Pange Iosepho (Pius audit, ex quo
fungitur Christi vice, Petrus alter);
pange Iosepho, mea Musa, laeto
pectore carmen.

Martius primis decoravit agros
flosculis; hinc tu lege pulchriores,
ferque mitrato, pia vota fundens,
serta Parenti.

" Floridus - dices - Tibi currat annus,
Pontifex, curis vacuus molestis;
qui diu felix redeat, beato
praevius aevo! ,,

Proh dolor! fragrans meus hic rosarum
ramulus spinas genuit cruentas:
vulnus inflixit Tibi gente natus
rhetor Hebraea.

Iste, vel sensu posito pudoris,
perfidi quum sit Caiphae propago,
hanc, ubi Petrus sedet imperatque,
dux regit Urbem.

Nec satis: nitri celebrans adusti
horridos bombos, petulante lingua,
ipsa quam carpsit Synagoga, risit
dogmata Christi.

Risit, irrisor simul ille legis,
Urbe quae capta Fidei Magistrum
dixerat tutum fore, sub novelli
aegide iuris.

Audiens tellus odiosa verba,
horruit; iudex tamen in procacem
nullus exarsit, nec adempta sonti
sella curulis.

O fidem fractam! Capitoliumque
hostibus Christi Themidisque plenum!
qua Leo rugit stygius, vetusque
sibilat Anguis;

qua rudit flagris Asinus fricandus,
Setiger grunnit, chorus Anserumque
gingrit, et rostro sacra Vaticani
marmora mordet. (1)

(1) Consilio Capitolino, in tuenda re Romana minus certe vigili, quam olim anseres fuerunt, adscribitur, inter alios christiani nominis osores, editor « Asini », commentarii nempe periodici, qui impietate scatet et spurcitiis.

Nunc tamen questus sileant, oborta
luce Iosephi! gemitum Camena
vertat in plausum, tenebraeque festo
sole fugentur.

Qui necem Christo Pharisaeus olim
intulit, vinclis it onustus Arcu
sub triumphali; Titus adstat, acer
Numinis ultor.

Nec Dei nostro breviatur aevo
brachium vindex : parat heu ! tremendas
impiis poenas, cumulata vero
praemia iustis.

Franc. Xav. Reuss.

QUAESTIONES APOLOGETICAE

Num qui credit " rationabiliter „ credat

Nostris hisce temporibus, penes catholicos apologetas controvertitur: utrum qui credunt, *caeco modo,* an *rationabili modo* credant; cui controversiae non eadem nec una solutio praebetur. Modernistarum mens *(Prop. 25ª Syllabi Pii X)* exprimitur per verba: « Assensus fidei ultimo innititur in congerie probabilitatum », dum quorumdam aliorum mens est « credere » minime actionem intellectus esse, quum credens in fidei actu dicat: « Credo quia amo, fides et amor synonyma sunt »; vel « credo ex quodam cordis intimo sensu »; vel « credendi motiva non ad ordinem intellectualem pertinent, credit aliquis quia credere *vult*, quia cuiusdam regulae extra se existentis indigentiam experitur »; vel « credendi motiva dum valent pro corde, abscondita sunt intellectui, cor ipsum, non iam intellectus Deum sentit, atque in ipsa fide cordi non intellectui Deus se praebet sensibili modo » (1).

Alia ex parte, asserunt quidam « credere » ita esse intellectus actum, ut ipsemet intellectus, ad divinae revelationis *factum scientifice* et quidem *rigorose* ostendendum valeat (2). Dum alii e contra, Angelico praeceptore duce, (3) affirmant: « Ille qui credit habet sufficiens inductivum ad credendum; inducitur enim auctoritate divinae doctrinae miraculis confirmatae, et, quod plus est, interiori instinctu Dei invitantis; unde non *leviter credit*. Tamen non habet sufficiens inductivum ad sciendum ».

Paucis abhinc dicbus, iterum mota fuit eadem controversia an respectu *facti* revelationis rigorosa necnon scientifica demonstratio possibilis fiat, ac diversimode soluta; idest pro P. Lagae O. P. demonstratio recensita datur, pro P. Hugueny O. P. vero non datur (4).

(1) Cf. Schwalm O. P. *(Revue Thomiste* 1896 p. 38 et seqq.): *L'acte de foi est - il raisonnable?* Ibi vocat taliter sentientes: *Chrétiens demi-sceptiques ou incrédules demi-croyants.* — (2) Cf. P. Hugueny O. P. *(Revue Thomiste* 1909 p. 275 et seqq.): *L'évidence de credibilité.* Ibi apologetae quidam comparantur cuidam *Avocat embarrassé criant d'autant plus fort à l'évidence, qu'il sent davantage l'insuffisance de sa plaidoirie.* — (3) 2-2ae p. q. 2. a. 9. ad 3. — (4) *Revue Thomiste* Juillet-Août-Sept.-Oct. 1910 — Mai-Juin 1909 — Nov.-Déc. 1910.

In favorem sententiae P. Hugueny militantes, duo a nobis praestanda erunt: ostenso nempe, in actu fidei demonstrationem rigorose scientificam non esse possibilem, contra Modernistas, aliosque subiectivismo addictos apparebit, actum fidei *rationabilem esse.*

***

Per Ecclesiae auctoritatem apparet, circa « factum » revelationis divinae demonstrationem rigorose scientificam non esse possibilem. Concilium enim Vaticanum (1) de huiusmodi demonstratione nullam mentionem facit; asserit solum revelationem divinam externis signis fieri posse credibilem et « divinam religionis christianae originem » miraculis *rite* probari. Pius IX etiam, circa revelationis divinae factum, hisce verbis munus intellectus determinat (2): « Humana quidem ratio, ne in tanti momenti negotio decipiatur et erret, ut certo sibi constet, Deum esse locutum, ac eidem quemadmodum sapientissime docet Apostolus, *rationabile obsequium* exhibeat *(Rom.* XIII, 1) ».

Rursus, factum revelationis considerari potest *a)* in se, *b)* in suis effectibus immediatis, *c)* in signis illud concomitantibus, uti miracula et prophetiae sunt. Intellectus vero humanus nequit demonstrationem rigorose scientificam habere vel circa factum revelationis in se, vel circa illius effectus, vel circa signa eiusdem.

I. Non circa factum revelationis in se. Demonstratio enim rigorose scientifica quae metaphysica, vel mathematica, vel experimentalis est, tantam veritatis evidentiam parit, ut assensus intellectus non maneat amplius liber. Circa autem revelationis factum in se inspectum, neque respectu scriptorum vel prophetarum (3) quibus revelatio immediate facta est; neque respectu ceterorum credentium quibus revelationis factum mediate notum fit, evidentia illa est possibilis. Non respectu scriptorum et prophetarum, quia « de his quae

(1) 3 *de fide* 3. Denz. 1659-1660. — (2) *De fide et ratione* Denz. 1498. — (3) « Prophetica revelatio se extendit... etiam ad res divinas, et quantum ad ea quae proponuntur omnibus credenda, quae pertinent ad fidem et quantum ad altiora mysteria... Omnia quae sunt necessaria ad instructionem fidelis populi, revelat prophetis: non tamen omnia omnibus, sed quaedam uni, quaedam alii ». (S. Th. 2-2.ae *Prol.* q. 171 et q. 171 a. 4. ad 1). Possumus propterea revelationi applicare, ea quae de *Prophetia* Angelicus docet.

expresse per spiritum prophetiae propheta cognoscit, maximam certitudinem habet, et pro certo habet, quod haec sunt divinitus sibi revelata » tamen « ad ea quae cognoscit per instinctum sic se habet, ut *non plene discernere possit,* utrum haec cogitaverit aliquo divino instinctu, vel per spiritum proprium ». Rursus: « Principium eorum quae divino lumine prophetiee manifestantur, est ipsa veritas prima, quam prophetae in seipsa non vident ». Denique « per prophetiam non cognoscitur in seipso principium prophetalium cognitorum, quod est Deus »; et « in revelatione prophetica movetur mens prophetae a Spiritu Sancto, sicut instrumentum deficiens... ad aliquid apprehendendum... ad aliquid loquendum... ad aliquid faciendum... Et quodlibet horum contingit esse cum aliquo cognitionis defectu... Quandoque movetur mens prophetae ad aliquid loquendum, ita quod intelligat id quod per haec verba Spiritus sanctus intendit... Quandoque autem ille cuius mens movetur ad aliqua verba depromenda, non intelligit quid Spiritus sanctus per haec verba intendat... Etiam veri prophetae non omnia cognoscunt quae in eorum visis aut verbis, aut etiam factis Spiritus sanctus intendit ». Mens ideo S. Thomae est, (1) quod in rerum fidei revelatione, propheta « non semper *plene* discernit, non *videt* veritatem primam et principium revelans in se; in motione ad loquendum defectus cognitionis habetur, aliquando non intelligit, non omnia cognoscit ». Quomodo cum omnibus hisce evidentia ita firma conciliari potest capax vincendi intellectum?

Neque respectu aliorum, qui post prophetas credunt, possibilis est eadem evidentia. Etenim factum revelationis *a)* proponitur omnibus communiter credendum, *b)* proponitur credendum per Sanctorum vel Auctoritatis competentis rationes; *c)* est factum vere *creditum.* Modo, ut Angelici (2) verbis utamur: « Id quod communiter omnibus proponitur hominibus ut credendum, est communiter *non scitum* ». Rursus: « Rationes quae inducuntur a Sanctis ad probandum ea quae sunt fidei, non sunt demonstrativae, sed persuasiones quaedam manifestantes non esse impossibile quod in fide proponitur: vel procedunt ex *principiis fidei,* scilicet ex auctoritatibus sacrae Scripturae... Ex his autem principiis... probatur aliquid *apud fideles...* Rationes quae inducuntur ad auctoritatem fidei, non sunt demonstrationes, quae in *visionem* intelligibilem intellectum humanum reducere possint ». Denique: « Scitum est visum, et creditum est non visum » et « ille qui credit habet sufficiens inductivum ad credendum... tamen non habet sufficiens inductivum ad sciendum ».

II. Non circa effectus immediatos facti revelationis, possibilis est demonstratio rigorose scientifica. Effectus immediati huiusmodi nonnisi visiones quaedam sensibiles, vel imaginariae, vel intellectuales sunt. Iamvero,

(1) 2-2.ae 171. a. 5. Ib, a. 4 in corp. et ad 3. Ib. 173. a. 4. — (2) 2-2.ae 1. 5. in corp. et ad 2. et ad 4.; q. 2. a. 9. ad 3.

prouti recte P. Hugueny (1) animadvertit, phaenomena ista, uti visiones sensibiles, imaginariae, intellectuales, necnon novarum idearum excitamentum, novaeque verborum conceptuumque compositiones, quibus revelatio exterior fit, res psychologicae atque sensibiles sunt, quae licet extraordinariae, nequeunt tamen, infallibili modo ac necessario, Dei auctoris supernaturalis interventum ostendere. E. g. B. Virgo Maria, quum ei Angelus apparuit, evidentiam habuit Angelum Gabrielem ei nomine Dei loqui, non iam propter externae apparitionis phaenomena, sed ex prophetico quodam lumine; immo in casibus quibusdam apparitiones, quae Angelorum apparitiones putabantur, nonnisi naturae vel diaboli illusiones fuerunt. Propterea effectus immediati facti revelationis nequeunt demonstrationem rigorose scientificam facti eiusdem humano praebere intellectui.

III. Neque circa signa factum revelationis concomitantia, quaeque miracula ac prophetiae sunt, demonstratione rigorose scientifica, intellectus pollet humanus. Siquidem necessarium foret, duo menti humanae *clare evidenterque* apparere: 1° opera miraculosa nonnisi Deo tribui posse; 2° nonnisi Deo pariter ipsam esse tribuendam prophetiam. Neque unum, neque alterum clare evidenterque apparet; non *primum,* quia S. Augustinus (2) scribit: « Intelligamus quaedam miracula etiam sceleratos homines facere, qualia sancti facere non possunt... faciunt magi qualia nonnunquam sancti faciunt ». Nonne Apostolus (3) ait: « Cuius est adventus secundum operationem satanae, in omni virtute, et signis, et prodigiis mendacibus? » Nonne Pontifex Benedictus XIV scribit (4): « Pleraque (miracula) quae in sacris scripturis facta videmus, non sunt excedentia vim et facultatem angeli »? Hinc merito Salmanticenses (5) aiunt: « Licet miraculum in se verum sit, nihilominus non semper apparet verum, quia facile non est discernere verum a falso, quum fiant plurima prodigia vel arte daemonis, vel virtute causarum naturalium latentium, quae vix discerni valent a veris miraculis... Etiam supposita evidenti cognitione veri miraculi adhuc potest relinqui dubietas circa finem propter quod fit, an ad confirmandam aliquam doctrinam, an ad manifestandam alicuius sanctitatem, an ob solam utilitatem in eo miraculo inventam, an denique ob alios fines nobis occultos ». Non apparet *secundum,* quia iuxta S. Thomam (6): « Ipsa revelatio facta per daemones potest secundum quid dici prophetia... Et ipsa doctrina daemonum, qua suos prophetas instruunt, aliqua vera continet, per quae receptibilis redditur... Prophetae daemonum non semper loquuntur ex daemonum revelatione, sed interdum ex inspira-

(1) *Revue Thomiste* l. c. p. 290. Cf. S. Th. 2-2.ae 173. 3: « Revelatio fit secundum quatuor; scilicet secundum influxum intelligibilis luminis, secundum immissionem intelligibilium specierum, secundum impressionem vel ordinationem imaginabilium formarum, et secundum expressionem formarum sensibilium ». (2) *De diversis quaest.* 83 q. 79, 3 M. 40, 92. — (3) II *Thessal.* II, 9. — (4) *De canonizatione et beatif. servorum Dei* l. IV c. 7. — (5) *De fide* disp. 2. dub. 3. n. 61 v. 11. — (6) 2-2ae 172. a. 5. et 6. in corpore ad 1, 2, et 3.

tione divina... quia Deus utitur etiam malis ad utilitatem bonorum. Unde et per prophetas daemonum aliqua vera praenuntiant... ut credibilior fiat veritas... Quando prophetae daemonum a daemonibus instruuntur, aliqua vera praedicunt: quandoque quidem virtute propriae naturae, cuius auctor est Spiritus sanctus, quandoque etiam revelatione bonorum spirituum... Et sic etiam illud verum quod daemones enuntiant a Spiritu sancto est... Propheta falsitatis non semper instruitur a spiritu falsitatis, sed quandoque etiam inspiratur a spiritu veritatis. Ipse etiam spiritus falsitatis quandoque enuntiat vera... Per virtutem propriae naturae (daemones) quandoque vera praenuntiant ».

***

Mirabilia omnia, Apologetae quidam obiiciunt, quae saeculorum decursu in Christi Ecclesia visa fuere continuoque videmus; ipsamet rursus vitae Christi mirabilia tantae evidentiae sunt, ut mentem humanam ad credendum cogere valeant, utque ex mirabilibus hisce veram demonstrationem ipsa desumat; ideo credentis intellectus circa fidem demonstratione rigorose scientifica pollet.

Respondemus *1*^o^. Demonstrationem, quae ex Ecclesiae et Christi mirabilibus ab Apologetis desumitur, nonnisi demonstrationem quamdam indirectam esse. Valor autem indirectae demonstrationis a Card. Zigliara (1) sub hisce verbis traditur: « Demonstratio directa (quae et ostensiva dicitur) potior est, quia manifestat menti nostrae rem in se, in qua videmus eius veritatem: indirecta autem non praebet visionem veritatis rei in seipsa, quamvis excludat errandi formidinem vi absurdi illati: et ideo non totaliter quietat intellectum, qui ad rei visionem aspirat ». In hac indirecta demonstratione evidentiam, necessario intellectum nostrum vincentem, deficere necesse est. — 2° Miracula adserta neque omnibus evidentia sunt neque eadem legentes, statim ad supernaturalem Dei interventum assurgunt, quinimmo naturali modo ea explicare conantur. — *3*^o^. Mirabilia Iesu Christi, quamvis in Evangeliis relata, nonnisi moralis certitudinis causa sunt.

***

Contra tamen subiectivistas nonnullos, necnon contra Modernistas, asserendum est, credentes rationabiliter credere, ac veritatibus fidei rationabile praebere obsequium: « Quis enim ignorat, - ait Pius IX (2) - aut ignorare potest,... nihil rationi ipsi magis consentaneum esse, quam iis acquiescere firmiterque adhaerere, quae a Deo, qui nec falli, nec fallere potest, revelata esse constiterit? » Concilium rursus Vaticanum (3) vocat « fidei nostrae obsequium rationi consentaneum » per « divinae revelationis signa... certissima et omnium intelligentiae accommodata ». Neque rationis momenta

(1) *Summa Philos.* Vol. I l. 3. c. 4. a. 2. n. 9. Cf. Hugueny l. c. p. 295. — (2) *Loc. cit.* Denz. 1498. — (3) *Sess.* 3. c. 3. *de fide* Denz. 1639.

deficiunt. Siquidem rationabile est pro humana mente, veritati in se non visae adsensum praebere, quoties veritas huiusmodi *a)* proponitur a persona quae nos fallere nequit; *b)* confirmatur per media obiectiva quae veritatem ipsam evidenter credibilem reddunt. Modo qui credit, praebet adsensum *a)* veritatibus propositis a Deo, qui nec falli nec nos fallere potest; *b)* veritatibus per media obiectiva confirmatis, quae easdem veritates evidenter credibiles reddunt, uti per miracula necnon prophetias fit. Aliis verbis duplex veritatis genus distinguitur penes theologos, videlicet 1°, veritas evidenter vera; 2°, veritas evidenter credibilis. Prima videtur in se vel in suis principiis: secunda neque in se neque in suis principiis videtur; tamen tot tamque gravibus testimoniis confirmata est ut « quilibet vir sapiens merito eam credere debeat (1) » rationabiliterque credat. Tales sunt fidei veritates, propter quod qui eas credit, rationabiliter, non caeco modo credit.

Neque dicatur, uti vulgo saepe audimus: *1*^o^ « Stultum est credere quod non videtur, nec sunt credenda quae non videntur »; 2° « Miracula (quae veritatem evidenter credibilem reddunt) nullus vidit fieri ». Primae enim difficultati, primo S. Augustinus respondet, primae simulque secundae S. Thomas. — S. Augustinus (2): « Quam innumerabilia crederem quae non viderem, neque quum gererentur adfuissem; sicut tam multa in historia gentium, tam multa de locis atque urbibus quae non videram, tam multa amicis, tam multa medicis, tam multa hominibus aliis; quae nisi crederentur omnino in hac vita nihil ageremus; postremo, quam inconcusse fixum fide retinerem, de quibus parentibus ortus essem, quod scire non possem, nisi audiendo credidissem ». S. Thomas (3): « Si homo, posset perfecte per se cognoscere omnia visibilia et invisibilia, stultum esset credere quae non videmus; sed cognitio nostra est adeo debilis quod nullus philosophus potuit unquam perfecte investigare naturam unius muscae: unde legitur quod unus philosophus fuit triginta annis in solitudine, ut cognosceret naturam apis. Si ergo intellectus noster est ita debilis, nonne stultum est nolle credere de Deo, nisi illa tantum quae homo potest cognoscere per se? Et ideo contra hoc dicitur (Iob, xxxvi, 26): Ecce Deus magnus, vincens scientiam nostram... Tertio responderi potest, quia si homo nollet credere nisi ea quae certe cognosceret, non posset vivere in hoc mundo. Quomodo enim posset scire quod talis esset pater suus? Et ideo est necesse quod homo credat alicui de iis quae perfecte non potest scire per se. Sed nulli est credendum sicut Deo ita recte, et ideo illi qui non credunt dictis fidei non sunt sapientes, sed stulti et superbi... Potest etiam responderi, quia Deus probat quod ea quae docet fides, sunt vera. Si enim rex mitteret litteras cum sigillo suo signatas, nullus auderet dicere quod illae litterae non processissent de

(1) Cf. Bellarminus *De Controv. Christ. fidei* t. 2, 1^a^ *Controv. gen.* l. 4. c. 4. — (2) *Confess.* l. 6, c, 5. M, 32, 722. — (3) *Opusc.*, vii (Vives 27) c. 1.

regis voluntate. Constat autem quod omnia quae sancti crediderunt et tradiderunt nobis de fide Christi signata sunt sigillo Dei: quod sigillum est illa opera quae nulla creatura facere potest: et haec sunt miracula, quibus Christus confirmavit dicta Apostolorum et sanctorum ».

Contra secundam difficultatem haec idem Angelicus: « Constat quod totus mundus colebat idola, et fidem Christi persequebatur, sicut Imperatorum et Regum historiae tradunt; sed modo omnes conversi sunt ad Christum, sapientes et magnates, per praedicationem pauperum et paucorum praedicantium Christum. Aut ergo hoc est miraculose factum, aut non. Si miraculose, habes propositum. Si non, dico quod non potuit esse maius miraculum quam quod mundus totus sine miraculis converteretur. Certius ergo credendum est his quae fidei sunt quam his quae videntur: quia scientia Dei nunquam fallitur, sed visus hominis aliquando decipitur ». (1) Tertullianus eadem scribit (2): « Adspice universas nationes de voragine erroris humani exinde emergentes ad Deum Creatorem, et ad Deum Christum; et si audes, nega prophetatum ».

***

Concludamus propterea: *a)* Actum fidei rationabilem esse; *b)* credentes propter credibilitatis motiva quae veritates fidei *evidenter credibiles* reddunt, rationabilitér credere; *c)* merito a Pio X *(Syll.* Prop 25) damnatum fuisse Modernistarum errorem « Assensus fidei ultimo innititur in congerie probabilitatum ».

Friburgi Helvetiorum.

P. Reginaldus M. Fei O. P.

(1) Dante *(Paradiso* 24, 106-8) canit: *Se il mondo si rivolse al Cristianesmo, - Diss' io, senza miracoli, quest'uno - È tal che gli altri non sono il centesmo* ». — (2) *Advers. Marc.* l. 3. c. 20. M. 2, 378.

SELECTA EX BIBLIOTHECIS ET ARCHIVIS

De lectione atque interpretatione auctorum Linguae Latinae

Lectionem inter illa subsidia ponimus, quae perficiunt iter ad vetus Latium, quoniam quidquid elegantia Latini sermonis sinu suo complectitur, legendo optima et culta monimenta adsequimur. Cicero *(de Orat.,* III): « Omnis loquendi elegantia - inquit - quamquam expolitur scientia litterarum, tamen augetur legendis orationibus ac poetis ». Et Quinctilianus (lib. XII *Inst.*): « Nobis copia cum iudicio paranda est, vim orandi, non circulatoriam volubilitatem spectantibus: id autem consequimur optima legendo ».....

Legendi studium varium diversumque est, sive respicias ad diversa genera monimentorum, quae leguntur; sive ad diversam rationem ipsius lectionis: ipsa monimenta continent res et verba, ex quibus etiam capi potest duplex fructus, quorum alter est rerum, alter verborum, de quo posteriori in praesenti sumus solliciti.

Lectio, quae ob verba suscipitur, iterum triplex est: vel legimus aliorum scripta, ut inde accipiamus verborum copiam, quae lectio dici potest « grammatica »; vel ut adsequamur orationis vim atque elegantiam, quae lectio est « stili purioris »; vel ut philologiam accuratius cognoscamus, quae lectio vocatur « philologica ». Integro hoc opere stilus purior nobis curae est, quam ob rem de secunda lectionis specie in primis disputabimus, ea autem praescripta lege, ut primam ab ea haud seiungamus, quum utraque arctius coniuncta, nec secunda primae auxilio atque ope carere queat.

***

Primum igitur considerandum est quinam ex tam multis latinae linguae auctoribus sint legendi; de quo et olim et hodie non eadem omnium fuit sententia. Quinctilianus (lib. X, c. I): « Quidam solos veteres legendos putant, neque in ullis aliis esse naturalem eloquentiam et robur viris dignum arbitrantur: alios recens haec lascivia delitiaeque, et omnia ad voluntatem multitudinis imperitae composita delectant! »

Sunt illi varii generis et differunt primum ratione aetatis: dantur scriptores linguae latinae, quos vetus et recentior aetas tulit; qui ergo ex illis ad lectionem imitationemque trahendi sint, nunc disquirendum est.

Controversia inter clarissimi ingenii viros agitata huius loci non est, num veteribus eruditis recentiores, an veteres recentioribus cedant. Namque de lingua veterum Romanorum disputamus, quorum auctores antiqui praeferendi sunt recentioribus, quoniam illi fons sunt atque origo, ex qua hi omnia latina sua petierunt; consultius autem est ipsos fontes adire, quam sectari rivulos, et dulcius ex ipso fonte bibuntur aquae, quod tritum nec a veritate alienum est proverbium. Nihilominus recentiores cum veteribus coniungendos esse existimamus, partim, ut cognoscamus, quomodo illi veteres sint imitati, et ex illorum exemplis discamus adplicare et ad usum adferre, quae in ipsa latinitate profecimus; partim quia recentiores auctores viam ostendunt ad habitum de illis rebus dicendi, de quibus nostra aetate loquendum est, comparandum, quarum magna est copia, quae veteribus auctoribus fuerunt incognitae. Ubi adolescentes ad solos vetustiores scriptores accedunt, discunt quidem de rebus bellicis, civilibus similibusque latine loqui; sed quando dicendum est de argumentis aliis, quae aevi nostri sunt propria, nesciunt quomodo eleganter quae cogitant sint exprimenda; sed tamen eiusmodi recentioris aevi scriptores eligamus, qui veteris latini ac puri sermones laude celebres imitati sunt, et illorum copiam, vim atque elegantiam expresserunt, quorum ingeniorum aetas et patrum et nostra ipsa ferax fuit.

***

Sed in « argumentis » etiam inter scriptores est discrimen: alii sunt auctores orationum, alii epistolarum,

(1) Adde lib. II, c. V.

alii historiarum, alii rerum philosophicarum, quae diversa argumenta faciunt, ut stilo quoque ac dicendi forma differant. Consultum est, quodvis horum scriptorum genus cognitum sibi reddere, ac rectum ordinem in evolvendis illis accurate servare; qui generatim in eo consistit, ut cum ad argumenta, tum dicendi genus advertamus animum, et prius versemur in libris historiarum, quam philosophiae; prius in libris epistolarum, quam orationum. Bene agit qui in latinitate studet proficere, si varii generis scriptores sibi reddat familiares, quoniam ex libris historicorum percipit nativas vocum significationes; rhetorum metaphoricas et translatas; philosophorum stilum philosophicum. Characteres suas habent regiones, quibus circumscribuntur, et constitutis finium rationibus differunt, et verborum usu et elocutione alii ab aliis separantur: omne dicendi genus suo et proprio charactere definitur, a quo in multis dependet cultus Eorationis. tenim in charactere oratorio inest plus dignitatis et maior verborum delectus, nitorque dictionis requiritur, quam in philosophico, in quo est oratio simplex et subtilitati congruens, non copiosa admodum, neque ornata. Hoc modo pura oratio dicitur, quae propria est et veritate contenta, non laborat de copia et ubertate, nec suavitatis gratiam captat, sic tamen, ut vitii expers sit, et remota ab omni impuritate, quae sermonem vitiat et latinam loquendi munditiem corrumpit.

⁂

Accedit « dicendi genus », quo itidem auctores latinae linguae discrepant: alii utuntur sermone ligato, ut poetae; alii vero soluto. Poetae omnimo coniungendi sunt cum solutis scriptoribus; quoniam poesis latina multum facit ad culturam et conservationem ipsius linguae: poetae solliciti sunt de epithetis, quae congruant, de similibus et aptis descriptionibus, de veris synonymis, unde copia verborum, item de accentu. Quantum poetae contulerint ad linguam hanc conservandam, patet ex historiarum monimentis: ab Ennii temporibus poetae primi fuerunt, qui latinitatis cultum susceperunt, saltem tentarunt; quumque soluta oratio amitteret suam auctoritatem dignitatemque, poesis restitit barbariei.....

Praeter haec lectio poetarum alumnis latinae linguae vel ideo necessaria est, ut rationem latinitatis poeticae curatius perspiciant, et id quod bonum sit, ad suum usum adferant, malum autem fugiant: is autem cum fructu legere potest ligata monimenta, qui in latinitatis studiis iam eas progressiones fecit, ut valeat facultate discernendi ac iudicandi, quid sit elegans ac horridum, quid castum purumque ac barbarum.....

Verum quum character poeticus a soluta oratione maxime differat, maturo debet reservari ingenio: nemini est facultas utendi omnibus verbis in classem poetarum descriptis, quae latina quidem sunt, sed prosae dignitatem non semper tuentur. Sunt locutiones, quae in prosa nitore aliquo minus dignae sunt; in ligata vero fulgent, veluti propriae poetarum et lumina carminum; ipsi poetae propter diversas dicendi rationes et formas distinguendi et alii aliis praeferendi sunt, ac interdum granditatis quoque causa imitandi.

⁂

Denique in latinae linguae auctoribus deprehendimus « diversitatem stili », qui est modo circumductus, modo concisus aut mediocris. Item alii utuntur charactere sublimi ac magnifico; alii humili, aut eo, qui inter utrumque priorem mediam tenet rationem. Huius quoque discriminis ratio habenda est in perlegendis veterum monimentis: quumque caracteres circumductus, mediocris et concisus multum dependent ex indole ingenii auctorum, nec quodlibet ingenium ad hoc, vel illud scribendi genus aptum, necesse est, ut heic ad captum nostrum monimenta veterum adcommodemus: quamquam ingeniis haud maturioribus heic aliquid dandum est, quibus sufficit, vim et copiam sermonis percepisse; confirmati vero atque exercitati primo latinae linguae studio animum quoque ad characteres hos convertere debent.

In altero stili discrimine id observandum, ut primum iuvenibus scriptores stili humilis, deinde mediocris, tum sublimis praelegamus. Summa stili virtus continetur in castitate. Linguae fata sua habent, id est per aliud tempus coluntur, et sunt nobilissima pectora, quae castitatem earum custodiunt; per aliud vero exulant quasi, nec quisquam est qui consulat illarum elegantiae ac nitori, ut ista sarta tectaque conservetur. Quo fit ut barbarae saepe dictiones invehantur, et ipse dicendi mos, cuius elegantiae nullam operam dant, ita corrumpatur, ut loquentes inter barbaras gentes educati videantur. Quum eadem fata subierit Romanorum lingua, necesse fuit auctores in classes et ordines dividere, ut pateat quantum quisque in probanda latinitate valeat; proinde quoniam scriptorum Romanorum alii scripserunt pure, alii vitiarunt immunditie sermonem suum, decet prudentem tersioris stili Romani cultorem duces optimos sectari, quos praecipue aetas aurea atque argentea tulit. Quodsi solos auctores saeculi aurei sequi vellemus, latinitas sane angustis circumscripta esset limitibus; nec lumen in aetate argentea erat extinctum, quo floruerunt viri suo dicendi genere atque eleganti linguae usu clarissimi. Sed qui adolescentibus commendant monimenta eo tempore edita, quo latinus sermo remisit de pristino vigore atque elegantia, immo ipsa latinitas penitus cecidit, minus rebus scholasticis prospiciunt.

Alia est illorum ratio, qui ita in his studiis profecerunt, ut sibi ipsis possint consulere, ac facultate bona a malis discernendis sint praediti. Hi ubi operam dant philologiae Romanae, in his monimentis, licet sint barbara atque horrida, evolvendis versantur, ut videant quo misero casu ceciderit latinitas, ac quid de pristina pulchritudine sensim amiserit; sed illorum magistrorum temeraria et noxia docendi ratio reiicienda, ac veluti pestis scholarum fugienda est, qui promiscue auctores, sive puri sint atque elegantes, sive minus, adolescentibus explicant.

Quum Tiberius vocem non satis latinam vellet usurpare, intercessit Marcellus, et: « Tu - dixit - Caesar, civitatem dare potes hominibus, verbis non potes ». Adriano, de Romana lingua reformanda cogitanti, Favorinus grammaticus cessit quidem, sed ita, ut testa-

retur non iure quidquam nova moliri in sermone latino, sed vim ei inferre... (1) Tanta olim puri atque incorrupti sermonis cura fuit!

Io. Ge. Walchius.

(1) Spartianus in *Vita Adriani*, c. xv.

ELEGIA (1)

Exsultans animis pravaque cupidine ductus
Impius accumulet crimina criminibus.
Ast illum horrendum densa inter nubila fulgur
Accensum flammis sternere iam properat.
Dum Catilina parat flammis consumere sacram
Arcem, urbemque audet perdere Martis opus;
Dum gladios acuit regni malesuada cupido
Quo Tibris flueret sanguinolentus aquis,
Detegit insidias consul belloque cruento
Prostratus patriae proditor occubuit.
Clodius ille deûm spretor legumque peremptor
Saevit, nulla hominum vis cohibere potest.
Terribili at splendet ferro iam dextra Milonis,
Corruit et patriae pestis et opprobrium.
Ecce Iugurtha audax regno sceptroque potitus
Progreditur spoliis quae tulit ante tumens;
Sanguineae ast umbrae fratrum quos perdidit ille
Tradidit et turpi proditione neci,
Ceu fera spectra agitant meditantem crimina, fraudes,
Dum partae praedae complacet ille sibi.
Devictum Marius Capitolia ad alta Iugurtham
Ducit et infestum scinditur ense caput.
Namque superveniet sera aut cita poena scelesto
Quae nunquam illius tergora deseruit.
Ac veluti cerva inclusam venator anhelus
Quam forte immissis retibus insequitur,
Infelix tandem volucri percussa sagitta
Occumbens mordet sanguinolenta solum,
Impius haud aliter meruit quas crimine poenas
Persolvit tandem suppliciumque subit.
Nec patitur Caeli regnator tempore multo
Implicitam vitiis vivere progeniem.

M. Galdi.

(1) Cf. Horat. lib. III, od. 2:

« Raro antecedentem scelestum
Deseruit pede Poena claudo ».

Hinc mea qualiscumque elegia originem repetit.

Archaeologicae res

De architectonica sepulcralium apud Christianos anaglyptorum forma eiusdemque origine (1).

Ut cuilibet monumenta vel leviter intuenti patet, sarcophagorum Christianorum forma, ante pacem Ecclesiae, haud multum, et aliquando minime, differt ab ea quam ethnici sarcophagi praebent: externa capsae superficies, quoad anaglyptorum ordinationem, ita plerumque dividitur et componitur, ut, praeter ac super principalem altitudineque maiorem sculpturarum seriem, zona seu fascia quaedam oblonga, quam Atticam vocant, figuris minoribus et ipsa exornata, iuxta oras operculi currat.

Idem est de Postconstantinianis sarcophagis dicendum; sed decorandam superficiem dividendi modus in his varius fit, propter sollicitudinem quam artifices habent multas in angusto spatio res repraesentandi. Quum nempe sarcophagi essent interdum in effossis apud parietes loculamentis disponendi, latus illud quod oculis obiiciendum erat, tantummodo exculpebatur; tunc vero in Attica zona ampliabatur, ut duplex aliquatenus, non autem unicus sarcophagus saepe videretur.

Inscriptio aut in media Attica fascia, aut in sarcophago incidebatur medio, ubi clypeata, hoc est in orbiculato concavoque spatio dimidia, imago defuncti saepe cernebatur; quae etiam inter aulaca seu vela apparens effingebatur nonnunquam.

Ceterum, perinde ac apud ethnicas arcas, columnae, arcubus vel trabibus colligatae, sarcophagorum Christianorum faciem haud raro dividebant, et in eiusmodi quasi porticulis seu spatiolis dispertita exstabant anaglyptica argumenta. Columnarum denique in locum arbores quandoque substituebantur, inter quarum frondes et ramos columbae volitantes aliaeve cum nidis aves pulchre erant insculptae.

Haec praecipua lineamenta generatim ubique perstiterunt; praesertim Romae, Ravennae atque in ceteris Italiae regionibus, necnon in Galliis, in Hispania, in Africa, in Asia; sed unaquaeque regio aliquid proprium in illa sarcophagorum exhibet arte, sive circa operculi capsaeque formam, sive circa peculiares argumentorum repraesentatorum notas.

Sunt qui, in sculpturae apud priscos Christianos primordiis determinandis, plus quam satis est Orienti adscribant, et, ad proprias opiniones tuendas, tum naturam adhibitorum marmorum, tum rerum effictarum fontes et effingendi genus, quasi certissima testimonia allegent. De his, pro opportunitate, erit suo loco dicendum; tamen nonnulla hic et nunc animadvertere proderit.

Profecto, haud secus atque innumera alia, non secus praesertim ac metalla, frumenta, escaria et vestiaria

(1) Ex novissimo cl. auctoris opere, quod proxime prodibit.

quaedam, ex exteris certum est undique regionibus, potissimeque interdum ex Orientalibus, marmora Romam fuisse invecta. Graeca, ut videntur, vel Asiatica fuerunt ea quibus Christiani ad sua claudenda sepulcra sunt usi. Graecum etiam Romanorum plerumque sarcophagorum marmor esse invenitur.

Asiaticis denique, Graecis et Africanis marmoribus templa domusque saepius, Romae et alibi in Italia, decorandi mos erat, ac nota sunt illa Horatii verba:

Non trab s Hymettiae
Premunt columnas ultima recisas
Africa . . . . . (1)

Sed ex marmorum sic in Italiam, aut in alias Occidentales regiones, transvectorum origine, originem quoque deducere huius proprii et specialis sculpturae generis, quo, in istis marmoribus exsculpendis, operarii Christiani ibidem enisi sunt praecellere, quantum futile sit et incertum quis non videt?



Sepulcra viae Appiae antiquae apud aediculam "Quo Vadis?,,
(Restitutio architecti CANINA).

Neque magis rem conficiunt qui ex arte Orientali structuram formamve Christianorum anaglyptorum ortam esse asserunt, eo quod Romae plures Asiatici sculptores, a primo ad quartum usque saeculum, floruerint (2). Ex omnibus equidem gentibus confluebant in Urbem artifices, ipsaque revera Romana ars nonnihil Graeca venustate est aucta; sed neque Graeca proinde omnino facta est, nec Etruscam indolem prorsus amisit. Proprium quid nempe semper illi fuit, quod ceteris mundi nationibus largita est. Si vero absonum est dicere ethnicae apud Romanos sculpturae artem quidquid industriae habuerit ab Orientali arte primitus et penitus accepisse, cur minus temerarium sit tale de Christiana in sepulcralibus sculptura affirmare?

(1) HOR. *Od.* seu *Carm.* lib. 11, 12, vv. 3-5.

(2) Plures revera ex Oriente artifices in Italiam venerunt, quorum tres Flavium nomen habuere: Flavius Zeno, Flavius Chryseros et Flavius Andronicus, omnes ex Aphrodisia, e qua etiam Menestheus quidam et Atticianus fuerunt. Cf. BRUNN H. *Geschichte der griechischen Künstler*, 2 Aufl: 1, p. 400-402; *Bullettino della Comm. arch. comunale*, Roma, 1886, p. 322.

Nihilominus Ioseph Strzygowski, decem abhinc annis, sarcophagos, quorum anaglypta columnis ac porticibus distincta fuerint, Asiaticam habuisse scripsit originem. Egregius nempe hic auctor intercolumnia tamquam locus, vel cellas quasdam reputat, et ubicumque capitula carduo potius quam acantho sunt ornata, interque illa et fastigium adest orbiculatum quoddam corpus intermedium, quo ipsum nititur fastigium, haec minime Romanum ingenium, sed Asiaticum omnino sapere contendit genus, cuius verissimum et absolutissimum tamquam exemplum cuiusdam sarcophagi fragmentum, hodie in Berolinensi museo asservatum indicat. (1)

Verum enimvero quid, qualibet aetate, communius, quam porticus columnaeque sarcophagi anaglypta distinguentes? Neque dicendum intercolumnia veluti cellulas esse, seu aliquatenus tabernacula, ideoque Orientalis prorsus originis. Egregius Mendel satis demonstravit hic minime agi de cellulis, sed de plana superficie ornamentis divisa (2). Idem praeterea nobis persuadetur, eo quod huiusmodi divisiones quandoque arborum, vice columnarum, inductione obtinentur. Ceteroquin, etiamsi artifices vere intercolumnia illa quasi cellas effingere voluissent, Romae etiam in hoc quid novi? Antiquissima talis modi exempla, et in Urbe et in Occidentalibus provinciis, invenire haud difficile est. Nec mirum magis ibidem in capitulis, loco spinosi acanthi, cardum videre. Orbiculati aliunde, seu sphaerici, illius adiuncti, quod inter capitella et fastigia interiectum nonnunquam deprehenditur, vetustiora Romae quam in Oriente specimina haberi possunt. Dum enim huiusce structurae anaglypta in Oriente inventa tertio plerumque, vel etiam, ut Berolinensis musei fragmentum (3), quarto assignantur saeculo et etiam quinto, quaedam, quae in Occidente fuerunt reperta, utique a peritissimis quibusque viris agnoscuntur saeculo secundo adscribenda.

Non ergo Occidentalium sarcophagorum cum Orientalibus sarcophagis similitudo, quasi quid decretorio modo enodet, tanti est facienda!

Potiusquam sic plurima per coniecturam congerant (4),

(1) I. STRZYGOWSKI, *Oriens oder Rom*, Leipzig, 1901, p. 40.

(2) MENDEL, *Le musée de Konia*, ap. *Bulletin de correspondance hellénique*, 1902, p. 232. — Mendel argumenta rem prorsus conficiunt ac plerisque probantur; nihilominus hanc aut illam rationem Strzygowskianae sententiae vindicare adhuc conantur nonnulli, illi scilicet qui vulgo Orientalistae audiunt. Confer, exempli gratia, A. MUNOZ, *Sarcofagi asiatici*, ap. *Nuovo Bull. di arch. crist.* Roma, 1905, p. 79-102, et 1907, p. 301-310.

(3) Fragmentum hoc quarto generatim saeculo tribuitur; Reinach unus illud ad tertium spectare saeculum contendit *(Le sarcophage de Sidamara, Monuments Piot*, 1902). Alioquin alii non desunt qui saeculo quinto vel etiam sexto illud adscribant.

(4) Ad initium saeculi tertii pertinet Alexandri Severi eiusque matris Mammeae sarcophagus, qui in museo Capitolino asservatur; ad secundum vero referuntur quidam sarcophagus nunc Florentiae in palatio Riccardi expositus, et quoddam sarcophagi fragmentum, quod in museo Vaticano conspicitur (W. AMELUNG, *Die Sculpturen des Vaticanischen Museums*, 1, p. 524).

(5) Cf. *Nuovo Bull.* 1905, p. 79-102.

archaeologi illi qui, Strzygowski sententiam secuti, sarcophagorum spatiolis inter columnellas seu, ut aiunt, cellulis tantum momenti tribuunt, undenam et in Orientalibus anaglyptis cellularum illius speciei usus depromptus fuerit, saltem exquirere et explicare debent. Porro,



Iunii Bassi sarcophagus in cryptis Vaticanis asservatus.

si mihi quid sentiam exprimere liceat, morem illum e Romanorum aliquorum sepulcrorum forma profluisse libenter dicam. Revera enim, licet paucissimae, apud Romae suburbia, nobis integrae maneant aedes funerariae, primaevam tamen monumentorum, quae iuxta vias consulares sita erant, formam e nudis ruderibus haud raro deprehendere fas est; nec quisquam negabit genus ibi quoddam exstitisse sepulcrorum, quae cellulis, sive parvulis absidibus, ita exterius munita erant, ut eorum imaginem aliquatenus sarcophagi nostri redderent: sic, exempli gratia, sepulcrum quod Priscillae vocant, quodque in dextero viae Appiae latere contra ecclesiam *Quo Vadis?* vulgo appellatam, surgit; sic et aliud in sinistra parte eiusdem viae, paullo ulterius. Hic parvae absides seu concavae cellulae evidentissime apparent; monumenta vero ambo ad primum saeculum spectant. Curnam igitur, tali in nonnullis circumcirca sepulcris absidum seu cellularum serie conspecta, sculptores, in sarcophagorum quoque anaglyptis elaborandis, aliquam cellularum absidumve minutarum seriem adhibendam interdum non excogitarunt?

Christiani artifices, qui quidem ante pacem Ecclesiae, ut animadvertimus, in anaglyptis exsculpendis mere profana et indifferentia, ruralia scilicet marinave argumenta, potissimum usurpaverant, pace denique stabilita, ipsas biblicas historias, iam subterraneis in sepulcris depingi solitas, in sarcophagis sub dio et apud basilicas expositis effingere coeperunt. Si vero qualis fuerit, quod attinet ad industriam exsecutio operis inspicere velimus, notandum est talia non infabre et quasi praepropere, ut in hypogeorum picturis plerumque, sed exquisitissimo scalpro, itemque cum diuturna accuratissimaque sedulitate, fuisse confecta. Quantam autem eiusmodi ars cum pulcherrima Graeca Romana Antoninorum aetatis arte habeat congruentiam, exempla tabulis relata aperte satis demonstrant. Immo notandum est ipsis ethnicis eiusdem temporis sculptilibus Christiana anaglypta venustate longe praeminere. Qui hoc sibi prorsus compertum fieri cupit, sarcophagorum nostrorum imagines cum pluribus Constantiniani arcus ectypis imaginibus solummodo conferat.

Haec tamen praestantia parum duravit; nam post medium quartum saeculum, simul cum perfectione formae, quaelibet in disponendis ac rite inter se ordinandis anaglyptorum argumentis peritia pessum ivit ita, ut plerosque opifices nec iam artis regulis attendisse, nec amplius symbolicarum repraesentationum sensum deprehendisse, libenter dixerim.

P. Xystus Scaglia O. C. R.

Litterae cl. v. Theodori T. Chave de accepto numismate ad eum a " Voce Urbis „ praemio misso.

Ad Societatem Editricem Romanam.

Viri honestissimi,

Numisma argenteum, quod mihi iudices ob commentationes in " Voce Urbis „ anno MCMX *publicatas tribuerunt, hodierno die, qui erat a. d.* XII *kal. Mart., in manus meas rite pervenisse scitote, cuius in rei testimonium hasce acceptilationis litteras statim remisi.*

Interim ac semper vester et " Vocis Urbis „ totus usque persevero

Chicagine, *6544 Washington Avenue*

Theodorus T. Chave.
B. A. (Colo).

EX ITALIS URBIBUS

De magno artium certamine insigniter Augustae Taurinorum indicto

Quamquam forte me nunc rem actam agere incusas, nolo tamen tibi, candide lector, silentio praeterire quid Taurinenses, abhinc iam aliquot menses, ampla artificum contentione ingeniorumque gerere nituntur. Et si in dies mens mihi optime cedat, fusius me de cunctis singulisque rebus scripturum esse promitto.

Constat enim apud omnes, hanc Subalpinorum civitatem iamdiu publice pro viribus contendere, ut mox

possit cum ceteris gentibus vel de bonis artibus, commerciis inventisque certare. Hinc factum est ut praesens Taurinensium certamen, insignem quoque inter exteras nationes contentionem excitaverit.

Quomodo vero Subalpini praesumunt hoc novum sumere bellum? Valebunt illud sustinere vires humerique? Nunquam antea profecto Subalpinorum expolitioni tam insigniter prospectum fuit, quam istis proximis labentibus annis, ita tamen, ut nostri olim homines, propulsandis belli periculis unice intenti, positis militaribus rebus, mansuetiores artes quam militaria studia malint.

Haud equidem nesciunt pueros cum gigantibus contendere; multi tamen hominum voluntatem maximis laudibus extollent, omnes generosiora conamina.

Hinc iuvat confidere, quotquot mox Augustam Taurinorum pervenerint, grande artium certamen invisuri, iudicare posse ac profiteri cives nostros non minus quam bello, pacis artibus claros aliquando futuros. Quod maxime laudandum mihi esse videtur, non modo Italos ad hoc gloriae luctamen Augustam nostram, propositis praemiis allexisse, sed quotquot sunt Europae gentes, artibus novisque iuventis clariores, ut in contentionem cum Italis intenderent.

Ac propterea si primum nostris res ipsa nova optime placuit, mox timor exitus omnes incessit, animosque ancipites reddidit, et demum, ob nimiam hisce praesertim temporibus harum rerum consuetudinem, mediis in conatibus spem prope interrupit.

Postea vero, ut saepe fit apud mortales, adnitentibus iterum intelligentioris ingenii viris, quibus res omnis concredita fuerat, quibusque mos semper fuit manus ad rem tenaciter admovere, eamque ad finem usque perducere, spiritus resumere, nutantibus robur ac constantiam imponere, currentibusque calcaria addere, ut omni interposita mora, rem universam absoluturos esse confidant.

Tunc extemplo, unanimes opus adgrediuntur, eo tamen consilio ut alacres omnia apte conficiant atque profligent. Et tute videbis, quam pulcra, quam elegans, deliciisque affluens, hinc inde secus Eridani ripas nova conditur civitas. Quam apte Vergiliana carmina mutuaveris...

Miratur molem... magalia quondam!
Miratur portas, strepitumque et strata viarum...
Instant ardentes... pars ducere muros
Molirique arcem!

Hic locus Italis designatur. Vide quot Mediolanensium ingenia! Vide, sis, Venetorum, Genuensium conatus! Florentinorum! Illic Germania portendit sua inventa, illic Gallia atque Anglia. Quae rerum species, pulchritudo, qui ingenii vigor!

Sed quorsum haec? Iuvabit in primis tot rerum causam in medium referre, et cur hoc anno labente, et Augustae Taurinorum itemque Romae. Quamquam infandum moerorem nonnullis adferre possum, haud dicere recusabo.

Erat annus octingentesimus primus et sexagesimus supra millesimum, quum rerum Italicarum arbitrium obtinebat Camillus Bensus Comes a Caburro in Subalpinis. Hic ingenio audax, eloquentia praeditus, in subeundis periculis promptus atque valens, ut dominum se se rerum ferens, nihil prius sibi faciendum putavit, quam ut omnes Italiae regiones in spem novam adsurgerent, et citra omnium fidem, adclamantibus insuper universae fere Italiae oratoribus popularibus Augustam Taurinorum adcitis, Romam regni caput solemniter indicere haud dubitavit.

Hinc memoriae rei gratia factum est ut Romae et in urbe Subalpinorum capite haec bina certamina indita sint.

Nec velim, candide lector, forte autumes nos huic rerum ordini undequaque accedere, et sine ulla exceptione oculisque clausis animo adhaerere. Rem historicus narro. Namque utrum recte omnia gesta sint necne, et ipsi gravissimi iudicii viri contrariam sententiam promere ausi sunt.

Nobis est sermo de artium certamine, minime vero de magna rerum eversione, quae ab illis difficillimis temporibus in Italicam gentem manavit.

SUBALPINUS.

ACTA PONTIFICIA

MOTU PROPRIO

Sacerdotes Arnoldus Harris Mathew, Herbertus Ignatius Beale et Arthurus Guilelmus Howarth nominatim excommunicantur.

Gravi iamdiu scandalo, maximi animi moerore, vobis esse novimus sacerdotes *Herbertum Ignatium Beale* et *Arthurum Guilelmum Howarth* e clero Nottinghamensi qui, quae sua sunt non quae Iesu Christi quaerentes et aestu ambitionis abrepti, postquam penes acatholicos homines Episcopatus honore augeri non semel pertentaverint, eo temeritatis novissime progressi sunt, ut, voti compotes facti, Episcopalem consecrationem se recepisse Nobis arroganter nunciarint. Nec eorum nuncii authenticum defuit testimonium; nam qui sacrilegi huius facinoris princeps auctor fuit, pseudo-episcopus quidam *Arnoldus Harris Mathew*, litteris tumoris plenis ad Nos datis, illud plane confirmare veritus non est. Qui quidem insuper Archiepiscopi Anglo-Catholici Londinensis titulum sibi arrogare non dubitavit.

Ad vos igitur, primum, Dilecti Filii, de quorum religiosa et devota erga Nos voluntate semper et illustria testimonia excepimus, animum et sollicitudinem Nostram convertentes, vehementer hortamur in Domino ut ab eorum fraudibus et insidiis sedulo caveatis.

Dein vero, ne muneri Nostro deesse videamur, Decessorum Nostrorum exemplis inhaerentes, praefatam consecrationem illegitimam, sacrilegam atque omnino contra huius Sanctae Sedis mandata Sacrorumque Canonum sanctionem factam edicimus.

Supra nominatos, demum, sacerdotes *Arnoldum Harris Mathew*, *Herbertum Ignatium Beale* et *Arthurum Guilelmum Howarth*, ceterosque omnes qui nefario huic crimini operam, consilium, consensum praebuerunt, auctoritate Omnipotentis Dei, excommunicamus, anathematizamus atque ab Ecclesiae communione segregatos ac prorsus schismaticos habendos et a Catholicis universis et praesertim a vobis vitandos esse praecipimus et solemniter declaramus.

Quam acrem quidem sed omnino necessariam medicinam adhibentes, vos pariter, Dilecti Filii, adhortamur ut fervidas preces vestras Nostris adiiciatis, Deum obsecrantes ut hos infeliciter errantes ad Christi ovile et ad salutis portum misericorditer dignetur reducere.

Quod ut efficacius, Deo adiuvante, consequi possitis, Apostolicam benedictionem vobis ex animo impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XI Februarii MCMXI, Pontificatus Nostri anno octavo.

PIUS PP. X.

— Apostolicis litteris d. d. XXVII mens, Ianuarii MCMXI SSmus. Scotiae regni fidelibus concedere et largiri dignatus est, ut, Quadragesima exclusa, in Sabbatis quatuor anni temporum, et in iis Vigiliis, quae vel feriam sextam, vel alium abstinentiae diem immediate praecedant aut sequantur, carnibus vesci libere liciteque possint ac valeant; in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

EX SACRIS CONGREGATIONIBUS ROMANIS

SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE

Ex Congregatione S. Officii (*Sectio de Indulgentiis*).

De Absolutione seu Benedictione Papali Tertiaris impertienda.

Quo facilius Tertiarii ex utroque sexu, cuiuscumque Ordinis, iis non exceptis qui vitam communem agunt, diebus statutis generalem Absolutionem seu Papalem Benedictionem recipere valeant, clementer S. D. N. Pius PP. X indulsit *in perpetuum*, ut, quoties ipsi ad hunc finem una simul convenerint, et Sacerdos, cuius est illa impertiri, quacumque ex causa, abfuerit, eamdem Absolutionem seu Benedictionem accipere possint a quolibet Sacerdote, sive saeculari, sive regulari, qui ad sacramentales confessiones audiendas sit approbatus. (Ex decr. d. XV mens. Decembr. MCMX).

De metallico numismate pro lubitu Fidelium sacris scapularibus ex panno sufficiendo.

Omnibus fidelibus, tam uni quam pluribus veri nominis atque a Sancta Sede probatis scapularibus (exceptis quae Tertiorum Ordinum sunt propria), per regularem, ut aiunt, impositionem iam adscriptis aut in posterum adscribendis, licet posthac pro ipsis, sive uno, sive pluribus scapularibus ex panno, unicum numisma ex metallo seu ad collum seu aliter, decenter tamen, super propriam personam deferre, quo, servatis propriis cuiusque eorum legibus, favores omnes spirituales (*sabbatino*, quod dicunt, scapularis B. M. V. de Monte Carmelo *privilegio* non excepto) omnesque indulgentias singulis adnexas participari ac lucrari possint et valeant. Huius numismatis pars recta SSmi. D. N. I. C. suum sacratissimum Cor ostendentis; aversa, Bmae Virginis Mariae effigiem referre debet. Idem benedictum esse oportet tot distinctis benedictionibus quot sunt scapularia regulariter imposita, queis, pro lubitu petentium, suffici velit. Singulae hae, demum, benedictiones impertiri possunt *unico crucis signo*, vel in ipso adscriptionis actu, statim post absolutam regularem scapularis impositionem, vel etiam serius, pro petentium opportunitate, non interest an servato vel non diversarum adscriptionum ordine, nec quanto post temporis ab ipsis, a quovis Sacerdote, etiam ab adscribente distincto, qui respectiva scapularia benedicendi sive delegata facultate polleat, firmis ceteroquin primitivae facultatis limitibus, clausulis et conditionibus. (Ex decr. d. XVI mens. Decembr. MCMX).

Declarationes. — *1.* Numismata a facultatem habentibus rite iam benedicta, etiam in posterum scapularium loco gestari poterunt, eo modo et sub iis conditionibus, quibus constitit factam esse potestatem. — 2. — Sacerdotes omnes, saeculares vel regulares, etiam conspicua fulgentes dignitate, ne amplius numismata sic benedicendi utantur facultate, quinquennio ab illa obtenta transacto. Poterunt interea, etiamsi scapularia respectiva benedicendi non polleant facultate, numismata ubilibet benedicere; ea tamen lege, ut sive quod ad statutas eorum attinet imagines, sive quod ceteras respicit conditiones, praescriptionibus in supra relato Decreto contentis omnino se conforment. — *3.* Qui porro subdelegandi praediti erant facultate, hac ipsa Decreti et Declarationum promulgatione, se illa noverint excidisse; satis enim per idem Decretum iam spirituali fidelium emolumento provisum est. (Die XVI mens. Decembr. MCMX).

Ex Congregatione de Religiosis.

De Religiosis servitio militari adstrictis.

I. In Ordinibus Regularibus, in quibus vota solemnia emittuntur, iuvenes, quos exemptos esse certo non con-

stet a servitio militari activo, scilicet ab eo servitio, quod ipsi primitus ad militiam vocati ad unum vel plures annos praestare debent, admitti nequeunt ad Sacros Ordines vel ad solemnem professionem, quousque non peregerint servitium militare et, hoc expleto, saltem per annum, iuxta infra dicenda, in votis simplicibus permanserint, servato quoad Laicos decreto *Sacrosancta Dei Ecclesia* die I Ianuarii MCMXI edito.

II. In institutis votorum simplicium iuvenes, de quibus in articulo praecedenti, ad vota dumtaxat temporaria admitti poterunt usque ad tempus militaris servitii; nec illis, dum militiae operam dant, professionem renovare liceat. A militari servitio dimissi cum fuerint, professionem iterum, saltem ad annum, emittent, antequam professionis perpetuae vinculo se obstringant.

III. Caveant autem iuvenes militiae servientes, ne sanctae vocationis donum amittant ac ea semper modestia et cautela conversentur, quae decet Religiosos viros. Quamobrem a locis et conventiculis suspectis abhorreant, a theatris, choreis aliisque spectaculis publicis abstineant; malorum commercium, lubricas conversationes, res a religione absonas, viros doctrinas suspectas profitentes, lectiones moribus aut fidei a S. Sedis dictatis contrarias ceteraque peccandi pericula evitent; ecclesias, sacramenta, quantum eis liceat, frequentare non omittant; circulos seu coetus catholicos ad animi recreationem et instructionem adeant.

IV. Ubicumque eorum statio ponatur, si ibi domus suae Religionis aut Instituti habeatur, eam frequentent et sub Superioris immediata vigilantia sint. — Si vero domus praedicta non adsit, vel eam commode frequentare nequeant, sacerdotem ab Episcopo designatum adeant, eius consiliis et consuetudine utantur, ut quando eamdem stationem deserere oporteat, testimonium in scriptis de observantia eorum omnium, quae in articulo praecedenti praescripta sunt, ab eodem accipere valeant. Quodsi sacerdos ab Episcopo designatus non habeatur, ipsi sibi eligant prudentem sacerdotem, statim indicandum Superioribus suis, qui ab Ordinario de moribus, doctrina et prudentia eiusdem sibi notitias comparabunt. Praeterea epistolarum commercium instituant ac, quantum fieri potest, sedulo persequantur cum suo respectivo Superiore aliove religioso seu sodali sui Instituti ad id designato, quem certiorem faciant de suae vitae ratione et conditione, de singulis mutationibus suae stationis et praesertim illi notificent nomen et domicilium illius sacerdotis, cuius consuetudine et directione utuntur, ut supra praescriptum est.

V. Superiores Generales aut Provinciales etiam locales, iuxta uniuscuiusque Instituti morem, per se vel delegatum sodalem (qui sacerdotali ordine sit insignitus in clericalibus Institutis) de vita, moribus et conversatione alumnorum, perdurante militari servitio, inquirere omnino teneantur, opera praecipue sacerdotis vel sacerdotum, de quibus supra, per secretas epistolas, si opus sit, ut certiores fiant, an ii rectam fidei et morum viam servaverint, cautelas supra praescriptas observaverint et divinae vocationi se fideles praebuerint, graviter onerata eorum conscientia.

VI. Cum a militari servitio activo definitive dimissi fuerint, recto tramite ad suas quisque religiosas domus remeare teneatur, ibique, si certo constet de eorum bona conversatione, ut in articulo praecedenti dictum est, praemissis aliquot diebus sanctae recollectionis, qui Institutis votorum simplicium addicti sunt, ad renovandam professionem temporariam admittantur; in Ordinibus vero Regularibus inter iuniores clericos seu professos, aut saltem in domo, ubi perfecta vigeat regularis observantia, sub speciali vigilantia et directione religiosi, pietate et prudentia commendabilis, qui in Institutis clericalibus sacerdos esse debet, collocentur. In eo statu integrum tempus (quod minus anno esse non poterit iuxta dicta in articulis I et II) ad tramitem Apostolicarum Praescriptionum et propriae Religiosae Familiae Constitutionum praemittendum votis solemnibus vel perpetuis, complere debent, ita tamen ut computetur quidem tempus in votis simplicibus vel temporaneis transactum a prima votorum emissione usque ad discessum a domo religiosa, servitii militaris causa; non vero quod militiae datum fuit.

VII. Eo tempore, studiis et regulari observantiae dent operam; Superiores autem immediati ac sodales iuniorum directioni praepositi eos diligentissime considerent, eorum mores, vitae fervorem, placita, doctrinas, perseverandi studium perscrutentur, ut de eis ante ultimam professionem maioribus Superioribus rationem sub fide iuramenti reddere valeant.

VIII. Si qui, perdurante militari servitio vel eo finito, antequam ad professionem solemnem aut perpetuam admittantur, dubia perseverantiae signa dederint, vel praescriptis cautelis militiae tempore non obtemperaverint, aut a morum vel fidei puritate deflexerint, a Superiore Generali de consensu suorum Consiliariorum seu Definitorum dimittantur, eorumque vota ipso dimissionis actu soluta habeantur. Quodsi ipsi iuvenes a votorum vinculo se relaxari desiderent, aut sponte petant, facultas fit Superioribus praedictis, tamquam Apostolicae Sedis delegatis, vota solvendi, si agatur de Institutis clericalibus: si vero res sit de Institutis laicorum, vota soluta censeantur per litteras Superiorum, quibus licentia eis fit ad saeculum redeundi.

IX. Hisce praescriptis teneantur etiam Ecclesiasticae Societates, quae, licet non utantur votis, neque solemnibus neque simplicibus, habent tamen simplices promissiones, quibus earum alumni ipsis Societatibus adstringuntur.

X. Si quid novi in hoc Decreto non praevisum, vel si quid dubii in ipsius intelligentia occurrerit, ad hanc S. Congregationem in singulis casibus recurratur.

(Ex Decr. *Inter reliquas* d. I mens. Ianuarii MCMXI).

Quis dives? qui nihil cupiet. — Quis pauper? avarus.

BIAN.

DIARIUM VATICANUM
(Mense Februario MCMXI).

Coram SSmo admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites aliosque viros, qui sui quisque muneris gratia Pontificem de more adiverunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: Baldeschi, Comes, eiusque familia; Stanislaus Medolago-Albani, Comes; Pastor doctor, moderator Austriaci Instituti ad historica studia Romae provehenda; Maria ex Ducibus Salviati; De Borchgrave, dynasta; Grosoli-Pironi, Comes; Carmelus Aranjo, doctor, novus administer cum omni potestate Columbianae Reipublicae apud Apostolicam Sedem; Christina ex Urbanis Principibus Giustiniani Bandini; Maria De Gregorio Sorrentino, Marchionissa; Schoenberg Roth Schoenberg, dynasta; Alafridus Brandillart, Catholici Instituti Parisiensis rector; Iosephus Figueroa Alcosta, Argentinae Reipublicae quondam praeses.

Pontificiae electiones.

Nominationes episcoporum. — SS. D. N. Pius PP. X per decretum S. Congregationis Consistorialis elegit: r. d. Gulielmum Kloske, presbyterum archidioecesis Guesnen. et Posnanien., canonicum in metropolitana ecclesia Gnesnensi, rectorem seminarii clericorum ac officialem in temporalibus Consistorii generalis Gnesnensis, in episcopum tit. ecclesiae Theodosiopolitanae; r. p. d. Ignatium Rieder, Salisburgensis archidioecesis, professorem ac doctorem in facultate theologica, antistitem urbanum, in episcopum tit. ecclesiae Surensis et in Auxiliarem E mi. archiepiscopi Salisburgensis; r. d. Michaelem Faulhaber, dioecesis Herbipolensis, in sacra theologia doctorem et facultatis theologicae in Universitate Argentinensi professorem, in episcopum cathedralis ecclesiae Spirensis; r. p. d. Iosephum Schrembs, dioecesis Grandormensis ibique Vicarium Generalem, Praesulem Domesticum Sanctitatis Suae, in episcopum ecclesiae tit. Sophenensis et in Auxiliarem episcopi Grandormensis.

Brevi Apostolico r. d. Nicolaus Marconi, episcopus renuntiatarius dioec. Pulaten., episcopus tit. dioecesis Theodosiopolitan. renunciatus est.

Nominatio Praefecti Apostolici. — R. p. Ildefonsus Lanslots e Congregatione Cassinensi Ordinis S. Benedicti Primaevae Observantiae, Praefectus Apostolicus noviter erectae Praefecturae Apostolicae de Transvaal Septentrionali creatur.

— Rr. Pp. Dd. Thomas Carr, archiepiscopus Melburnen.; Iacobus Corbett, episcopus Salien.; Petrus Berrutti, episcopus Viglevanen.; Iosephus Capecci, episcopus Alexandrin. Statiellorum; Sebastianus Pifferi, archiepiscopus de Plata, inter episcopos Pontificio Solio adstantes adnumerantur.

— R. p. d. Alexander Bavona, archiepiscopus Pharsalen., Apostolicus Nuntius in Brasilia, ad eodem munere fungendum mittitur apud Austrorum Hungarorumque imperium.

COLLOQUIA LATINA

Nox transacta [1]

GABRIEL. — Salvere iubeo sodales meos, te, Laurenti, et te Nazari.

LAURENTIUS. — Nos te vicissim. Ut vales? Valuistin? Nam te quattuor ipsos dies nunquam oculis usurpavimus.

G. — Paulo deterius, quam heri, et nudius tertius, quartus, quintus.

NAZARIUS. — Quamobrem?

G. — Propterea quod ista nocte quae praecessit proxima, haud placate dormivi.

L. — Male narras. Aliquo fragore nimirum iterum iterumque expergefactus.

G. — Fragor quidem nullus me perturbavit, sed...

N. — Sed quid?

G. — Mirum atque insolitum somniavi somnium.

N. — Quod somnium?

G. — Terriculamentorum plenissimum.

L. — *Somnia fallaci ludunt temeraria nocte*
Et pavidas mentes falsa timere iubent.

G. — Non eo dico, quia nunc metuam: sane quidem novo metu fractus omnino, ac debilitatus cohorrui, *steteruntque comae, et vox faucibus haesit.* Videbar enim - oblitus sum perpetrati piaculi - ad subsellia iudicum severissimorum raptari; inde condemnatus ad mortem duci. Iam carnifex romphaeam distringebat, ut caput meum a cervicibus amputaret. Amabo, quid vos animi in illo omnium gravissimo praesentissimoque periculo haberetis?

L. — Ingenue dicam quod sentio. Ego qui vel muscas praetervolantes horreo, ante mortem ipsam morerer.

N. — Abeant somnia in malum cruciatum: nos vota Deo faciamus ut mala somniorum tenus, et bona quaeque vigilantibus nobis eveniant.

G. — Quid vero? Vos hac nocte quievistis ex sententia?

N. — Ab octava vespertina ad septimam matutinam iucundissime, *et toto proflabam pectore somnum.*

L. — O factum pulchre! *Macte nova virtute, puer; sic itur ad astra!* Ego ad intempestam noctem legi, donec me lucerna deseruit.

N. — Tu alter Demosthenes eris, ob discendi ardorem insolitum.

L. — Tibi insolitum et gregalibus tuis, qui libidinem somni habetis.

N. — Nos quieti noctem, labori diem impendimus, ad naturae praescriptum; cui repugnare quid est aliud - ut ait apud Ciceronem Cato - quam gigantum more cum diis bellare?

L. — Apage cum istac propugnatione ignaviae tuae. Nam hoc crede mihi, nunquam obtinebis, ut te somniculosum et laboris fugitantem ne iudicem.

N. — Quod lubet. Ideone aut ero qui non sum, aut non ero qui sum?

G. — Quî deinde, mi Laurenti, somnum inire potes, quum ita pervigiles?

L. — Coena terrestris est mihi; quocirca inter me et somnum perbene convenit: quum volo, me obtinet; quum nolo, me relinquit.

(1) Ex IACOBI PONTANI opere, cui titulus *Progymnasmata latinitatis* passim retractavit I. F.

G. — Malim equidem tuas vigilias, quam huius rhoncos.

N. — Ecce autem secundum adversarium. Noli tu quoque, Gabriel, me ludos facere, quum hoc Laurentius affatim praestiterit, et in isto officio te anteverterit. Quod nisi desistitis, Magister mox aderit, quo disceptatore bellum utrique indicam. Ibi cognoscetur, quantum vestris pervigilationibus consequuti sitis.

G. — Caveto ne istos tibi spiritus comprimamus.

N. — Vestras ego linguas ita occludam, ut de somno meo ne mussare quidem audeatis.

L. — Eris mihi magnus Apollo.

G. — Res ipsa iam erit testimonio. Audione advenientem quempiam? Praeceptor est, vere est, ipsus est.

ANNALES

Russorum inter ac Sinarum imperium discrimen.

Stuporem quemdam, neque timore expertem, apud omnes populos, discrimen suscitavit, quod Russorum inter ac Sinarum imperium, medio exacto mense, ortum est; siquidem quasi belli tuba insonuit, dum Europea pax immota feliciter manet. Russicum enim gubernium Sinenses violati foederis publice accusavit, quod, anno MDCCCLXXXI sanctum, certa privilegia in regionibus Kuldja et Tienchan Russiae concedebat. Sed res brevi composita: Sinarum enim administri, non minus sollemniter protestati sunt nunquam se foedus ipsum pervertere voluisse; facta in querelae fidem adducta praeter gubernii mentem atque militum finium custodiae positorum accidisse; remedia ad impediendum quominus renovarentur, eaque iuxta Russorum desiderium, pleraque consulta; denique ad suam voluntatem erga finitimum populum propensam magis magisque demonstrandam, sese promptos esse atque paratos ut foedus ipsum ad annum usque MCMXXI redintegraretur.

***

Turcarum res.

Huiusmodi eventus unus fere dici potest proximis diebus memoria dignus. Restat vero ut de seditione in Turcici imperii regione Yemen, de qua in superiore numero mentionem fecimus, aliquid recolamus.

Rebelles, Imani, quem vocant, Iahia et *Sceik* Idriss ducibus, viis potiti sunt, quae ab Hodeida urbe ad interiorem regionis partem ducunt. Neque Turcico exercitui licuit omnino eas liberas iterum reddere; quamquam id necesse erit, si honorem et auctoritatem suam, quae aliter apud illas gentes concussa evadent, gubernium defendere atque adfirmare voluerit.

PUBLICI PER ORBEM COETUS
legibus ferendis

In **Anglia** regia Georgii V oratione novus legatorum coetus inauguratus; deque lege quae munera popularium oratorum et senatorum sive *Lords* ex novo constituat disceptari coeptum.

In **Borussia** de ritibus procedendi ad poenarum ius applicandum controversae disputationes habitae.

In **Bulgaria** rogatio legis agitata ad regni constitutionem ita inter alia reformandam, ut regali stirpi Saxonae Coburgensi imperium tueatur.

In **Civitatibus Foederatis Americae Septentrionalis** foedus cum Iaponia comprobatum.

In **Gallia,** bellicae rei administro Brun vita functo, et, ob favorem a se distractum, Briand eiusque collegis a munere recedentibus, novum administrorum collegium suffectum, praeside Monis senatore.

In **Graecia** novus publici coetus praeses electus Stratos, qui Venizelos parti favet.

In **Hungaria** communes Imperii acceptorum et expensarum rationes ad trutinam vocatae.

In **Italia** Senatus de sua reformatione late disputavit.

In **Rumania** comitia Carp, administrorum praefecto, favorabilia cesserunt.

In **Russia** leges latae de ferriviis per interiorem Siberiam deducendis, de scelestorum « extraditione, » nonnullaeque etiam de re publica administranda.

PER ORBEM

Die I mens. Februarii MCMXI Jersey in urbe dynamitis acervus improviso casu incenditur opificesque quattuor supra decem circum laborantes misere concidit.

— d. II Iaderae supremum obit diem Nicolaus Vidovich, qui de Dalmatica sua civitate praeclara et egregia nunquam non sensit.

— d. IV Praetoriae vita fungitur Cronje, strenuus ille Boerorum dux, qui acriter cum Anglis de patriae suae libertate contendit.

— d. VI Constantinopoli regiae aedes, quibus a « Sublimi Porta » nomen, flammarum impetu graviter pessumdantur.

— d. VII Athenis opifices publicis curribus electride actis operam vacantes ex condicto ab opere recedunt ac tumultus excitant, quos militum vi sedare opus est.

— d. VIII Russicae ferriviae statio ad Czarkoie Selo incendio, quod dolo excitatum creditur, destruitur.

— d. IX Pechini, Sinarum imperii regio nomine

moderator, fanatico cuiusdam aulici furore impetitur ac vulneratur.

— d. XI gravissimi ex Mandchouria de peste illic saeviente nuncii afferuntur.

— d. XIII Romae in Adriani mausoleo, nunc Castro S. Angeli, historicum de tormentis bellicis museum inauguratur.

— d. XV Petrus, Serborum rex, Romam advenit.

— d. XVIII Portus Calensis in urbe decertationes fiunt inter Catholicos et Reipublicae fautores.

— d. XIX in Piceno, in Tuscia et passim ad Ligures usque, terrae motus magnam incolis formidinem iniiciunt.

— d. XXI Lutetiae Parisiorum ex turri cui, ab auctore, Eiffel nomen, communicatio cum Canada per telegraphum filis expertem instituitur.

— d. XXIII, Lutetiae Parisiorum pariter, bellicae rei administer Brun moritur.

— d. XXIV Monachii in Bavaria cursum vitae absolvit Franciscus Uhde, pictoriae artis magister peritissimus.

— d. XXV Berolini mortem occumbit Fridericus Spielhagen, philosophus et litteratus homo.

— d. XXVIII Barii, Apulico in portu, atra procella furit, pluresque tum onerariae tum piscatoriae naves undis submerguntur.

LIBRORUM RECENSIO

Aërovehes (vulgo *Areoplano*). Oda alcaica, auctore sac. Angelo Nardis, prof. in Seminario Aquilano.

Eleganter auctor et graphice novum hoc describit humani ingenii inventum, quo ipsa re longe superatur quod olim Daedali fabula audaci phantasia confinxerat. Cernere tibi videris aligeram navem dum in aëra tollitur, dum caeli planitiem rapido secat volatu, dum sua mole suoque stridore attonitas terret aquilas. Describit etiam lugetque praecipites aëronautarum lapsus, qui tamen alios non deterrent, quominus Icaria itinera iterum iterumque tentare prosequantur.

Nam quae tenacem propositi virum
unquam retardant? Cedere nescius,
per damna, per caedes, ab ipsa
ducit opes animumque clade.

Ab hoc miro invento, poëta mox ad alia transit aeque stupenda, quorum nostra aetas feracissima est, eorumque seriem concludit celeberrimo invento Marconiano.

Prosodiam auctor, perinde ac linguam latinam, optime callet; quare inadvertentiae tantum tribuendum est, quod in quarta stropha primam syllabam vocis *veloces* corripuerit. Videtur etiam, dum *aethera* memorat, hoc nomen fecisse neutrius generis: quod corrupta iam latinitas induxit. Tandem, in paenultima stropha, versus secundus claudicat.

Fr. X. R.

LIBRI RECENS DONO ACCEPTI

Sociorum et lectorum in mentem revocamus, libros recens editos atque ad nos missos, ut in Voce Urbis *eorum notitia detur, neque hoc ipso a nobis commendari, neque apud administratorem nostrum, nisi contra aperte declaretur, venumdari. Si quis alterum eorum sibi cupiat, petat necesse est ab editore, quem semper indicamus.*

Card. Alfonso Capecelatro. *Commemorazione di un Padre Filippino morto in fama di santità nel 1883.* — Romae edid. Desclée et Soc., 1911. (Ven. lib. 0,40).

Id. *Sapienza e carità.* Ricordi e consigli ai giovani cattolici in occasione del mio XXV anno di Cardinalato. — Indidem. (Ven. lib. 0,30).

Mons. Geremia Bonomelli. *L'obbedienza dei Cattolici alle Podestà terrene.* — Indidem. (Ven. lib. 0,75).

Id. *Il Clero e la Società Moderna.* — Indidem. (Ven. lib. 0,75).

Angelus Nardi. *Aërovehes* (vulgo *Areoplano*) Ode. Aquilae, MCMXI.

AENIGMATA

I.

Terrigenas agito, mortem fero depopulorque,
Pervigilans inhio, palleo, deficio.

II.

In pratis errat *totum; caput* aufer, in aula.

F. X. B.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Doctorem IOSEPHUM FORNARI, Commentarii moderatorem *(Roma, via del Governo Vecchio, 96)* miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet PETRI ANGELINI opus, cui titulus:

LOLLIUS
SIVE DE PROVECTA LATINITATE

Aenigmata an. XIII, n. XII proposita his respondent:

1) **Sitis;** 2) **Is-is.**

Ea rite soluta miserunt:

Augustus Scriban, *Iassiis.* — Petrus Tergestinus. — P. Prado, *Venetiis.* — Max. Vronski, *Lobzów.* — F. Wawer, *Marianopoli.* — Ad. Kozlowski, *Petricovia.* — Ioan. Biava, *Bergomo.* — St. Kempa, *Agrodinia.* — Rich. Brondel, *Brugis.* — Frid. Horwath, *Vindobona.* — Fr. Baturewicz, *Zytomiria.* — F. Arnori; Stan. Pini, *Mediolano.* — Guil. Schenz, *Ratisbona.* — Paulinus a S. Iosepho, *Barcinone.* — F. X. M., *Drepano.* — A. Renevey, *Estavayer-le-Lac.* — Iac. Costa, *Dumio.* — Lud. Goux, *Bituricis.* — Henr. Fani, *Florentia.* — Vinc. Starace, *Neapoli.* — Alex. Fasstusz, *Szatmar.* — Lad. Lud. Podobinski, *Cracovia.* — Hern. Forgeot, *Nicaea ad Varum.* — Ant. Faverzani, *Merato.* — Alb. Catteau, *Lugduno.* — Rich. Müller, *Berolino.* — Hern. Pianelli, *Tergeste.* — Eug. Dolmar, *Neo Eboraco.* — F. Ortiz, *Morelia.* — Georg. Archambeault, *Quebeco.* — F. Correa, *Emerita.* — Alf. Martinez, *Badaiocio.* — Alb. Perrand, *Lutetia Parisiorum.* — Lud. Dubois, *Massilia.* — A. Bonnin, *Aureliano.* — R. Richi, *Traianopoli.* — Alb. Kain, *Dublino.*

Sortitus est praemium:

LUDOVICUS DUBOIS,

ad quem missum est opus, cui titulus:

IOSEPHI SCOPA
CARMINA

Sponsor: Ioannes Baptista Ciampi, iurisperitus

Romae — Ex officina *Societatis Editricis Romanae.*

EUPLIUS

(4

Actio dramatica a I. B. Francesia versibus senariis exarata.

MAXIMUS.
Quem?

CALVISIANUS.
Volusium!

MAXIMUS.
Gerrae! Altum petes!
Hic est senator, potentia praeditus,
Et ipse validum Euplii praesidium...
Et hunc curabo cadat ut in pelagum.
Dabis quam tandem portionem praemii?

CALVISIANUS.
Dabo? Petis quam?

MAXIMUS.
Haud mercator veni!
Dabis?

CALVISIANUS.
Quam durus es!

MAXIMUS.
Fastidium generas.
Da verbum! tunc quiescam in utrumque oculum.

CALVISIANUS.
Quid es, tibi dabo libenter, meritus.

MAXIMUS.
Tempus teris nimis: iactas inania.
Dic verbum clarum.

CALVISIANUS.
Dimidium sufficit?

MAXIMUS.
Satis superque.

CALVISIANUS.
Dimidium retine!

MAXIMUS.
Placet! Sed audiam rerum nunc ordinem.

CALVISIANUS.
Accede propius, nemo ne nos audiat.

MAXIMUS.
Dic confidenter, tuus sum totus, loquere.

CALVISIANUS.
Iste Volusius, iam multum tempus est
Quum sit Christianus, merito timeo.
Est ipse, sustinet qui dulce pauperes,
Solet qui cunctos consolari miseros,
Quos etiam cumulat omni dulcedine,
Modo sint isti christianis moribus;
Quod ita praemium sperant a Superis.
Magnus hic opibus, pollet divitiis,
Ut olim fuerant vix Romae consules.

MAXIMUS.
Agendum nunc quid?

CALVISIANUS.
Exornare tragulam
Iuvabit astu, ut incidat bellissume.

MAXIMUS.
Quam vero possim?

CALVISIANUS,
Petis? Hospitem simula,
Domum peregrinus indutus quaerito,
Mores observa, virosque quos visitet,
Et si Christianos adeat homines.

MAXIMUS.
Sine me, videbis quam belle in tragulam
Cadet. Sin'? Indignus vocari Maximus!

CALVISIANUS.
Sile! Nam longe Volusium video
Ad nos!

MAXIMUS.
Peropportune!

CALVISIANUS.
Simula gratiam.

MAXIMUS.
Amicitiam dic! Nemo scit melius
Vultu, ore, labiis amicos perdere.

SCENA IV.

VOLUSIUS *et reliqui.*

CALVISIANUS.
Salve, Senator! Gaudeo quod valeas!

MAXIMUS.
Salve, Volusi, Catanae praesidium.

VOLUSIUS.
Dii vos adiuvent! Decora patriae (1).

CALVISIANUS.
Audisti? Quot populus te accipiat laudibus!
Eius sine meas laudes adiungere;
Quod ita ludos optimos ei pares,
Nihil nec negligas magna diligentia,
Ut ipse gaudeat ad desiderium.

MAXIMUS.
Nemo tam scite!

CALVISIANUS.
Tam pulcre! Tam lepide!

MAXIMUS.
Fecit pro festis dedicatis Caesari.

CALVISIANUS.
Dabit tibi gratias quoque Galerius.

MAXIMUS.
Queis honor siet decus per saeculum.

VOLUSIUS.
Eamus intro! Loquemur nos postea,
Enim nunc primum sit indulgendum populo.
Placent si ludi, gladiatores placent,
Sinamus ipsum ludere pro arbitrio (*introeunt*).

(*Ad proximum numerum*).

(1) Exaudiuntur plebis voces exclamantis: *Io Volusi!*

Ann. XIV. ROMAE, Mense Aprili MCMXI Num. IV.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Rerum index:

DE SUBSIDIIS QUIBUS EGET RES LATINA
COMMENTATIONES

Ad Magistros Linguae Latinae.

Duo sunt eorum consilia, qui nostris temporibus rei latinae proficere student: unum, ut adversariorum obiectionibus occurrant, alterum ut linguam litterasque latinas melioribus institutionibus tractent. Haec autem duo unum valent. Namque si excipias eos qui, sive novarum rerum cupiditate adducti, sive falsa utilitatis specie obcaecati omnia studia ad artium humaniorum cultum pertinentia funditus sublata volunt, haud scis an nemo relinquatur quicum non possimus pacifice et amice agere.

Cum ipsis quidem *Philistinis* (ut Anglorum vocem notissimam usurpem), hoc est, cum contemptoribus et osoribus disciplinarum liberalium nullae omnino nobis pacis condiciones esse possunt; sed bello, bello inquam, continenter, perque caduceatorem non denuntiato contendendum est, quum nusquam alio spectent huiusce militiae arma quam ad alterutrius partis internecionem. *Vae victis!*

Sed quoniam fas est ab hoste doceri et magna pars eius argumentationis, quae contra latina studia instituitur, non tam est hostiliter insectantium aut iniquo animo infitiantium omnem huius disciplinae utilitatem, quam desperantium et conquerentium quod tantis laboribus nostris et discipulorum nostrorum tantilli respondeant doctrinae fructus — id quod nos minime dubitamus, — sequitur ut tota fere causa nostra ad unum velut principium determinationis revocetur, nempe si institutiones nostras latinas radicitus emendatas atque quam maxime utiles praestare valeamus. Perfectio autem artis cuiuslibet non est unius hominis quamvis ingeniosi, sed plurimorum artificum communi concentu optimisque consiliis inter se laborantium. Quapropter nobis qui linguam litterasque latinas profitemur summopere nitendum atque efficiendum est ut communia agendi consilia ineamus et communi itinere ad proposita tendamus. Ad ea igitur subsidia quae in communi mutuoque auxilio posita sunt oculos vestros convertere velim.

⁂

Sunt autem meo iudicio octo: 1) pronuntiatio longe lateque communis, etiamsi ea discrepet a philologorum subtilitate; 2) conventus doctorum saltem annui, ubi in commune consulatur — quales habere consuerunt ceterarum professores artium, ut medici; 3) ephemeris aliqua hebdomadalis, per quam orbis latini cives saepius et cuniunctius inter se communicent; 4) genus latinitatis satis purum quidem neque inelegans, sed tamen aliquanto simplicius atque ab eis ambagibus et difficultatibus quibus veterum scripta abundant remotius; 5) cursus elementorum sive praeparatorius quo tirones iam inde ab initio discendi ad universum sermonem latinum facile, commode, plene percipiendum perducantur; 6) magna copia fabularum amoeniorum, praesertim milesiarum, quae tirones modica adhuc scientia linguae latinae imbutos ad frequentes et copiose lectitandum alliciant; 7) indices vocum pleniores ad hodiernas res exactius, nec tamen

nimis barbare, exprimendas compositi; 8) academia sive auctoritas quaedam generalis, quae de dubia latinitate iudicia faciat et tanquam omnium doctorum nomine pronuntiet.

***

De pronuntiatione sermonis latini si quis *a priori*, ut aiunt, ratiocinari vult, plures invenit sententias, quarum quaelibet per se considerata sua gaudet commendatione. Primum antiqua illa Romanorum pronuntiatio plurimos est fautores consecuta, etsi omnium suffragia nequaquam tulit; deinde haec eloquendi ratio, quae hodie in Italia viget, non sine probabili causa commendatur; tum minime est spernenda eorum sententia, qui patrii sermonis sonos relinqui nolunt, praesertim quum ingens numerus vocabulorum domesticorum e latinis fluxerit, sonis tantum ab antiquitate differentium, ita ut haud absurde contendi videatur nihil omnino interesse quomodo quis pronuntiet, si modo scripta legat et scribere sciat et inter populares suos intelligatur.

Sic enim argumentatur: Italos ab Italis, Germanos a Germanis, Anglos ab Anglis latina accipere solere, si quis veterum ex inferis excitari posset qui patrium sermonem latinum doceret, tum necessarium futurum fuisse ut ubique gentium una eademque regnaret vetus Latinorum consuetudo: nunc satis esse si iis qui simul adsint verba loquentis aut recitantis verum intellectum reddant.

Apud Americanos, exceptis iis hominibus qui Ecclesiae Latinae traditiones sequuntur, ab omnibus fere tam privatorum quam publicarum scholarum magistris una illa pronuntiatio recipitur, quae classicorum scriptorum temporibus in usu fuisse creditur. Scilicet, *c* littera non differt a *k* (Marcus Tullius Kikero) et *g* duritia non aliter sonat in *gemma* atque in *gutta*; *t* nunquam sibilat et *v* consonans idem valet quod anglicum *w*; *s* ubique acriter sibilat, ut *rosa* (quasi *rossa* praeterquam quod prior syllaba *o* brevi terminatur) et *urbs* effertur quasi sit *urps*; *ae* et *oe* diphthongi et inter se differunt et ab *e* vocali longe absunt.

Hactenus principia, me puero; postea vero etiam in *latentes* quae dicuntur vocalium quantitates inquiri coeptum est, cuius rei pervestigatio partim testimoniis veterum continetur, partim linguarum variarum inter ipsas comparatione. Namque, ipso Cicerone teste, producuntur vocales quas excipiunt *N S* litterae aut *N F*; porro e graecis litteris liquido constat aliter *e* litteram in Festo, aliter in Celso sonuisse, quum illud nomen per *eta* scribatur hoc per *epsilon* tum — quod maioris est subtilitatis — *u* litteram longam fuisse in *nullus, a, um* e gallico *nulle* (ubi servatur), brevem in *columba* (unde *colombe*) acute conclusum est. Haec et sexcenta alia nostrates perscrutantur et summo ardore pueros edocent.

(Continuabitur).

THEO. T. CHAVE.

PHILOSOPHICAE DISPUTATIONES
MODERNISTAM INTER ET THOMISTAM

De actus voluntarii dependentia erga actum rationis — Quid sit iudicium liberum penitius investigatur.

MODERNISTA. — Me excusatum habeas, amice carissime, ubi te quasi ex somno, seu melius, si mavis, ex oblivione diuturniori te repente excitem, post colloquia nostra iam a mensibus interrupta de argumento inter nos disputando: siquidem id aegre fero, quod discussio nostra dimittatur infecta de re tanti momenti.

THOMISTA. — Rectissime sentis ac dicis, dilectissime. Neque ego diffiteor colloquia nostra male a mensibus interrupta fuisse, etsi veniam fortasse expostulent quaedam rerum adiuncta seu impedimenta vix mihi vitabilia. Quidquid id fuerit, resumamus disputationem tamdiu dimissam.

Quum tamen res tibi penitius quam mihi menti inhaereant, faveas disputationis ultimae nostrae argumentum aeu tangere et indicare.

M. — Ad hanc igitur deveneramus conclusionem, requiri ad iudicium liberum indifferentiam amabilitatis in obiecto: nisi quippe obiectum possit et amari et non amari, iudicium nullimode liberum erit dicendum, neque libera electio inde secuta, eo imprimis quod electio non sit nisi boni contingentis.

Mihi tamen per menses integros attentius cogitanti nonnulla rerum contrarietas occurrit. Dum enim requiritur indeterminatio amabilitatis in obiecto, unde habeatur iudicii libertas, requiritur insimul determinatio subiecti. Ad exercitium quippe intellectus requiritur cognitio vera et perfecta, quae sit de obiecto ipso deque omnium circumstantiarum adiunctis, ita ut hic et nunc rationem boni amandi prae se ferat; neque ad libertatem iudicii requiri potest cognitio falsa vel dubia. Hoc autem importat aliquam intellectus determinationem.

Haud secus eamdem subit voluntas determinationem, quum voluntatis actus non nisi unus numero simul esse possit, determinatus utique ipsius rationis iudicio.

T. — Istiusmodi tamen contrarietas sponte evanescet, ubi sedulo distinguas finem attingendum inter et media quibus attingendus erit, indeque iudicium in-

ter quo dictatur amor finis, et iudicium quo mediorum electio praescribitur. Iudicium scilicet dictans amorem finis minime importat secundum se indifferentiam obiectivam amabilitatis in ipso fine, etsi importet huiusmodi indifferentiam ut causalem, respectu scilicet mediorum, seu iuxta scholasticorum dictum minime hodiernis nostris deridendum, in ratione « finalizandi ».

Finis quippe non est indifferenter amabilis, quum sit bonum ipsum ad quod determinatur ex propria natura voluntas, quae proinde instinctu et ut a Deo mota illum amat. Iudicium igitur dictans finis amorem non proponit finem ut indifferenter amandum vel non amandum in se ipso. Praescribit tamen ex finis amore plura indifferenter amanda media, quibus finis diversimode obtineri valeat, quorumque nullum sit medium unicum obtinendi.

Quod tamen, ut obiter notem, nullimode impedit quominus inter bona particularia nonnulla sint determinate amabilia prae ceteris, ut v. gr. bonum honestum prae ceteris bonis, eo quod illud solum rationi recte congruit, solumque dicendum sit bonum hominis qua hominis.

At vero his sane suppositis atque assertis, nullimode hinc colligendum est bona particularia eademque naturalia, imo ipsum finem ultimum in particulari, non esse, saltem ex hominis imperfectione, contingenter amabilia, neque ad illorum apprehensionem determinari intellectum ut iudicet ac praescribat eadem determinate esse in particulari amanda.

Duplex igitur determinatio naturalis asserenda est: alia nempe intrinseca, qua potentia cognoscens propria natura iudicet obiectum cognitum esse determinate amandum, eiusdemque contrarium fugiendum: quae determinatio sane naturalis et audit et est. Alia autem datur determinatio naturalis quae est ex rationis deliberatione et consilio, sese moventis et determinantis ad aliud in particulari prae ceteris amandum. Iudicium igitur liberum illam determinationem excludit prout ab intrinseca natura necessario provenientem: istam vero non excludit, imo et supponit necessario, siquidem voluntas non determinatur nisi ratio determinet, quidquid in contrarium minus sapienter fingant et effutiant Modernistae nostri.

Iudicium ergo liberum repraesentat obiectum determinate amandum: sed ex rationis iudicio et deliberatione, minime autem ex necessitate naturalis instinctus.

Unde imprimis iudicium liberum proponit obiectum ex se indifferens ut ametur vel non ametur, prout nempe continens in se rationem boni cui nonnulla mali ratio admiscetur, non semper quidem ex parte rei ipsius, sed saltem ex imperfectione hominis rem insufficienter cognoscentis. Quo fit ut ipse Deus, summum utique bonum, non appareat ut summum bonum rationi hominis imperfecte cognoscentis. Iudicium tamen liberum est formaliter determinatum, quia sese ex se determinat, et determinat voluntatis electionem, excludens determinationem intrinsecam, imo et extrinsecam eamdemque violentam: nullimode autem excludens, imo et supponens determinationem istam naturalem, qua specificatur inde voluntas obiective ac dirigitur ad electionem huius particularis boni prae aliis.

M. — Sed vero, licet quam libentissime concedam non requiri ad libertatem iudicii ut honestum appareat prae inhonesto indifferenter amabile, eo quod voluntas mali per se non requiratur ad libertatem, videtur tamen requiri ad eamdem ut illud bonum, nempe honestum, appareat vel vere vel apparenter amabile, unde iudicans possit nolle vere honestum, et ex alio iudicio apparenti possit etiam inhonestum velle.

T. — Adverte tamen, dilectissime, aliud esse quod homo libere agat, et quod sciat se libere agere. Ad primum enim sufficit si homo usu rationis libero polleat indeque iudicet, etiamsi ex errore aliquo speculativo contendat obiectum non esse indifferenter amabile, sed necessario amandum: ex quo errore nullatenus perimitur libertas. Unde fatalista quispiam, etsi teneat voluntatem necessario in omnibus velle, dum tamen ex pleno usu rationis agit, libere agit, unde praemiandus vel puniendus erit, prout iuxta vel contra legem egerit.

Ad alterum autem requiritur sane ut homo cognoscat indifferentiam vel contingentiam obiecti in ordine ad finem, indeque istud esse vel amabile vel non amabile, sive contingentia huiusmodi sese habeat ex parte obiecti in se, sive in obiectum redundet ex imperfecto iudicio amantis.

Quapropter non requiritur ad actum liberum ut agens explicite et formaliter sentiat obiectum esse indifferenter amabile, sed sufficit quod ex consilio velit id quod sibi vere est indifferenter amabile.

M. — De cuius tamen consilii necessitate nonnulla mihi occurrunt dubia tibi ingenue proponenda.

Et quidem primo Thomistis tuis quam libentissime concedam requiri consilium illud, ubi ex mediis unum est reapse bonum, aliud reapse malum: id tamen Modernistis concedendum videtur quod ubi omnia media appareant bona, etsi unum alio forsan melius, proindeque omnia in ordine ad finem utilia et eligibilia, sufficere si intellectus ea omnia proponat qualia vere sunt, ex quo supposito voluntas absque ullo alio rationis actu aut iudicio illud quod libuerit eliget.

Quod etiam patet ex ipsiusmet libertatis divinae natura.

Deus quippe per simplicis intelligentiae eiusdemque naturalis actum, vidit infinita esse possibilia et eligibilia, imo maioris minorisve bonitatis et excellentiae esse, atque per meram voluntatem ad hunc praesentem mundum fabricandum absque alio prorsus iudicio sese prorsus determinavit. Quidni idem in homine fieri possit?

T. — Dicendum tamen et tenendum hominem poni in manu proprii consilii, quia iudicio rationis sese de-

terminat ad eligendum unum prae alio, unde specificat proprios actus.

Neque in contrarium adducenda est libertas divina quae ab humana libertate in immensum discrepat.

Libertas enim divina nullam importat indifferentiam passivam per quam actibus liberis intrinsece perficiatur: quidquid enim perfectionis importat actus intrinsecus liber in agente libero, in Deo naturale est, atque necessarium et immutabile.

Neque in Deo invenitur indifferentia passiva ad consecutionem proprii finis, quum ipse sibi finis suus sit.

Libertas igitur in Deo solam indifferentiam activam importat ad communicandum creaturis propriam bonitatem, ita ut amor Dei bonitatem in creaturis faciat, non autem supponat. Quidquid Deus facit ex propria bonitate, non ex creaturarum bonitate facit.

His adde nullum medium Deo esse ad finem magis minusve utile, siquidem Deus non fit nobilior creando nobiliores creaturas, licet ipsae creaturae in se ipsis plus minusve nobiles dicantur et sint. Imo quidquid ordinabile est ad ipsius bonitatem, secundum ipsius ordinationem extemplo fit optimum. Omnia quidem in intellectu divino apparent ut inaequalia, sed tamen omnia ut optima.

Quod ceterum iudicium, dilectissime, non ad scientiam simplicis intelligentiae pertinet, sed ad scientiam visionis, quum terminetur ad rem existentem.

Quae omnia sane libertati humanae non competunt; siquidem ista perficitur intrinsece per actus proprios, ordinatur ad consequendam propriam bonitatem, mediaque eligit plus minusve efficacia in ordine ad finem, siquidem ipsa non est perfecta, sed perficienda.

M. — Sed tamen, ut redeamus ad thema propositum, plures fuerunt theologi ac philosophi qui tenuerunt sufficere ad determinandam voluntatem, si intellectus proponat media vel aequaliter vel inaequaliter utilia, ita ut absque alio intellectus iudicio voluntas possit sese determinare ad illud quod magis libuerit.

T. — Nonnullos, aliunde paucos, huiusce sententiae fuisse confiteor: sed tamen contra rationem. Voluntas quippe est in potentia passiva et contingenti non solum respectu substantiae electionis, sed etiam determinationis qua unum medium prae alio eligitur, proindeque a proprio movente, nempe intellectu, moveri debet ad huiusmodi determinationem perficientem, atque ita praesupponit ex ipsamet sui natura iudicium determinatum, quod ex pluribus mediis unum esse prae aliis eligendum dictat.

Imo et id requirit ipsius voluntatis bonum, siquidem inclinatur ad acquirendam propriam perfectionem, indeque ad electionem eo modo quo melius haberi potest habitam. Quae electio sane eo melior dicenda erit et perfectior, quo rectius per rationem dictabitur usque ad ultimam entitatis suae formalitatem.

Id aliunde requirit insimul voluntas, ut ratio investiget meliorem viam ad perfectionem propriam procurandam, proindeque ut electio fiat de meliori medio atque utiliori ad finem obtinendum; denique ut intellectus de meliori medio iudicet.

Etsi autem nonnulli fingant dari media aeque utilia ad finem prosequendum, nullimode hinc sequitur voluntatem non determinari per intellectum ad unum prae aliis eligendum. At vero istiusmodi hypothesis de mediis aeque utilibus nunquam reapse occurrit, siquidem vel ex se vel ex aliqua circumstantia unum prae alio utilius vel re vel apparentia atque aptius erit, sive ad finem ultimum, sive ad finem particularem. Divinae providentiae prorsus est res ita ad extra ordinare, ut una vel sit, vel saltem appareat utilior, ut medium efficacius ad finem, etiam male concupitum.

Rationis igitur indoles et ordo postulant ut res examinentur et in se et in adiunctis, ita ut iudicium sit semper de meliori bono aut vero, aut apparenti.

Ex iudicio autem habetur affectio amplectens id quod iudicatum est.

Iudicium igitur practicum idemque ultimum necessario est ad unum determinatum; neque voluntas eligere potest vel minus utile, vel aeque vel magis utile, nisi intellectus iudicet unum prae ceteris esse vel minus utile, vel aeque aut magis utile.

(Ad proximum numerum).

I. I. B.

AMYGDALUS ET PUELLA

PUELLA.

Squallet adhuc tellus, nivibus stant culmina montis
Candida, tu imprudens floribus indueris?
Aspice ut immites nimbos et frigora caelo
Proh miseram boreas in tua damna parat!
Graminibus laetum cum ver depinxerit agros,
Stultitiae poenam tunc male cauta lues.

AMYGDALUS.

Tu quoque candidulum gestas sub pectore florem,
Vincere quem specie nil pretioque potest,
Et tamen imprudens nimbis exponis et euris,
Perdere dum tenerum quaelibet aura valet.
Flos mihi vel glacie raptus tamen usque revivet,
Non tuus exsurget si semel abiicias.

Auximi.

P. Recanatesi.

Inopi beneficium bis dat, qui dat celeriter.

Publil. Syrus, *Mim.*

Archaeologicae res

De Christianorum sepulcrorum ornamentis.

Inter omnes constat, Praeconstantiniana Christianorum sepulcra congruis sibi, (hoc est quoad indolem et sensum plane funerariis), sive picta sive sculpta essent, ornamentis decorata extitisse.

Porro, servatane est huiusmodi Christianae artis indoles, quum non iam in catacumbarum recessibus, sed sub dio circaque basilicas coadunata sunt sepulcra? Responsum, quamvis alicui rem leviter intuenti obvium fortasse videatur, valde complexum nec facile revera est reputandum. Nam haud praetermittendae sunt variae peritorum in monumentis explicandis sententiae opinionesque; adde nonnullarum repraesentationum obscuram adhuc significationem: quae nempe obstant quominus certa atque ultima et rem conficiens dari possit enodatio. Illud tamen indubium haberi debet: indolem artis sepulcralis, per aliquod tempus, funerariam omnino vulgo permansisse, quum nulla esset illam abolendi ratio; at dein, propter novum quoddam genus artis invalescens, sensim sine sensu aliam evasisse; et aliunde, etiam in funerariis argumentis exhibendis, plura nec parva, praesertim a saeculo ineunte sexto, fuisse immutata.

Huius quidem rei causa multiplex apparet, ac primum ipsa ad opus adhibitae materiae diversa natura, nempe ut in marmore effingi deberet, quod facilius antea brevioreque tempore penicillo fieret; indeque evenit ut argumentorum repraesentandorum electio, propter angustiora spatia diversitatemque laboris, multo difficilior evaderet. Aliud enim est pingere, et quidem eo modo quo Christiani artifices plerumque pingebant, aliud in duro exsculpere marmore.

Secundo vero, animadvertenda est norma, qua in extremis sarcophagorum partibus, iuxta ethnicam bonamque artem, convenienter oculorum aciei compositio finem faceret. Aliquid itaque, in his ultimis ad dexteram et ad sinistram partibus, parieti tamquam adhaerens esse oportebat; exempli gratia, in saepe iam alias in huiusce commentarii paginis memoratis argumentis, rupes a Moyse percussa, Mariae Virginis, vel Pilati, vel regis Nabuchodonosor sedes, vel sepulcralis Lazari aedicula, vel saltem arbor aliudve, quod congruo modo compositionem clauderet. Quod si per figuram humanam argumentorum series finiretur, haec ad medium compositionis locum conversa esse debebat; unde ista omnia effecerunt, ut novae aliquando res effingerentur, idque non quidem ad clariorem argumenti significationem reddendam, sed ad complexum materialis compositionis perficiendum.

Tertio, consideranda lex quam *symmetriae* vocant. Haec enim plura aliquando requirebat, quae ad compositionis sensum haud erant necessaria, ut tertiam quandam personam, ubi duae tantum requirebantur. Sic, exempli gratia, haud raro apud anaglypta, in Habacuc escas ad Danielem prophetam afferentis repraesentatione, altera exhibetur Danieli adstans persona, quae prorsus, nisi quod faciem anaglypti terminet, quid sibi velit nescitur.

Verum quidem est legem eiusmodi maioris quam par est a quibusdam auctoribus, Edmundum Le Blant secutis, factam esse. Alioquin, saepe etiam lex symmetriae cum *oppositionis* lege confunditur, quae quidem iam in picturis saeculi secundi animadverti potest. Ut exemplum aliquod proferam, in sacramentorum quod vocant cubiculo A^3, apud coemeterium Callisti, extrema cycli, seu extrema seriei argumenta in eodem sunt pariete exhibita, alterum contra alterum, ac pariter aquae cogitationem prae se ferentia, diverso tamen sensu: nimirum ex una parte est fons e rupe quam Moyses percussit scaturiens, spiritualisque vitae initium significans; ex altera parte, puteus e cuius labris, coram Iesu muliereque Samaritana, diffunditur aqua, quae quidem undae in vitam aeternam salientis cogitationem adumbrat. Item, in eodem cubiculo, ad latera eucharistici convivii, sacrificii adumbratio deprehenditur: nempe, ad dexteram inspicientis, sacrificium cruentum crucis, Abrahae sacrificio expressum; ad sinistram vero, mysticum sacrificium, seu consecrationis eucharisticae inductio.

Lex eiusmodi, praeter quam symmetriae legi plerumque non adversatur, haud parvo in repraesentationum interpretatione auxilio est. Interim animadverte quaenam quantaque sculptoris cura esse deberet in schemate compositionis efformando, si eiusmodi leges ceteraque artis praecepta sibi observare proposuisset.

Quarta mutationis ratio ipsa est nova monumentorum conditio; nam capsae marmoreae persaepe sub dio et circa basilicas frequentioraque sanctuaria erant, necnon accuratissime elaboratae, teguriis protectae, omniumque oculis expositae. Plura igitur in ipsis effingebantur quae a funeraria hucusque artis indole fuerant aliena, praesertim quaedam passionis Dominicae mysteria, Ecclesiae persecutionis ac triumphi adumbratio, maiestas Christi, nonnulla argumenta ex apocryphis libris excerpta, quaedam insuper ad ethnicam artem pertinentia et ea omnia quae personam terrestremque vitam defuncti respicerent.

Denique novi cuiusdam generis ars, ad loca sacra seu basilicas exornandas adhibita, maxima quidem huius mutationis causa habenda est.

Iam si haec probe fuerint perspecta, facile intelligetur quomodo apud Christianos sepulcralis ars indole mutari potuerit. Hinc licet concludere, Postconstantinianorum sarcophagorum artem multa complecti praeter funeraria argumenta, quae historica, seu historico modo repraesentata sint et praeter ea quae aliquam directe sive moralem sive dogmaticam cogitationem inspicientibus exhibeant symbolisque adumbrent.

Est tandem animadvertendum, de Christianis funerariis anaglyptis ita fuisse prorsus ac de ethnicorum sculptilibus sepulcralibus. Primum quidem apud sculptores cura fuit ordinem aliquem in symbolis disponendis servandi, sive iuxta desiderium vel suggestionem committentium, sive secundum quasdam artis normas, quae artifices, praesertim praestantiores, latere nequiverunt; Christianorum autem numero magis in diem augescente, simul atque in arcis cadavera condendi more, ita tunc de sarcophagis evenit sicut hodie fit de stelis cippisque funerariis, qui plurimi in officinis marmorariis iam parati et venales iacent. Cuius quidem assertionis evidens ac palmaris probatio habetur in innumeris fere sarcophagis apud quos defuncti persona inter sanctos exhibetur orans. Ubi enim ars accuratior, aut defuncti persona minime apparet, aut, si adsit, polita finitaque adeo conspicitur, ut vera vultus sui lineamenta prodere reputari possit; ubi vero ars deterior, mortui persona saepe saepius non deest, sed tam imperfecto dumtaxat delineata modo, ut viri, an mulieris imago referatur haud facile discernere valueris.

Xystus Scaglia O. C. R.

COLLOQUIA LATINA

Puer beneficus (1)

Iacobus puer quattuordecim annorum in margine viae urbanae cistulam collocat, in eaque peniculos parat et atramentum, quo praetereuntium calceos politurus est. Advenit Fridericus, pauper et ipse, aetate paullo maior.

Fridericus. — Heus tu, Iacobule, quousque stabis? Quis tibi calceos praestabit purgandos? Illuc omnes ad Samuelem ambulabunt, qui hilari vultu omnes arridet; neque eius vestimenta tam misere sarta sunt quam tua.

Iacobus. — Neque vultum mutare possum neque vestimenta. Alia non habeo.

F. — Hem, peniculi tui egregii sunt; nihil deest praeter setas. Tam sunt calvi, quam caput Westonii senis decrepiti.

I. — Si peniculi displicent, da meliores.

F. — Dabo, si Sabbato mecum in coetum nostrum veneris.

I. — Saepe negavi me posse.

F. — Miror. In ceteris enim rebus neque animo cares neque sollertia.

(1) Huius dialogi scriptor Gaspar Harzheim, qui superiore anno e vita decessit, Scholasticos Iuniores Societatis Ieu plus viginti annos bonas litteras latinas docuit. Qui quum magno opere litterarum studio imbutus est, ingentem copiam scriptorum reliquit, in quibus elaborandis multos annos versabatur. Inter opera eius manu scripta et opuscula, quorum maxima pars ad disciplinam philologicam pertinet, plura colloquia latino sermone exarata sodalis ego inveni. Eas latinitatis propagandae causa ad *Vocem Urbis*, si placuerit, passim edendas mittam. Owen L. Lewis. — *Atqui* Vox Urbis *maximas tibi gratias et agit et habet.* (I. F.).

I. — Mater mea non vult me istos novarum rerum molitores audire.

F. — Scilicet precari te vult et in aede sacra supplicare. Quid? nondum vides preces tuas esse inutiles? Miseret me tui. Pater tibi mortuus est, mater aegrotat, et tu et sorores tuae vultu estis pallido, fame macerati. Tamen nondum tibi patet Deum tum te aspernari tum preces tuas.

I. — Videtur sane aspernari. Nihilo tamen minus a Deo potius auxilium exspectabo quam ab istis seditiosis. In iis fidem non colloco. Suum enim quaerunt emolumentum, et si res ex eorum voluntate cesserint, maior quam nunc erit egestas et calamitas...

F. — Oppressoribus vestris; et iure quidem. Foeneratores certe et mercatores qui nos affligunt, et tyranni illi crudelissimi, in quorum ingentibus officinis nunc multa hominum milia servorum pecudum ritu laborant, ii omnes vel trucidabuntur vel ad extremam devenient egestatem.

I. — Si igitur eorumque filii rursus adversus vos oppressores suos coniurationes conflabunt, caedium nullus erit finis hominesque magis sanguinem sitient quam ipsi tigres; neque enim tigris tigrim devorat.

F. — Tace. Ignavus es.

I. — Ipse scis istud esse mendacium.

F. — Contemplare obesum corpus exornati illius adolescentuli. Eheu! si tu dimidiam partem haberes rerum suavium quas ille hodie in ientaculo devoravit, et tu et mater et sorores amplam habere coenam videremini.

I. — Noli, Friderice, inflammare invidiam. Nimis iam ardet animus.

F. — Appella eum; amicus tuus est. Negas enim desidiosos istos helluones esse necandos.

II. *Venit* Oliverius *a laeva.*

I. — Liceat, quaeso, domine, purgare calceos tuos.

(Oliverius se non audire fingens transit. Fridericus Iacobum impellit in Oliverium; deinde fugit. — Oliverius Iacobo alapam ducit et pede percutit).

Oliverius. — Canis impudentissime!

I. — Meam non esse culpam ipse vidisti.

O. — Nisi tacueris, ministros publicos appellabo. *(Abit).*

I. — Vapulare ut servum, ut canem calcari! Et haec mihi a picto illo stipite! Vere Fridericus dixit me esse ignavum! — Hem! alter venit elegans puer et nobilis et opulentus. Tentabo eum. Si etiam hic me ut canem tractaverit, tuus ero, Friderice.

III. *Venit* Leo *a laeva.*

I. — Calceos tuos, quaeso, domine, polire liceat.

Leo. — Poli, sis. Quot hodie calceos polivisti?

I. — Ne unum quidem.

L. — Nondum multi viam frequentant. Quod est tibi nomen?

I. — Iacobus mihi nomen est, domine.

L. — Quamdiu hoc negotium egisti, Iacobe?

I. — Duos fere annos; ex quo tempore pater vita decessit. Antea in eiusmodi opera nunquam sum versatus, domine.

L. Noli me dominum vocare. Puer sum ut tu es. Nomen mihi est Leoni.

I. — Vere benignus es.

L. — Non video ullam causam dure tecum agendi. Num tu vides?

I. — Non video; plerique divites in nos duri sunt.

L. — Malum est. — Peniculi tui non sunt optimi.

I. — Non habeo nummos ad novos comparandos.

L. — Miserendum est. Dic mihi, quaeso, Iacobe, num hodie ientavisti.

I. — Neque ego, neque mater aegrota, neque parvae sorores cibum viderunt post horam hesterni diei tertiam, quum mulier vicina, et ipsa pauper, fragmentum panis nobis dedit.

L. — Quantum tibi debeo, Iacobe?

I. — Quantum tibi videtur.

L. — Vigintine centesimae satis sunt?

I. — Raro tam multum accipio.

L. — Ecce talerus.

I. — Careo nummulis. Non possum quod superest reddere.

L. — Tene totum, Iacobe. Tibi tuisque ientaculum compara.

I. — Non tantum promerui; non est pretium, sed donum. Merere panem conor, mendicare nolo.

L. — Optime. Hae viginti centesimae pretium tuum erunt.

I. — Gratias ago, domine.

L. — Non dominus tuus sum. Leonem me voca. Ecce duo taleri. Hos tibi non dono sed mutuos do. Si quando satis magna tibi pecunia fuerit, eos mihi reddes. Sin forte me non facile inveneris, meo nomine homini pauperi dabis.

I. — Matris causa eos animo gratissimo accipio. Maximum mihi tua benignitas beneficium praestitit, multoque maius quam ipse scis, Leo. Quum huc venisti, vehementer eram iratus. Iniuria enim et opprobrio affectus eram.

L. — Rem vidi, mi Iacobe. Qui te violavit mihi notus est. Eum monebo. Noli autem existimare eum malignum esse. Animi impetu commotus temere egit; non cogitavit.

I. — Aperte tibi fatebor. Animum induxeram ut consilia consociarem cum iis qui, re publica eversa, omnia aequare volunt. Misericordia tua ad saniora consilia me revocavit.

L. — Noli fidem praestare istis plebis adulatoribus. Inde non erit salus.

I. — Mater mea me idem saepe monuit.

L. — In Deo, mi amice, spem pone.

I. — Recte tu quidem, Leo. Deum te ad me misso me docere voluisse puto etiam inter opulentos homines inveniri benevolos.

L. — Si quid iterum tibi opus fuerit, ad me venies. Ecce chartula mea. Nomen inscriptum est et domicilium. Vale, mi Iacobe.

I. — Vale. Deus istius tibi beneficii praemium dabit.

PAROEMIAE SIVE ADAGIA

Quot homines, tot sententiae.

Nihil vel hodie vulgo tritius est, quam haec Terentiana sententia: « Quot homines, tot sententiae »; cui similis est apud eundem et illa: « Suus cuique mos est ». Persius item:

Mille hominum specie, et rerum discolor usus;
Velle suum cuique est, nec voto vivitur uno.

Eodem pertinet et illud epigrammaticum, quod dictum est, inveniri qui non recusent agris paternis cedere; qui velit ingenio cedere, reperiri neminem. Horatius decentissimam addidit allegoriam:

Tres mihi convivae prope dissentire videntur,
Poscentes vario multum diversa palato.

Idem primam omnium Odam huius argumento sententiae conscripsit, aliis studiis alios duci, aliis alia cordi esse. Adlusit, facete quidem, Terentius in *Phormione*, quum e tribus advocatis primus ait, secundus negat, tertius deliberandum censet. Eam sententiam Euripides in *Phoenissis* latius explicuit: « Si pulchrum -- inquit -- et egregium cunctis idem foret, nulla hominibus anceps esset contentio. At nunc nihil simile, nihil idem mortalibus nisi forsan verba inter istos concinunt, re tamen ac factis nihil convenit ». Idem in *Hippolyto coronato:* « Hic his, hic illis, et homo cordi est, et deus ».

Tunica pallio propior.

Apud Plautum in *Trinummo* legitur allegoria proverbialis: « Tunica pallio propior est ». Quo significatum, ex amicis nos aliis atque aliis magis esse devinctos, neque parem omnium habendam esse rationem. Apud veteres primum in officio locum habebant parentes, proximum pupilli nostrae fidei crediti, tertium clientes, quartum hospites, quintum cognati et affines, ut indicat Gellius (lib v, cap. 13). Praeterea quaedam negocia propius aliis ad nos pertinere; sic pallium extrema vestis apud Graecos, quemadmodum apud Romanos toga.

EX BATAVIA

De certamine poetico Hoeuftiano

Accepimus, et libenter edimus:

Die XIII mensis Martii in conventu Ordinis Litterarii Academiae Regiae Disciplinarum Nederlandicae relatum fuit de XXXIII Carminibus, quae Amstelodamum missa fuerant ut de praemio an. MCMX certarent. Horum aureo numismate dignum iudicatum est Carmen inscriptum *Fanum Vacunae*, cuius auctor apparuit **Ioannes Pascoli** Bononiensis. Praeterea prelo dabuntur quatuor carmina praestantissima, si poetae veniam dederint schedulas aperiendi. Sunt autem his titulis: *Petronius, Pascua montium, Avia, Ravenna.*

K. T. KARSTEN,
Acad. Reg. D. N. ab Actis.

EX ITALIS URBIBUS

De magno artium certamine insigniter Augustae Taurinorum indicto

II.

Iam saepe Subalpini huiusmodi nobilia artium certamina sibi insumere putarunt. Nec velim me, candide lector, incuses, si rem paullo longius repetam. Namque vel ab anno octingentesimo octavo et quinquagesimo supra millesimum saeculi nuper elapsi, in hac nostra urbe, adhuc Sardiniae regni capite, novorum quasi temporum seriem praesagientes, nonnulli artifices, ingenio praescriptoque publicae auctoritatis, haec primum certaminum genera ad nos invexerunt. Citra tamen superbiam, sed parvula quadam gloriola raptus, dicere haud dubitabo: « Hac in re Subalpini primi in Italis! »

Paucis ante annis Anglia, quae, illa aetate, supremam commerciorum potestatem facile obtineret, in potentiae suae ostentationem, atque ut ad se omnium animos converteret, primum Londini, omnibus circa nationibus admirantibus, novum hoc ingenii inventum invehere voluit. Mirum, quot populi illuc invisuri perrexerunt, admirati insignes in artibus profectus, quos illa natio, maris antea unice potens, uti fama credebatur, tam cito esset adepta.

Proxima Gallia, mox eius exemplum secuta est, quae sub valido Napoleonis III dominatu, ad gloriae apicem pervenit, excellentiores spiritus extollens, non modo armorum potentia primatum obtinuit, sed et in artibus atque commerciis, nedum aemulam aequavit, sed etiam est supergressa.

Hisce optimis inventis acta atque adlecta Subalpinorum gens, domesticum otium in artium studium contulit, eo etiam consilio ut Italos universos ad artium contentionem invitaret. Quapropter optimum factu putavit, si maiorum suorum vestigiis insistens, vel in artibus vires suas aliquando exerceret.

Ita in mysticis olim certaminibus a Graecis fuisse factitatum accepimus, ut alii aliis facem per manus traderent, ut arcano quodam sensu, dum Palladem, omnium artium inventricem et quasi parentem venerarentur, progressum disciplinarum viderentur adumbrasse, quo aetas aetatem inventis suis, quasi totidem facibus, sic auget, ut ad supremum illum doctrinae gradum perveniamus, ad quem hominum mens possit adsurgere.

Omnis enim mortalium doctrina veterum experientia potissimum constat, qui planiorem viam recentioribus muniverunt.

Haud deerant, cum primum allatum est inter nostros cives huius certaminis nuncium, qui falso existimarent fore ut tot dissonae diversarum provinciarum rationes nunquam coalescerent, ac propterea ex hoc instituto, ob exiguum concurrentium numerum atque ob parvum artium commercium, quodque caput est, ob perpetuam huiusce certaminis consuetudinem, nihil plane utilitatis redundaturum.

« Quae Subalpinorum audentia est! - dictitabant, - qui cum principibus nostrae aetatis nationibus in contentione stare conarentur, quum pueri omnino sint in artium cultu? »

Gens vero nostra, non gloriolae cupida, neque ad nimis alta tendere conata, quam potius dixeris iustam et tenacem propositi, quum rem sibi diu studio quaesitam insumendam putaverit, humerisque suis haud imparem, multa tulit fecitque, sudavit et alsit. Quid quod? Ipsi aptabis quod in carmine, nescio quod, Ovidius cecinit: Propositumque tenet, flagratque cupidine currus!

Quamobrem ex regia potestate primum factum est anno quem supra memoravi. Sed simulacrum fuit potius certaminis quam verum virium populi experimentum. Pauci omnino ex privatis artificibus tunc in aciem ingenii descenderunt, et modo apparuit quid in publicis officinis vel armamentariis fieret... Et illa aetate, magna huiuscemodi rerum copia ad viridarium quod olim apud regium castrum in suburbio, cognomento *il Valentino,* congesta multos visores adduxit cives atque advenas, qui, rem novam optime citra invidiam plaudentes, animum genti nostrae adsurgenti addebant, posse aliquando vel in artibus cum externis populis contendere. Uno verbo, alea iacta erat, et Subalpini « possunt, quia posse videntur! »

Sic quoque anno millesimo octingentesimo octavo et nonagesimo... Nunquam vero tam ardenter, tam secure, tamque, ut ita dicam, confidenter manum ad opus admoverunt quam praesenti tempore.

Omnes enim, collatis simul viribus, praestantissimi cuiusque artificis in id quo natura tenderet, praesertim adnituntur.

Rem fusius enarrare curabo.

SUBALPINUS.

CHRISTI DOMINI PASSIO

QUAM PAULUS VERONENSIS PINXIT

Dominicae vitae in terris actae momenta quae artificum mentem afflatu suo omni tempore magis concitarunt, ea profecto fuere, quae Nativitatem Mortemque Christi repraesentarent, ita ut haud facile pictorem praesertim laudibus commendatum inveneris, qui ad alterutrum argumentum tractandum flamine suo ac penicillo non fuerit usus.



In his Paulus Caliari, ex patria *Veronensis* cognomine, ob picturas Mantuani cathedralis templi aediumque Venetorum Ducum notissimus; qui de Redemptore crucifixo tabulam composuit in Florentina pinacotheca inter saec. XVI maxime celebrata opera asservatam, quam hisce paginis lectorum nostrorum oculis subiicimus.

Caliarius, Titiani Vecellii morem sequutus et Iacobi Robusti, vulgo *il Tintoretto*, aemulus, splendorem, vivacitatem et planiorem quamdam effictionis rationem sibi imprimis proposuisse videtur; quod si quando significationis vi cedit, in figurarum tamen dispositione, venustate atque gratia, non minus quam colorandi arte, proculdubio aequalibus suis longe praestitit.

Intuere, quaeso, scenicum decorem in Golgothae hac repraesentatione. Christus in crucem actus non solum loco et mysticae perfectionis adspectu emicat, sed lucis quoque radiis, qui ex discissa coram nube eius corpus recta collustrant. Quae inter ipsum et homines efferendae cruci circum intentos diversitas! Quî naturae conforme, nec, quod sciam, ab alio prius exhibitum, scalae illud et conamenti fulcimen! Quae in centurione, indomito equo insidente, absolvendi nefarii operis impatientia et sollicitudo! Cui aptissime eques alter adversatur, qui, dum scalam alteram tenet, Nazareni purum tranquillumque in tot angoribus vultum, incertus et prope sibi intuenti non credens investigat. Sunt denique et piarum mulierum inter arbores quasi evanescens globus, aliaque ex parte homines super Iesu vestem divisam mittentes sortem. Hos suorum temporum more amictos Veronensis induxit; numne artifex item ac philosophus, gravi quidem allegoria, aetatem quoque suam in hac tabula reprehendere voluit?

FORFEX.

DOMESTICA FUNERA

Arteriosclerosi correptus, quae iamdiu eius vitae minitabatur, III Id. elapsi mensis Martii, Romae placide quievit in Domino **Aloisius Fornari,** Iosephi pater, *Vocis Urbis* huius nostrae moderatoris.

Dum amici dilectissimi novum luctum vehementer condolemus, animae pientissimae integerrimi viri, qui civilis omnis ac domesticae virtutis exemplum, litterarumque latinarum eximius exstitit cultor, sociorum et lectorum suffragia exposcentes, requiem sempiternam adprecamur.

S. R. E.

CHRISTO-DEO RESURGENTE

Surrexit! *Lacrymis parcite tristibus,*
Iamiam luctisonis parcite vocibus,
Affulgente die quâ rutilantior
Christus scandit ad aethera.

Antehac laetitiae promere cantica
Haud dignum, populos cum Satanas neci
Tradebat; Dominus sed Cruce belluae
Durum comminuit caput.

Quae, quae non patiens Ille tulit probra?
Queis non vulneribus corpus inhorruit?...
Sed iam vicit! io! Dicite lauream,
Regis dicite gloriam.

Victrix Relligio, concine tu modo
Pugnas auxilio perdomitas Dei:
Firmandis animis praeteritas iuvat
Laudes non humiles loqui.

Vixdum prodieras, Isacidûm furor
Ausu sacrilego iam tumulum parat!...
Nec diram satiant carnificis sitim
Sacri flumina sanguinis!

Illorum at rabies iraque Caesarum
Sponsam non valuit perdere Regiam:
Caedes multiplicent! Ecce cruor nova
Profert germina Martyrum.

Quin tu **Christiadum nomine** *gaudeas*
Deleto, *Diocles!... Visa Fides mori*
Per caedes, gladios, damna, pericula
Frontem pulcrior extulit.

Demens haerescos hydra ferocius
Magnam perniciem dogmatibus struat!
Pectus virgineum bellua centiceps
Morsu dilaceret fero;

Non tu, Nestorius vincis, et Arrius!...
Summi namque Fides filia Numinis,
Surgit splendidior, fusaque pectora
Uno iam grege colligit.

Quid pugnax tua vel bella, Napoleo,
Invictam quatiunt? Septimus en Pius
Ad Romana redit limina laetior;
Te infamis scopulus manet!

En attrita solo vana superbia!...
Laetis temporibus stultitiâ Deum
Audax adgreditur, rebus at asperis
Nutat, praecipitat, perit!

Vae vobis solio qui super impio
Non temnenda Dei iura refringitis!
Stultis nulla salus, nulla potentibus
Infensis patriae et sacris.

Stabit Relligio nescia comprimi;
Duris sueta diu, non timet hostium
Nisus, vel manicis vincta tenacibus
Orbem Diva parens regit.

Discant iustitiam! Quos Satanas movet
Atrox in Fidei regna satellites
Vindex dextra Dei fulminat, et Fides
Ad palmas properat novas.

Aquilae in Vestinis.

ANGELUS NARDIS.

EX SACRIS CONGREGATIONIBUS ROMANIS

SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE

Ex Congregatione Consistoriali.

Dubia soluta circa competentiam in Ecclesiasticis legibus interpretandis.

1) An, post ordinationem Romanae Curiae a Pio PP. X statutam, S. Congregationi Concilii adhuc competat exclusiva facultas authentice interpretandi omnia Concilii Tridentini decreta, quae ad morum reformationem, disciplinam aliaque huiusmodi pertinent, Summo Pontifice consulto? — Resp. *Negative.*

2) An facultas authentice interpretandi Concilii Tridentini decreta aliasque leges ecclesiasticas vi Constitionis *Sapienti Consilio* sit singulis Sacris Congregationibus commissa secundum propriam uniusque competentiam, salva Romani Pontificis approbatione? — Resp. *Affirmative.*

3) An eadem potestas competat sacris tribunalibus Romanae Rotae et Signaturae Apostolicae? — Resp. *Negative.*

4) An iisdem sacris tribunalibus competat saltem facultas decreta Concilii Tridentini aliasque leges ecclesiasticas interpretandi iuridice in casibus particularibus, ita nempe ut ius faciant inter partes in causa? — Resp. *Affirmative.*

(Ex decr. d. XI Februarii MCMXI).

Ex Congregatione de Sacramentis.

Instructiones circa « statum liberum » ac denunciationem initi matrimonii.

1) In memoriam redigatur parochorum haud licere ipsis adesse matrimonio, *nisi constito sibi legitime de libero statu contrahentium, servatis de iure servandis.* (Cfr. Decr. *Ne temere*, n. V § 2); iidemque praesertim moneantur ne omittant Baptismi testimonium a contrahentibus exigere, si hic alia in paroecia fuerit illis collatus..

2) Ut autem quae n. IX § 2 memorati decreti praescripta sunt, rite serventur, celebrati matrimonii denuntiatio, ad baptismi parochum transmittenda, coniugum eorumque parentum nomina et agnomina descripta secumferat, aetatem eontrahentium, locum diemque nuptiarum, testium qui interfuerunt nomina et agnomina, habeatque parochi subscriptum nomen cum adiecto parochiali sigillo. Inscriptio autem accurata indicet paroeciam, dioecesim, oppidum seu locum baptismi coniugum, et ea quae ad scripta per publicos portitores tuto transmittenda pertinent.

3) Si forte accidat ut, adhibitis etiam cautelis, de quibus num. 1, baptismi parochus, in recipienda denuntiatione matrimonii comperiat alterutrum contrahentium aliis nuptiis iam esse alligatum, rem quantocius significabit parocho attentati matrimonii.

4) Ordinarii sedulo advigilent ut haec praescripta religiose serventur, et transgressores, si quos invenerint, curent ad officium revocare, adhibitis etiam, ubi sit opus, canonicis poenis.

(Ex decr. d. IV mens. Martii MCMXI).

De probationibus matrimonii.

Dubium. — An et quibus in casibus quibusque sub conditionibus admitti valeat tamquam sufficiens probatio initi matrimonii simplex affirmatio eorum qui ex America aliisve dissitis regionibus adveniunt, quotiescumque documentum vel alia legitima probatio celebrationis matrimonii aut omnino haberi nequeat, aut nonnisi admodum difficulter et post longum tempus, quum interea rerum adiuncta moram inquisitionis non patiantur?

Resp. — Imprimis curandum diligentissime est, ut factum contracti matrimonii legitimis probationibus ostendatur: quae probationes, licet studiose quaesitae, si haberi nequeant, deferatur partibus iuramentum, quo propriam assertionem confirment: hoc praestito, partes habeantur tamquam legitimo matrimonio coniunctae, earumque proles ut legitima. Excipiendi tamen sunt casus, in quibus ius plenam probationem requirit, ex. gr. si agatur de praeiudicio alterius matrimonii vel de ordinibus suscipiendis. — Matrimonium autem per iuramentum ut supra confirmatum inscribatur non quidem in communi matrimoniorum libro, sed in distincto libello ad hoc destinato.

(Ex decr. *Venetiarum* d. VI mens Martii MCMXI).

Ex Commissione de Re Biblica.

Ratio periclitandae doctrinae Candidatorum ad Academicos Gradus in Sacra Scriptura.

Cuicumque ad Academicos in Sacra Scriptura Gradus, secundum ea quae Apostolicis Litteris *Scripturae Sanctae* constituta sunt, licet certumque est contendere, disciplinarum capita definiuntur, in quibus apud Commissionem Biblicam legitima doctrinae suae experimenta dabit.

I) AD PROLYTATUM.

In experimento quod scripto fit:

A) Exegesis (i. e. expositio doctrinalis, critica, philologica) quattuor Evangeliorum et Actuum Apostolorum. Pericope ex his, a iudicibns eligenda, de qua verbis quoque periculum fiet.

B) Dissertatio de historia biblica iuxta materiam sub num. III assignatam.

C) Dissertatio de Introductione generali iuxta materiam infra positam sub n. V, vel de Introductione speciali in sequentes libros: Pentateuchi, Iob, Psalmorum, Isaiae, Ieremiae, Ezechielis, Danielis, Ecclesiastici, Sapientiae et totius Novi Testamenti.

In experimento verbali:

I. Graece quattuor Evangelia, Actus Apostolorum, Epistola ad Romanos et secunda Epistola ad Corinthios.

II. Hebraice quattuor libri Regum.

III. Quaestiones selectae ex tota historia Hebraeorum et ex historia evangelica et apostolica: Historia Abrahae; eius relationes cum Babylonia (*Amraphel - Hammurabi?*) et cum Aegypto; Chanaan tempore Abrahae — Commoratio Hebraeorum in Aegypto; Moyses - Exodus; Hebraeorum vicissitudines in deserto. — Historia Iudicum. — Institutio regni Israelitici. — Aevum splendoris regni Israelitici; David et Salomon. — Schisma decem tribuum. Bellica incursio Sesac in Palaestinam. Regna Iosaphat, Athaliae, Oziae, Achaz, Ezechiae, Manasses, Iosiae. Hierusalem capta a Nabuchodonosor. — Dynastia Amri eiusque inimici (Mesa, etc.). Iehu, Manahem, Phacee. Ultimi dies Samariae. — Reditus ab exilio. Exordium diasporae (documenta Elephantinae). — Iudaeorum historia tempore Machabaeorum. — Iudaea sub dominatione Romana. Herodum dynastia. — Historia evangelica et apostolica.

IV. Introductio specialis in singulos libros utriusque Testamenti (i. e. authenticitas, aetas, argumentum).

V. Introductionis generalis quaestiones seleetae, nimirum: De Bibliorum Sacrorum inspiratione. — De sensu litterali et de sensu typico. — De legibus Hermeneuticae. — De praecipuis documentis Ecclesiae ad Rem Biblicam spectantibus. — De antiquis Hebreaeorum Synagogis. — De variis Iudaeorum sectis circa tempora Christi. — De gentibus Palaestinam tempore Christi incolentibus. — Geographia physica Palaestinae. — De praecipuis differentiis divisionis Palaesti-

nae tempore Regum et tempore Christi. — Topographia Hierusalem, imprimis tempore Christi. — De kalendario et praecipuis ritibus sacris Hebraeorum. — De ponderibus, mensuris et nummis in Sacra Scriptura memoratis.

II) Ad Lauream.

Scripto :

Amplior quaedam dissertatio circa thesim aliquam graviorem ab ipso candidato de Commissionis assensu eligendam.

Coram :

I. Dissertationis a Censoribus impugnandae defensio.

II. Specimen praelectionis exegeticae a candidato dandum de argumento una ante hora ipsi designato.

III. Exegesis unius ex sequentibus Novi Testamenti partibus a candidato deligendae atque pro arbitrio iudicum exponendae: Epistolae ad Romanos. — Epistolarum I et II ad Corinthios. — Epistolarum ad Thessalonicenses I et II ad Galatas. — Epistolarum captivitatis et pastoralium. — Epistolae ad Hebraeos. — Epistolarum Catholicarum. — Apocalypsis.

IV. Exegesis ut supra alicuius ex infrascriptis Veteris Testamenti partibus: Genesis. — Exodi, Levitici et Numerorum. — Deuteronomii. — Iosue. — Iudicum et Ruth. — Librorum Paralipomenon, Esdrae et Nehemiae. — Iob. — Psalmorum. — Proverbiorum. — Ecclesiastae et Sapientiae. — Cantici Canticorum et Ecclesiastici. — Esther, Tobia et Iudith. — Isaiae. — Ieremiae cum Lamentationibus et Baruch. — Ezechielis. — Danielis cum libris Machabaeorum — Prophetarum minorum.

V. Introductionis generalis quaestiones selectae: De historia exegesos christianae usque ad finem saec. V; imprimis de scholis exegeticis Alexandrina et Antiochena necnon de operibus exegeticis S. Hieronymi. — De historia canonis librorum utriusque Testamenti. — De origine et auctoritate textus Massoretici. De versione Septuagintavirali et de aliis versionibus Vulgata antiquioribus in crisi textuum adhibendis. — Vulgatae historia usque ad initium saec. VII. Eiusdem authenticitas a Concilio Tridentino declarata, et posteriores emendationes. — Notitia praecipuorum documentorum, effossionum et inventionum Sacras Litteras iilustrantium.

VI. Peritia praeterea probanda erit in aliqua ex linguis praeter Hebraicam et Chaldaicam orientalibus, quarum usus in disciplinis biblicis maior est.

Hanc periclitandae doctrinae rationem, in magis enucleatam formam a Pontificia Commissione Biblica redactam, SSmus D. N. Pius PP. X die 12 Ianuarii 1911 adprobare dignatus est.

Fulcranus Vigoroux P. S. S.
Laurentius Ianssens O. S. B.
Consultores ab Actis.

DIARIUM VATICANUM

(Mense Martio MCMXI).

Coram SSmo admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites aliosque viros, qui sui quisque muneris gratia Pontificem de more adiverunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: Veuillot doctor, Parisiensis diarii moderator, cui titulus *l'Univers;* Szecsen de Temerin, dynasta, Austrorum Hungarorumque legatus apud Apostolicam Sedem Roma translatus; Sacer Purpuratorum Senatus aulicique omnes omina SSmo offerentes ob diem eius nominalem; Iosephus Fornari doctor, Commentarii *Vox Urbis* moderator et praefectus pueris puellisque omnibus instituendis a terrae motu inferioris Italicae an. MCMVIII superstitibus, quos Pontifex suo sumptu in ephebeis collocavit, eorum epistolas et munuscula sua ipsorum manu exarata offerens ob diem pariter eius nominalem; Sodalitas Petriana e Catholica Italorum Iuventute; Laudenze doctor, catholici Lovaniensis athenaei rector; Iosephus Angelucci, episcopus Civitatis Plebis consecratus; Moreno doctor, civitatis Argentinae administer in Uruguayana republica, eiusque uxor; Heidler de Egeregg, dynasta, administer cum omni potestate imperii Austro-Ungarici apud Apostolicam Sedem; De Colleville, Comes.

Pontificiae electiones.

Nominationes episcoporum. — SS. D. N. Pius PP. X decreto S. Congregationis Consistorialis elegit; r. p. d. Bernardum Pizzorno, iam episcopum titularem Comanensem in episcopum cath. eccl. Cremensis; r. p. d. Ioseph Butt, archidioecesis Westmonasteriensis, pro-rectorem Collegii S. Bedae in Urbe, in episcopum tit. eccl. Cambysopolitanae cum deputatione in auxiliarem r. p. d. Francisci Bourne, archiepiscopi Westmonasteriensis; r. p. d. Sebastianum Herscher, iam episcopum Lingonensem, in archiepiscopum tit. eccl. Pessinuntinae, cum deputatione in coadiutorem cum futura successione r. p. d. Georgii Posilovic, archiepiscopi Zagabriensis; r. p. d. Angelum Mariam Dolci, iam archiepiscopum Nazianzenum, in archiepiscopum ecclesiae Amalphitanae; r. d. Cletum Cassani in episcopum titularis ecclesiae Thaciae Montanae cum deputatione in auxiliarem r. p. d. Aemilii Parodi, archiepiscopi Turritani; r. d. Aloisium Niella, in episcopum tit. eccl. Theuchirensis cum deputatione in auxiliarem r. p. d. Francisci Antonii Henle, episcopi Ratisbonensis; r. d. Michaëlem de Lima Valverde in episcopum cath. eccl. S. Mariae in Brasilia; r. d. Andream Karlin in episcopum cathedralium ecclesiarum Tergestinae et Iustinopolitanae; r. p. d. Oliverium de Durfort Civrac de Lorge, in episcopum cathedralis ecclesiae Lingonensis; r. d. Michaëlem de La Mora in episcopum cath. eccl. de Zacathecas; r. d. Eugenium Giambro in episcopum cath. eccl. Sarsinatensis; r. p. d. Ioannem Capitoli, iam episcopum Thermularum, in episcopum cath. eccl. Balneoregiensis; r. d. Ferdinandum Rodolfi in episcopum cath. eccl. Vicentinae; r. d. Ioannem Scotti in episcopum cathedralis ecclesiae Cariatensis; r. d. Petrum Goebl in episcopum tit. eccl. Sinopensis, cum deputatione in auxiliarem r. p. d. Maximiliani de Lingg, episcopi Augustae Vindelicorum.

— R. p. d. Eugenius Pacelli alter a secretis dicitur Congregationis ad Negotia Ecclesiastica Extraordinaria.

ANNALES

Belli rumores.

In superiore nostri commentarii numero **de discrimine inter Russorum et Sinarum imperium** diximus, deque Sinarum mente ad certamina vitanda propensa. Res tamen iterum in peius vertere ita visae sunt, ut dictitatum fuerit iam Russiam Kuldja urbe militari manu esse potituram. Contra haec, novae Sinarum concessiones nunciatae; at etiam — quod gravius est — non dubia indicia apparuisse dicuntur eorum similia quae an. MCMX fanaticorum (*boxers* vulgo nuncupant, facinoribus, praecesserunt.

***

Sed — ut non dicam **de Mexicana seditione,** quae falso Civitatum Foederatarum Americae Septentrionalis incitamentis tribuebantur — inquieta etiam **ex Mauritania** relata sunt. Ibi enim Gallia Mauritanorum imperatori reliquerat ut gentes Zaerorum et Bent — Tir puniret. Sed impares omnino sustinendo oneri civiles copiae se ostenderunt, quae Mequinez urbem obsidentes rebellium victoriam impedire nequiverunt. Elati igitur istorum animi, neque dubium quin novos asseclas sint acquisituri et fore ut civile bellum ex integro exardescat.

***

Novissimi denique **timores ex Albania** pervenerunt, praesertim e finibus Czernagorae et Scodrensis provinciae. Minime enim agitur hodie de factiosorum praecursationibus in Turcas, sed de tribus — ut videtur — omnis seditione, cui perfugae et imperii impatientes omnes accesserunt, quibus circumferendi bellum vitae quaedam necessitas habetur.

Eventus itaque anxio animo exspectamus.

PUBLICI PER ORBEM COETUS
legibus ferendis

In **Austria** ob Czechorum novas excandescentias, legatorum coetus dimissus novaque comitia ad Iunium mensem indicta.

In **Anglia**, Grey, exterarum rerum administer, de auctis navalibus expensis rogatus, lucida oratione exposuit non aggrediendum, sed ad maris imperium Angliae servandum id necessario esse factum.

In **Borussia** de publica institutione deque religione in inferioribus scholis docenda acriter disceptatum.

In **Bulgaria** inter regem et Malinowium, administrorum praesidem, dissensionibus obortis, Geschowius gubernio praepositus.

In **Germania** de commerciorum ratione late disputatum.

In **Hispania** administrorum collegium, ob declarationes circa dubia proposita ad negandam damnationem Ferrerii illius iure actam, controversum, a munere se abdicavit. Rex vero Canalejas novum collegium componendi munus iterum commisit.

In **Hungaria** rationes acceptorum et expensarum examinari coeptae.

In **Italia,** Luzzatti eiusque collegis ob denegatum sibi a «radicalium» factione suffragium, ab administrorum officio recedentibus, Giolitti suffectus, qui gubernio praeesset.

In **Russia** rogatione legis repulsa, ut provinciarum consilia in Polonis imperii provinciis crearentur, Stolypinius a gubernio recedere constituit; Caesar vero eius renunciationem ratam non habuit.

In **Serbia** Stefanovits, militum praefectus, bellicae rei administer renunciatus.

In **Turcarum imperio** lex de navigatione approbata.

PER ORBEM

Die I mens. Martii MCMXI Florentiae obit Ida Baccini, quae sive scriptis sive in scholis docens ad puerorum Italorum institutionem omni vita incubuit.

— d. III Madriti in aërodromo Mauvais aviator inter spectatores cum velivolo suo praecipitans, Villate, militum praefecto mortem, et pluribus civibus vulnera apportat.

— d. V Romae novus ad Milvium pontem hippodromus sollemni ritu inauguratur.

— d. VII Vicentiae in nosocomio, quo ad chirurgicae artis experimentum in corpore ex renis ob calculos laborante subeundum, fuerat translatus, vita fungitur Antonius Fogazzaro, Italicus scriptor apud omnes populos late celebratus, quippe qui exquisitissima arte patriae amorem, christianae religionis et sapientiae omnis inter se copulare indefesse studeret. Licet interdum extra fines processit, ita ut - quemadmodum inter omnes constat - commenticia quaedam eius fabula, cui titulus *il Santo*, in indicem librorum prohibitorum relata fuerit, nunquam tamen tum a summa fide ac bono animo tum ab obsequio magistrae Ecclesiae debito aberravit. Natus erat Vicentiae d. XXV mens. Martii MDCCCXLVIII.

— d. XI Florentiae publica exhibitio imaginum a celeberrimis artificibus effictarum patefit.

— d. XII Vesevi cacumen improviso fragore in montis gurgitem delabitur.

— d. XV marinus turbo Hetruriae oppido *Viareggio* ingentia damna procurat.

— d. XX nuncium vulgatur doctorem quemdam Americanae missionis archaeologicae in Cyrenaica provincia a fanatico Mahumetanorum furore occisum esse.

— d. XXI Olysippone ex omnium operariorum ab operibus desertione graves tumultus fiunt.

— d. XXV Gulielmus, Germanorum Caesar, cum uxore et Victoria Aloisia filia Corcyram insulam brevis rusticationis causa petiturus, Venetias consistit.

— d. XXVI Neo-Eboraci officina quaedam ad « celluloidem » conficiendum improviso incenditur. Flammae statim per domum omnem deflagrantes, homines centum et quinquaginta terribili morte absumunt.

— d. XXVII per Italiam omnem, et Romae praesertim, quinquagenaria dies ex quo in Subalpino popularium legatorum coetu Urbs Italici regni caput conclamata est, sollemnibus publicis commemoratur. Emmanuel III rex, post sessionem habitam in Capitolio, pulchrarum omnium populorum artium exhibitionem ad viam Flaminiam inaugurat.

— d. XXVIII Lutetiae Parisiorum Italus aviator Iosephus Cei, iuvenis viginti vix et duos annos natus, dum sublimis inter aëra tollitur, improvisa machinae eversione in terram deiicitur ac misere moritur.

LIBRORUM RECENSIO

De nova Georgicorum Vergilii Maronis poetica interpretatione.

Libri Georgicorum, qui Vergilio Maroni immortale decus et nomen poetae omnium elegantissimi pepererunt, plures apud nostrates nacti sunt non modo studiosos, verum etiam interpretes, qui poematis latini exquisitissimam suavitatem italico carmine exprimere tentarent. Praeter ceteros laudem meruerunt Caesar Aricius Brixiensis, Dionysius Strocchius Faventinus. In idem gloriae certamen felici ausu hac nostra aetate descendit Fortunatus Capuzzello Neretinus, in Lyceo Tusculano doctor decurialis.

Qui etsi in litteris italicis tradendis summa cum laude versatur, Mantuani tamen poetae tanta admiratione tenetur, ut illius amore et studio unice duci videatur. Et re quidem vera, quum paucis ante annis decem Vergilii Eclogas italicis versibus expressas vulgasset, paulo post in usum tironum idem Vergilii poemation optimis adnotationibus exornatum typis edendum curavit. Post haec ad quatuor Georgicorum libros animum appulit, eosque pariter italicis numeris modisque adstrictos ex officina Loescheriana in litteratorum manus nuper emisit. Quo in opere eximius interpres magnum sane laboris ingeniique fructum collegisse videtur. Nam praeter verborum proprietatem et elegantiam, praeter versus levitatem, maxime in ipso elucet studium et cura singularis, ut auctori Latino pressius inhaereat et verbum verbo exprimat fidelissime. Quae virtus et summe laudabilis in translationibus est, et una omnium difficillima in iis, qui poetas poetice quidem, sed alieno numero et rhythmo, reddere student. Si quae in tanto opere occurrant, quae fortasse lector melius exprimi voluisset, is memoria teneat illud Horatii:

ubi plura nitent in carmine non ego paucis
offendar maculis.

Ego quidem egregio viro gratulor ex animo, atque ei auctor esse velim, ut post Eclogas et Georgica ad Aeneidem iam animum intendat, ut de Virgilio Marone plene meruisse dicatur.

Anagniae, ex lyceo Leoniano.

ALFONSUS COCCHI.

LIBRI RECENS DONO ACCEPTI

Sociorum et lectorum in mentem revocamus, libros recens editos atque ad nos missos, ut in Voce Urbis *eorum notitia detur, neque hoc ipso a nobis commendari, neque apud administratorem nostrum, nisi contra aperte declaretur, venumdari. Si quis alterum eorum sibi cupiat, petat necesse est ab editore, quem semper indicamus.*

Card. ALFONSO CAPECELATRO. *Amiamo la Chiesa.* Lettera pastorale. — Romae edid. Desclée et Soc., 1911. (Ven. lib. 0,25).

FRANCESCO MAGRI. *L'emigrazione temporanea.* Lettera aperta al Clero Italiano con lettera-prefazione di Mons. Geremia Bonomelli. — Indidem. (Ven. lib. 0,40).

E. LESETRE. *Santa Genoveffa.* — Indidem. (Ven. lib. 2).

Prof. D. ANTONIO PAGANI. *Un vero modello di Madre Cristiana.* Biografia della Ven. Serva di Dio Elisabetta Canori Mora. — Romae, ex off. Pontificia parvorum Artificum a S. Iosepho, 1911. (Ven. lib. 3).

Mons. L. DUCHESNE — STEFANO LAMY. *Discorsi letti all'Accademia di Francia il 25 gennaio 1911.* — Romae edid. Desclée et Soc., 1911. (Ven. lib. 0,60).

HORACE MARUCCHI. *Guide du Forum Romain et du Palatin* d'après les dernières decouvertes avec deux plans et plusieurs illustrations dans le texte. — Indidem. (Ven. lib. 2,75).

LAMBERTO FEDERICI, *I trionfi della Chiesa Cattolica.* — Indidem. (Ven. lib. 0,40).

P. GIULIO LINTELO S. I. *Il decreto sull'età della prima Comunione.* Traduzione dal Francese di F. C. — Indidem. (Ven. lib. 0,20).

R. MAULDE DE LA CLAVIÈRE. *S. Gaetano da Thiene e la Riforma cattolica italiana* (1480-1529). Italice red-

didit et amplificavit Iulius Salvadori. — Indidem. (Ven. lib. 4).

L. Schuller. *Nuovo tesoro del Catechista e del Predicatore.* Esortazioni morali con ricco svolgimento di esempi storici e con indice alfabetico ed analitico. — Vol. duo. — Indidem. (Ven. lib. 5).

Antonio dott. Rampazzo. *Ai Predicatori novelli, avvertimenti.* — Indidem. (Ven. lib. 1).

IOCI

Medicus ad rusticum graviter aegrotantem accersitus, post latum de morbo iudicium, quum ne frustulum quidem chartae prae manibus haberet, exaravit quid pharmaci illi sumendum esset in ianua cubiculi, et admonitis, qui aderant, uti a quopiam exscribendum curarent, inde discessit. Pater autem rustici, quo maturius filio medicamentum adhiberetur, ianuam humeris impositam, ad pharmacopolam portavit.

Modiliani coena.

Nil te parcius est, Modiliane,
Qui coenas semel in die libenter.
Hora post mediam diem peracta,
Mensae lancibus, amphoris refertae,
Thecis, pixidibusque mox recumbis,
Alec, pernaque, ius praeit, butyrum,
Et p unum, botulusque, crustulumque;
Quam circumdat olus, venit bovilla
Elixa, assaque, succulentiorque.
Haec acris sequitur phalanx volucrum
Cum pulli, vituli suisque et agni.
Istis mystica nec deest placenta;
Ponuntur casei, tuceta, mala,
Et mons astapidum atque amygdalorum,
Inter Burdigalense, Tusculanum,
Rhenanum, Siculum atque Veliternum.
Hora denique tinniente sexta,
Gustans salgama, nectar et pitissans,
Surgis nempe levis, Modiliane.
Haec ructans Arabamque thermopotas,
Et sugens calamum t abes vaporas,
His coenas semel in die libenter,
His vivis satis in die libenter.
Quid te parcius est, Modiliane?

Domi se negans.

Visere non possum assiduus tua limina pulsans,
Discessum assiduus te famulusque refert.
Quo nunquam poteris tandem discedere, Claudi,
Visendi positum spes manet una mihi.

Encyclopedicus.

Omnigenas Musas calles, Eleazare, et artes,
O facinus! monstrum nam mori urus ades.

Dives avarus.

Praedia sunt tibi, sunt armenta, arcaeque refertae,
Sunt viginti aedes, horrea, musta tibi.
Attamen his miserum fore te, Polycarpe, recantas,
Ni tibi dicta forent, prome, quis ipse fores?

Tonsor maledicus.

Assideo quoties tibi deglubendus, Amuli,
Vel mores hominum factaque sponte refers.
Lites, aerumnas, sortes rixasque et amores:
Sunt aliena satis; nunc tua, macte, refer.

Numismatum collectoribus monitum.

Apud *Vocem Urbis* numismata plura ex iis quae gesta Romanorum Pontificum referunt et quotannis in festo Apostolorum Petri et Pauli cudi solent, venalia prostant.

Sunt inter haec *numismatum aeneorum Leonis XIII et Pii X integra collectio; collectio pariter integra argenteorum numismatum Pii X; et Leonis XIII ab anno XIII ad XXVI Pontificatus eius inclusive.*

Si quis aliquod vel omnia habere cupiat, rogationem simul et oblationem suam scriptis mittat ad *Drem. Iosephum Fornari*, Commentarii *Vox Urbis* Moderatorem, *Romam (via del Governo Vecchio 96).*

AENIGMATA

I.

Mortales torquet, cruciat, disperdit et angit.
Allicit ipsorum guttura dulce fragrans.

II.

Vox eadem signo parvamque pigramque volucrem,
Quae mellis cumulos depopulatur apum.
Vox eadem signo pigmentum muricis instar,
Quod decus et vetulae dat iuvenile genae.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Doctorem IOSEPHUM FORNARI, Commentarii moderatorem *(Roma, via del Governo Vecchio, 96)* miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet opus, cui titulus:

IOANNIS STROPPA
INSCRIPTIONES

Aenigmata an. XIV, n. I proposita his respondent:

1) **Ramus;** 2) **Ius.**

Ea rite soluta miserunt:

Lad. Lud. Podobinski, *Cracovia.* — Ant. Faverzani, *Merato.* — Alois. Cappelli, *Senis.* — A. Renevey, *Estavayer-le-Lac.* — Alb. Kain; Ant. Whiteside, *Dublino.* — Frid. Horwath, *Vindobona.* — Petrus Tergestinus — A. Bonnin, *Aureliano.* — Barth. Ferraris, *Augusta Taurinorum.* — Eug. Dolmar, *Neo-Eboraco.* — Alex. Pintauro; Vinc. Starace, *Neapoli.* — F. Wawer, *Marianopoli.* — Lud. Goux, *Bituricis.* — Alb. Perrand, *Lutetia Parisiorum.* — Fr. Guerra, *Aletio.* — F. Arnori *Mediolano* — P. Prado, *Venetiis.* — Rich. Brondel, *Brugis.* — Iac. Costa, *Dumio.* — F. X. M., *Drepano.* — Alb. Cattean, *Lugduno.* — Paulinus a S. Iosepho, *Barcinone.*

Sortitus est praemium:

ALEXIUS PINTAURO,

ad quem missum est carmen C. I. Erben, a Fr. Palata latine redditum, cui titulus:

DIES CHRISTI NATALI PRAEVIA.

Sponsor: Ioannes Baptista Ciampi, iurisperitus

Romae — Ex officina *Societatis Editricis Romanae.*

EUPLIUS (5

Actio dramatica a I. B. Francesia versibus senariis exarata.

SCENA V.

CYRUS (*antea denuo ingressus*).

At vos, scelesti, novi probe in tempore,
Traham vos in lucem de vestris latebris.
Quot pulchra nectunt nefarii involucra;
Quae tot evolvam ego vel tantillus puer.
Et iste Maximus noster qui nuper erat,
Est totus adiunctus feris adversariis,
In nostros pugnat, adgravat pericula.
Ast ego, cuniculis nectans cuniculos
Et peream, totos ni male perduim!
Solent adesse fratres nuper iam plurimi,
Adest et Euplius! qui vir! Et innocens,
Et firmus, impiger, sanctis et moribus.
Ut olim Romae vixerat Laurentius...
Acer virtute, fortis in contrariis,
Cluens in primis propter elemosynas.
Venit procul dubio opportunissimus.
Omnes si venti conspirarent turbidi,
Eius nec flectunt vel capillos capitis.
Eum veneratur haec nostra civitas.
Quae virtus emicat de vultus vertice!

SCENA VI.

CYRUS, EUPLIUS et FELIX (1).

CYRUS.

Pater, salve!

CHRISTIANI.

Pater, salve!

EUPLIUS.

Avete, filii!
Adsunt quae dixerat Magister tempora,
Quis nostra virtus periclitatur maxime.
At vos qui spiritus tulistis Agathae,
Eius vestigiis fortes insistite!
Iuvat in posterum magis confidere.
Audite verba quae magister edidit: (*legit*)
« Erunt in terris tempestates asperae,
« Erunt procellis atque nimbis gravidae,
« Ut ipsi sancti versentur in periculis.
« Dabit suis Ipse sanctam quam dulcedinem!
« Quis est qui vestibus de Bosra devenit
« Et Edom tinctis? Vadit in fortitudine,
« In ligno pulcher, pulcher in miraculis! »
En illud tempus nobis acceptabile!
Dedit sed exemplum Catanis Agatha,
Quod omne saeculum transactum superat.
En velum decus urbis et praesidium!
Si virgo fecerit virtutem debilis,
Meritis palmam conquisitam tulerit,
Quid nos possimus Eius patrocinio?
Admodum viget saeculum si vitiis,
Adest Iusto um nec spernendus numerus.
Mihi corona, salus, exsultatio,
Et ipsi lapides necis dulces erunt!

FELIX.

Qui nobis obferunt aeternum gaudium!

(1) EUPLIUS *cum magna Christianorum multitudine ingreditur, modesta facie, gravi incessu et habitu venerabilis.*

CYRUS.

Tibi, velim, Pater, grave quid dicere.

EUPLIUS.

Puer, tu?

CYRUS.

Ita, Pater!

EUPLIUS.

Narra confidentius.

CYRUS.

Audivi nuper, si prudenter, nescio,
Urbis praefectum loquentem cum Maximo,
De Te, Pater! Cupit trudere in vincula
Ut impotentem Christianorum ducem.
Totis ut impleant nituntur artibus.
Iuvabit ergo devitare insidias.
Scis quot tentabunt dolos vaferrimi,
Qui ut lupi rabidi per noctem quaeritant,
Quos possint dentibus macerare socios.

I. CHRISTIANUS (*curiosius*).

Quid dicit?

II. CHRISTIANUS (*item*).

Quomodo?

III. CHRISTIANUS.

Quando istaec facient?

CYRUS.

« Mox » dixit ipse. Quaerunt sed divitias!

FELIX.

Adest Volusius! Fratres, silentium!
Hic forte nostrûm fratrum persecutor est!
Recede, Pater!

EUPLIUS.

Quid? Noster Volusius...
Sanguis et ipse christiani martyris!
Erit nec hostilis neutiquam fratribus.
Quinimo validum nobis auxilium.

SCENA VII.

VOLUSIUS et DICTI.

EUPLIUS.

Salve, Volusi!

VOLUSIUS.

Salve et Tu, Eupli carissime!

EUPLIUS.

Quid est? Cur detrahis te de spectaculis?
Audisne rumores manuumque strepitum?
Plebes gaudet, plaudit triumphis Caesarum.
Cur hinc recedis?

VOLUSIUS.

Haud mihi placent ludicra
Quae tot parantur hominum periculis.
Iam mille sistunt, iam premunt molestiae
Queis humana plectitur mortalitas.
Eant a nobis ludi sanguinarii!
Sed qui sunt? Quamvis mihi cor suggerit,
Vos esse Christi stabiles discipulos,
Quod ipsi tristi saeculo receditis.

(*Ad proximum numerum*)

Ann. XIV. ROMAE, Mense Maio MCMXI Num. V.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Rerum index:

DE SUBSIDIIS QUIBUS EGET RES LATINA
COMMENTATIONES (1)

II.

In hac quae nunc habetur diversitate sententiarum de optima pronuntiatione sermonis latini, quaecumque argumenta pro hac aut illa consuetudine afferuntur aut afferri possunt, in clariori luce sistemus diiudicanda, si prius nobiscum reputaverimus ad quosnam usus curricula latina spectent, h. e., utrum ad solam antiquitatis cognitionem referantur, an etiam ad aliquam saltem hodiernarum rerum communicationem viva voce efficiendam adhibeantur. Quod si omnem omnium industriam perlectio latinarum litterarum et rerum antiquarum notitia sibi vindicant, tum recte et merito defendentur quaecumque rei latinae administrandae rationes ad antiquitatis puritatem per omnia conservandam, omni depulsa modernitatis admixtura, pertinere videbuntur; sin autem et nostrum quoque qui hodie sumus interpretem latinum sermonem fieri expedit et melior commodiorque existimatus ea docendi ratio quae confabulandi exercitationibus utitur, quis tandem linguae latinae amator dubitabit utrarum partium sententias exsequatur? Namque nullo modo fieri potest ut omnia simul possideamus; si in vetere tantum Latio versari malumus, furca expellenda sunt quaecumque ab antiquitatis finibus digitum transversum discedunt et summo studio expetenda est vel minima particula veritatis archaeologicae - quae quidem veritas profecto non minus sonis constat quam vocabulis: scilicet nemo genuinum sermonem usurpari putaret aut risum teneret si quem deprehenderet in germanica lingua Italorum vocalibus utentem.

Quamquam haec similitudo ei rei quam consideramus non omni ex parte convenit, quum non per saltum, ut aiunt, ad nos devenerit lingua latina, sed traditioue perpetua; neque Graeci probabili defensione carent, qui hodiernos sonos per diuturnam traditionem conservatos at ab aurea aetate longissime discrepantes constanter adhibent ac tutantur. Simili prorsus ratione nobis fateri licet nulla in gente conservari puritatem antiquae Romanorum pronuntiationis et hanc quam recentiores doctores astruxerunt ad veterum usum proxime accedere; immo vero concedi etiam potest indolem gravitatemque sermonis latini veris illis sonis ipsius optime referri atque exprimi: neque quisquam infitias ibit quin declinationes vocum et derivationes clarius explicentur si suus cuique voci sonus tribuatur; nihilominus tamen in praxi paedagogica non consequitur ut huic minutiarum subtilitati universos tirones mancipare debeamus et, dum pauculas vocum inter ipsas commutationes magis perspicuas reddamus aut carmen aliquod Horatianum ore vere latino canamus, societatem auxiliaque eorum quibuscum alioqui coniunctis viribus agere poteramus prae vana imagine aspernari. Verum enimvero nihil obstat quominus aliqua severitas doctrinae academicae cum generali libertate componatur. Quoties enim quique tironum ad philologicas quaestiones eruditur? cui, quaeso, praecluduntur digressiones in dumeta et vepreta hinc illinc apparentia, si universum agmen expeditiori itinere ducitur? Saepenumero animadverti indignabundus in aliqua classe primi anni neglegi vocabulorum si-

(1) Cfr. num. sup.

gnificationes ususque et curiosam dari operam nescio cui syllabae antepaenultimae cuius forte lateret proprietas phonica: scilicet nascebatur *ridiculus mus!*

Non est igitur mirum si in huiusmodi incommodis et multis parentibus suspecta latina studia sunt et - quod vehementer dolendum - si ipsis discipulis taedium odiumque pariunt: multo magis est mirandum quod quum tanta insulsitas huic disciplinae adversetur, tamen in omnibus fere scholis superioribus non modo non omissa sunt curricula latina, sed a plurimis pueris suscipiuntur. Quod autem postea neglegentius plerique agunt, non ipsorum inertiam levitatemque arguo, verum eorum qui rem latinam administrant in docendo futilitatem. Mihi credite, non sponte abhorrent pueri Americani a studiis latinis, sed ex contrario novitate sermonis magniloquentiaque alliciuntur et trahuntur. Omnes, opinor, pueri amant quidquid intellegunt, et studiose colunt eas disciplinas in quibus progressus maiores a se fieri sentiunt; neque tam difficultas discendi eos a studio deterret, quam obscuritas rerum minus clare expositarum et intellegendi desperatio. Nostra erit aut culpa (si libertate agendi fruimur aut infortunium si alienis praeceptis deterioribus uti cogimus) nisi in rectos usus hanc indolem puerilem converterimus.

***

Quaedam pars pronuntiationis sermonis latini eadem apud omnes semper et ubique fuit, nempe accentuatio; qua in re misereri possumus fratrum nostrorum, qui in Anglia graecas litteras docent. Ii enim, nescio qua perversitate provinciali adducti, in scribendo quidem apices accentuationis graecae apponere solent, in recitando autem ictus Graecorum latina ratione commutant. Duplicem igitur errorem admittunt ut de patrio sermone sonos, de latino accentus ad graeca transferant. Sed beneficio consuetudinis illius latine loquendi, quae iam inde ab incunabulis linguae latinae usque perseverat, factum est ut etiam inter novatores academicos vix ulla esset de accentibus dissensio. Quamquam ne in accentibus quidem desunt qui nonnihil immutare velint: quidam de meis praeceptoribus latinis vir ob doctrinam longe lateque clarus atque de studiis grammaticis egregie meritus, in verbis qualia sunt *censen* et *produc* ultimam acuere solebat eo quod ex contractione deesset prisca syllaba (scil. *censen* pro *censesne*); ceteroquin si quid mutant nostrates, non tam innovant quam corrigunt, ut cum *angina* media correpta efferendum esse monent.

Deinde in ipsis elementis considerandis non unaquaeque littera in disputationem dissensionemque venit, sed in generali diversitate varii cernuntur partium inter ipsas consensus. Quod quum ita sit, sequitur ut in nulla pronuntiatione omnes litterarum sonos mutatos velimus, sed in aliis alios vel magnopere praeferendos, vel omnino tollendos, vel paululum immutandos atque levigandos censeamus.

***

Me puero, tres pronuntiationes linguae latinae in libris elementariis memorabantur, romana (quae vera atque antiqua esse habebatur et postea a plerisque nostrum suscepta est) et anglica (quae in America dudum extincta est) et continentalis; scilicet Itali, Galli, Germani, Hispani eamdem pronuntiationem habere putabantur. Neque iniuria; nam testis est quisquis in scholis theologicis praelectiones latinas audivit quam facili negotio harum gentium homines latine inter se colloquantur. Quaerenti autem mecum cur et quatenus haec res ita se haberet, subiit mihi conclusio hanc uniformitatem continentalem in vocalibus et diphthongis consistere, consonarum autem diversitatem, qualiscumque esset, minoris esse momenti, saltem extra *c* et *g* litteras et fortasse *j*; deinde ne academicam quidem pronuntiationem Americanorum (exceptis *ae* et *oe* diphthongis) longius quam ut satis facile intellegeretur a continentali consuetudine afuturam fuisse, nisi curiositate ista circa minutias syllabicas tantopere laboraret.

***

Quae quum ita sint, restat ut videamus quam agendi rationem ad hanc rem componendam communi consensu inire possimus. Meo quidem iudicio, nihil aliud opus est, nisi ut temperantiam in propriis cum alienarum diversitatum aliqua notitia praestemus. Nemo de sua consuetudine cedet; licet tamen postulare ab eis qui scholas regunt ut laxetur rigidior severitas et permittatur subinde quaedam variandi libertas; si sperari non potest fore ut in Europa *c* littera ad durum sonum redeat aut ut in America *ae* et *oe* diphthongi ad *e* simplicem transeant, saltem innotescant hae discrepantiae, neve festinantiori censura damnentur. Item augeatur et confirmetur usus latine colloquendi. Nam qui interpretis loco latinum sermonem habere instituerunt, hi minoris (ut par est) faciunt ea quae sensum orationis non attingunt. *Clavus, clavo pellitur.*

(Continuabitur).

THEODORUS T. CHAVE.

Apis acriter pungit et mel conficit: sic parvo corpore anima ingeniosa et acerrima vi et et doctrinae suavitatem profert.

S. HIERONYMUS.

De Syllabi Pii P.P. X

propositione XXXVIII.

Fatebatur Lutherus (1) « hominem perditum, a peccatis omnibus, a morte atque a diaboli potestate per sanguinem pretiosum Iesu Christi fuisse redemptum ». Verum, circa mortis I. Christi valorem, aequivoce loquutus est ipse, aequivoce loquuntur asseclae eius. Solummodo ut alios a morte protegeret, ita Ritschl tenuit, Christus Iesus mortuus est; vel ut a mortis atque doloris moralibus augustiis homines liberaret, uti Wendt placuit, Christus Iesus vitam dedit, quum (Matth. xi, 28) dicat: « Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos ». Servitus a qua per mortem Iesu Christi liberati sumus, inquit Beyschlag, nonnisi servitus a spiritu peccati est. A. Harnack (2) tria esse motiva mortis Iesu Christi retinuit: 1° Sacrificii cuiusque cruenti destructionem; 2° Historiae bonum atque progressum, quum ex historia satis sit compertum iustorum poenas ac mortem in hunc scopum fuisse destinata, uti in Lutheri persona factum est, qui « infra septa monasterii pro se et pro aliis, usque ad sanguinem luctavit »; 3° Penes humanitatem ingeniti conceptus confirmationem, secundum quem peccata et iniustitiae, nonnisi per punitionem aliquam ac expiationem quamdam, remittuntur.

A. Loisy (3), A. Harnack sententiam commentans, haec habet: « Mors Christi fuit conditio quaedam a Providentia statuta, a Deo volita, atque a Christo pro resurrectione accepta. S. Marci (x, 45) verba: « Filius hominis non venit, ut ministraretur ei; sed ut ministraret et daret animam suam redemptionem pro multis » per S. Paulum inspirata fuere. Idipsum de institutionis Eucharistiae narrationibus affirmandum esse videtur. Iesus Christus, si primitivo S. Lucae (4) textui stemus, dum calicem et panem discipulis porrigit, ac mortem suam, futuramque cum suis discipulis unionem indicat, nihil de mortis suae charactere expiatorio vel redemptivo dixit ». Praefatis scriptorum sententiis, valorem omnem redemptivum mortis Iesu Christi negari paullisper consideranti manifestum fiet; propterea contra errantes est propositio trigesima octava Syllabi PP. Pii X, ex scriptis Loisy (5) desumpta: « Doctrina de morte piaculari Christi non est evangelica sed tantum paulina ». Propositionem huiusmodi brevi subiiciamus examini, ut inde eius falsitas eruatur.

(1) Schafer *Katechismuslehre* § 59. — (2) *Das Wesen d. Christentums* p. 99-100. Cf. Fei *Theol. Dog.* 3 vol. n. 122-132. — (3) *L'Évangile et l'Église* iii, iv. — (4) xxii, 18, 19, *jusqu'aux mots « Ceci est mon corps » la suite,* (addit Loisy) *du* v. 19 et le v. 20, *ont été pris de la première Epître aux Corinthiens* (xi, 24, 25) *et semblent avoir été ajoutés après coup. »!!!* — (5) « *J'ai dit de cette doctrine* (« *L'Évangile et l'Église* » 115) *qu'il « n'est pas prouvé qu'elle appartienne à l'enseignement de Jésus et à la foi de la première communauté »;* (199) *que « l'on chercherait vainement dans la prédication du Sauveur une doctrine du péché et de la justification »;* et (*Autour d'un petit livre, 124) que « la théorie de Paul est conçue en vue des Juifs et des judaïsants, pour justifier l'introduction des Gentils dans l'Église et l'autonomie du Christianisme ». Simples réflexions* p. 82.

***

Christum Iesum characterem omnimode redemptivum morti suae tribuisse in Evangeliis synopticis invenimus. Brevem quorumdam textuum analysim instituamus.

I. Sit Evangelistae Marci textus (x, 45): « Nam et Filius hominis non venit, ut ministraretur ei; sed ut ministraret et daret animam suam (λύτρον) redemptionem pro multis ». Iamvero vocabulum λύτρον quum sit hebraici *copher* versio, nonnisi redemptionem sensu catholico acceptam significare potest, ita ut protestantium interpretationes omni litterali atque theologico fundamento destituantur. Nonne multis S. Scripturae locis (1) idem vocabulum eamdem praesefert significationem? Per λύτρον siquidem captivus a captivitate alius ab onere debito, alius a morte quam meruit liberatur. Nonne diversarum scholarum critici sensum « redemptionis » eidem vocabulo continuo tribuerunt?

II. Sint verba Eucharistiae institutionis a Iesu Christo prolata et a S. Matthaeo (xxvi, 28) necnon a S. Luca (xxii, 20) nobis relata: « Hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum ». « Similiter et calicem, postquam coenavit, dicens: Hic est calix, novum testamentum, in sanguine meo, qui pro vobis fundetur ». In momento absque dubio solemnitate circumdato, quod mortem Christi praecedit, Iesus Christus verbis recensitis *a)* alloquitur conciso modo Iudaeos, quibus sacrificii, expiationis, ac redemptionis ideae familiares erant; *b)* Apostoli quos Iesus Christus alloquitur, non secus ac Iudaei ceteri, novum expectabant pactum iuxta Prophetae Ieremiae (xxxi, 33) verba: « Sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israël post dies illos, dicit Dominus: Dabo legem meam, etc. ». Rursus persuasum erat eis remissionem peccatorum impossibilem esse, sine sanguinis effusione, quum (*Hebr.* ix, 22) legatur: « Et omnia pene in sanguine secundum legem mundantur; et sine sanguinis effusione non fit remissio ». Propter haec omnia, verba a Iesu Christo in Eucharistiae institutione prolata, plane aenigmatica, obscura, inintelligibilia sunt, nisi in sensu redemptionis catholicae, ab Ecclesia determinato, accipiantur. Non alia ex causa proinde Apostolus Paulus perpetuo docuit genus humanum per mortem, crucem et sanguinem Iesu Christi, Deo fuisse reconciliatum. Ita in *Rom.* v, 10: « Quum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii eius »; in *Ephes.* ii, 16: « Reconciliet ambos in uno corpore Deo per crucem, interficiens inimicitias in semetipso »; *Colos.* i, 20, « Per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis eius, sive quae in terris, sive quae in caelis sunt ».

III. Evangelia attente legenti, totam vitam Iesu Christi nedum morum *disciplinam,* sed ulterius *redemptionis* fuisse, notum fiet. Redemptionem quidem so-

(1) *Is.* xlv, 13, Num. iii, 46-51. Exod. xxi, 30; Num. xxii, 31; Proverb. xiii, 8.

nant verba Christi quibus, discipulis ac turbis *Pater caelestis* revelatur; quibusve tamquam vitae moralis scopus, lex imponitur: « Estote perfecti, sicut perfectus est Pater vester qui in caelis est ». Redemptionem quoque sonant *mirabiles virtutes* quibus fides primitiva producitur vel fundatur; redemptionem commendat *Ipsa Christi Persona*, dum publicanos ac meretrices ad poenitentiam adducit. Supra quae omnia vero, redemptionem praedicat Iesu Christi sanguis, qui in remissionem peccatorum pro multis effundetur. Quamvis privilegiis propter miraculosam nativitatem necnon personalem unionem praeditus, Christus Iesus vere « Filius hominis » vitaeque humanae infirmitatibus subiectus efficitur, et in omnibus, etiam in morte nobis assimilari debuit. Voluit Ipse cruentae morti obviam ire, ad instar victimarum quibus Ille, tamquam hostia pacifica successit. In sanguine, qui in Gethsemani ac Calvariae loco effunditur, virtus mirabilis purificans et absolvens absconditur.

Addendum hisce omnibus, Iesum Christum in Evangeliis continue affirmasse *a*) Filium hominis debuisse mori; *b*) ad regnum Dei fundandum ac perficiendum; *c*) ad huius regni membrorum acquisitionem; *d*) ad peccata necnon peccatorum poenas quae regni Dei impedimenta sunt tollenda. In hisce vero omnibus vera redemptio sensu catholico edocta fundatur; ideoque ex ore Ipsius Christi, mors Christi vero charactere redemptivo praedita est.

***

Modernistis vero asserentibus, Evangeliorum textus a S. Paulo inspiratos esse, respondemus: S. Paulum vividiori modo characterem redemptivum mortis Iesu Christi manifestasse (1); rursus dum ipse ad Corinthios scribens, Coenae celebrationem cum suis characteribus tum redemptivo, tum expiatorio nobis refert, nonnisi Traditionem sequutus est, ait siquidem: « Ego enim accepi a domino, quod et tradidi vobis ». (2)

Propterea merito in Concilio Vaticano, canon quidam, temporis defectu nondum publici iuris factus, invenitur, cuius verba huiusmodi sunt: « Si quis non confitetur ipsum Deum Verbum in assumpta carne patiendo et moriendo pro peccatis nostris, potuisse satisfacere vel vere et proprie satisfecisse, anathema sit ».

Friburgi Helvetiorum.

P. Reginaldus Fei O. P.

(1) *Rom.* v, 10; *Ephes.* ii, 16; *Coloss.* i, 20 — (2) I *Corint.* xi, 23: « *Anche ad ammettere, del resto, che i testi di S. Luca e di S. Marco e le espressioni equivalenti di S. Matteo siano veramente interpolati o scritti sotto l'influsso della dottrina paolina, ciò non prova ancora esser falsa l'affermazione di S. Paolo quando egli attesta che predicando Gesù morto per la salute del genere umano, non fa se non trasmettere quel che ha ricevuto egli stesso. I testi dei Sinottici cesseranno in tale ipotesi, d'essere la conferma diretta di ciò che Paolo asserisce, ma restan sempre l'eco fedele d'una* tradizione *anteriore a Paolo. E se la* Tradizione, *non ha ritenuto almeno il senso generale delle più solenni parole d'addio pronunziate da Gesù, bisogna allora rinunziare ad ogni certezza* ». Ita modernus quidam.

PHILOSOPHICAE DISPUTATIONES
MODERNISTAM INTER ET THOMISTAM

De actus voluntarii dependentia erga actum rationis — Quid sit iudicium liberum penitius investigatur. (1)

M. — Nonnulli tamen theologi, inter quos et ipse Caietanus, ni fallar, connumerandus est, contendunt e contra intellectum voluntate determinari ad iudicandum unum prae aliis eligendum esse, hincque non voluntatem ab intellectu, sed intellectum a voluntate determinatum esse.

T. — Id utique concedendum est voluntate determinari quadamtenus intellectum ex parte obiecti, sicut et ipsa voluntas passionibus movetur. Qualis enim unusquisque est, talis ei finis videtur, ut fert axioma, ita ut cuipiam id facilius appareat bonum quod conformius est desiderio et complacentiae voluntatis. Neque aliud sibi vult Caietanus, Thomistarum princeps.

Adde ceterum intellectum ad exercitium actus proprii voluntate moveri, ita ut intellectus cogitet quia voluntas vult cogitationem.

Id denique retinendum simul est, intellectum voluntate inclinari ad assensum in rebus fidei et opinionis, ubi medium demonstrationis evidens in se non apparet: quod utrumque tamen non fit, nisi prius ratio iudicet melius esse assensum praebere: unde primatum denuo retinet intellectus.

Neque exhinc prorsus colligendum erit intellectum specifice determinari per voluntatem.

Distinguendum igitur sedulo inter iudicium determinatum, et acceptationem iudicii; illud quidem ab intellectu est de meritis obiecti iudicati; istud autem a voluntate quae potest illud reiicere.

Colligendum ergo est in iudicio libero supponi quidem indifferentiam et contingentiam amabilitatis in obiecto quae excludant naturalem determinationem, seu instinctum: sed libertas consilii in hoc consistit, quod iudicium sit in potestate iudicantis, prout procedens ex rationis discussione.

Hinc, ut obiter notem, egregie salvatur libertas Christi obedientis, eo quod iudicium de obedientiae bonitate non fuit ex necessitate et instinctu, sed ex consilio.

Et hoc summe considerandum est, siquidem aliud est iudicium de veritate et entitate rei, aliud de bonitate et convenientia eiusdem. Unum nempe ab alio in homine separari potest, qui, supposita excitatione ex parte obiecti, supposita legis cognitione et obiecti apprehensione, adhuc et quidem intrinsece indifferens ad opposita iudicia de istius bonitate remanet, potestque sese determinare ex consilio et iudicio proprio, proindeque liber dicendus erit, etiamsi medium fuerit unicum ad finem, etiamsi ex addito lumine errare non possit in iudicando. Secus vero in brutis duo iudicia de rei veritate et de eius bonitate disiungi nequeunt.

(1) Cfr. num. sup.

ita ut statim atque ens apprehensum fuerit, iudicent bonum vel malum ex instinctu et naturali determinatione.

M. — Tu igitur, dilectissime, nomine Sancti Thomae, omniumque assecIarum eius, contendis non esse de ratione iudicii liberi quod sit prorsus obiective indeterminatum: imo voluntatem sese non determinare nisi praevio rationis iudicio determinato. In quo igitur consistere dicis iudicium liberum? Quamnam eiusdem exhibes definitionem?

T. — Ita prorsus! At vero variae dantur passim iudicii liberi diffinitiones, quas apud Angelicum Doctorem imprimis invenire est, atque, si libuerit, notatas habebis in *Tabula Aurea* ipsius Operum.

Imprimis iudicium liberum illud dicitur, quod ex obiecto formali et modo tendendi in ipsum est supra se ipsum reflexivum, atque sui ipsius iudex, de re ipsa iudicium ferens. Quae descriptio, etsi a posteriori sit, et per proprietatem aliquam iudicii liberi, maxime tamen valet ad explanandam rei diffinitae naturam.

Ubi enim homo poterit iudicare proprium iudicium utrum sit bonum an malum, an ineptum, patet voluntatem inde in eo procedentem, liberam fore, secus ac evenit in brutis animalibus.

Liberum iudicium rursus dicitur quod attingit propter quid sui, eo quod nempe non solum enuntiat quid sit amandum aut fugiendum, sed propter quid sit amandum aut fugiendum. Sic enim homo cognoscit duo: imprimis quidem finem et proportionem mediorum ad finem; deinde, finem ut finem, et media ut media: unde potest hoc et illud amare aut fugere ut medium, et seipsum inde movere.

Ex quibus patet etiam haec afferri solita diffinitio, nempe iudicium liberum esse quod est sui causa, ex eo quod iudicans, dum cognoscit causam universalem amandi, ex ea in rerum universitate et varietate sese movere potest ut determinate iudicet, utpote attingens propter quid amoris, quid sit amandum in particulari.

Haec iterum et ultimo liberi iudicii descriptio est, quod sit ex potentia intrinseca, indifferenti ad iudicandum obiectum apprehensum esse amandum vel non amandum, seu non sit determinatum ad amorem vel odium obiecti, nisi ex collatione et discussione rationis, secus ac in bruto animali, cuius iudicium non est ex collatione rationis. Homo enim liberi iudicii dicitur qui in conferendo finem cum mediis, atque media inter se, illud approbat quod melius apparet. Iudicium de fine seu bono amando nullimode liberum est, sed naturale, quia non est iudicium examinis et discussionis: ubi autem ratio se determinat medio examine, patet ipsam non determinari nisi a se ipsa ut medium aliquod approbet, neque obiectum esse nisi contingenter amabile.

Hic tamen distingue sedulo inter libertatem iudicii, seu libertatem intellectivam, et ipsiusmet libertatis causam.

Libertas quippe intellectiva, quae causa libertatis in voluntate est, vera indifferentia activa est, qua iudicans, tamquam sui dominus, potest in iudicando opposita, in sensu quidem diviso, approbare vel reprobare ex variis boni vel mali rationibus in obiecto apparentibus, quas separatim et successive attendere potest.

Causa autem huiusmodi libertatis ea est, quia intellectus perfecte et absolute rationem boni seu finis attingit, sub cuius universalitate comprehenduntur omnia bona omnesque boni varietates, imo et modi istius necessitatis et contingentiae.

Unde intellectus apprehendens et rationem boni, et habitudinem contingentem aut necessariam, quam bona vel ex natura propria, vel ex circumstantiis sortiuntur ad bonum absolutum seu in communi, hinc retinet indifferentiam dominativam, secundum exigentiam bonitatis quam obiecta sortiuntur, vel secundum se, vel ex circumstantiis, et potest inde sese dirigere per diversos conceptus infra latitudinem boni universalis, sub quo comprehenduntur contingenter bona particularia.

Ratio autem cur possit intellectus cum indifferentia dominante opposita iudicare, ea est, quia nempe attingit finem et bonum cognitione perfecta, et sic universaliter attingit habitudinem quam prae se ferunt media ad finem, vel ex se, vel ex circumstantiis mutabilibus et contingentibus.

M. — Sed iam tempus est, amice carissime, colloquio finem hodie imponendi, ita ut de omnibus praeclare a te dictis mihi liceat profundius et attentius meditari.

Vale igitur, atque gratias ex animo tibi oblatas dignare, usquedum ad argumenti discussionem mox redeamus.

I. I. B.

EX ITALIS URBIBUS

De magno artium certamine insigniter Augustae Taurinorum indicto

III.

Quarto calendas Maias, Victorius Emmanuel III, Italorum rex, comitantibus regni administris, oratoribus popularibus et senatoribus, ceterisque potestatibus, certamini Taurinensi auspicaturus, relicta urbe, ad nos pervenit. Municipes nostri, maxima animi laetitia gestientes, urbisque magister, ei obvii fuerunt, omnia fausta adprecantes, gratias pro munere agentes unde magnus Taurinensibus honor, universaeque Italiae decus atque ornamentum.

Adventante illa die, aër ipse, qui suavioribus ventis tepescit, rem mirabiliter adiuvare atque fovere videbatur: motus, ut vulgo dicitur, in fine velocior, omnesque artifices alacriores propositum sibi iter peragebant. Quotquot enim antea tardiores adparebant ignavique, et

omnia aegerrime in crastinum differebant, promptiores in opera incumbunt, suumque insistunt negotium sapienter. Qui novus iste furor? Omnes exoptant primos cursu contingere metam, et in primis timent ne ad locum paulo serius perveniant.

Hic novas atque ingeniosas fert machinas, suo loco ponendas; ille, expositis stat scalis et ponte parato, ut novissima quaeque paret; omnes huc illuc cursitare, disponere vides, dum « fessos quatit acer anhelitus artus » !...

Haud procul magna stat statio, ad quam merces, ex omnibus dissitis regionibus profectae, mittuntur, ut inde ad locum optime dispositum adferantur. Qui labor! qui motus! Sed quoque qui mirabilis in omnibus ordo!

Est qui areolas variis iam floribus virescentes instaurat; est qui arbores nimis fluentes compescit, est denique qui iam elegantiae atque regii adparatus causa, meatus arena industriose polit, dum alii novas semper merces curribus trahunt, arte disponunt, quo pulchrius invisentibus probentur.

Visne virum cognoscere, cui omnis harum rerum multitudo ac differentia est unice concredita?

Thomas Villa is est, ingenio pollens vario atque industria, qui vel ab initio rem universam manibus prope suis mentisque virtute dirigit ac moderatur. Advocatus in primis celeber reisque adiudicandis felix olim defensor, impiger acerrimusque in causis agendis fama percrebrescebat. Munera publica adeptus, ad summum rerum gubernaculum pervenit; primum inter oratores populares deligitur, mox supremus ipsorum praeses salutatur, denique administer regii sigilli custos adsumitur. Postremis vero temporibus, sui iam nimis securus, postquam per quadraginta et amplius annos clientium suorum suffragia meruisset, ex abrupto, ab ipsis neglectus, repentino cuidam viro posthabitus, acerbissimum vulnus accepisset, nisi rex, honoris causa atque instaurationis, eum inter patres senatores adpellasset. Haec communis semper fuit mortalium sors, ut pro re nata apud summam consolationem adoriatur dolor, ne nos honoribus nimis inservientes rebusque secundis, plus aequo viribus nostris adnitamur. Quam vere, quam apte cecinit Ovidius:

Mobilis Aesonidae vernaque incertior aura!

Hic vir devexa iam aetate, sed viribus adhuc virescens, — est enim octogenario maior — omnia videt, inspicit, atque summa arte disponit ut in re sua.

Hominem si videris, corpore parvum, vividisque oculis, huc illuc festinanter firmoque pede incedentem, in mentem probe revocaveris illud Vergilii: *Sed dura viro viridisque senectus.*

***

Iuvat nunc vel obiter ad aedes singularum nationum perlustrandas accedere. In primo aditu vides molem singulari arte confectam, cuius aedificia miro artificio disposita te monent ingredi inter opera quae ab ipsa artium commerciorumque regina progrediuntur. Quidquid hominum ingenium protulit in re *eletrica,* uno quasi oculorum obtutu colligis. En agricolarum machinas vi aquae evaporatae actas, vel petrolei. Ex altera parte stant rhedae, patribus nostris omnino ignotae, quas *automobiles* recentiori vocabulo advocamus, at summo perfectissimoque artificio conditae. In re *chimica* eademque scientia, quae ad doctrinas, quas *positivas* adpellant, versatur, multae simul adparent societates, quae inventa sua audacter proponunt. Quid de gossypio dicam? Quid de eius diversimode ad artes accommodatione? Omnia iam audax Iapeti genus tentavit! Ars, quae imagines sole exprimit, ad apicem perfectionis hic pervenisse videtur. Triginta et amplius officinatores librarii conveniunt... Libros recentiores conspicis omniumque ditissimos... Haud dicere audeam quid scribere Ovidius potuit: Exactus tenui pumice versus eat?

Sunt et mirificae geographicae tabulae, in quibus describuntur vel novissimae hominum perlustrationes... De aliis alias.

Subalpinus.

CARDUELIS EVELINAE

Populeas inter frondes in valle Musonis
Primi auras hausi luminis aethereas.
Servabam nidum tenera lanugine tectus
Alarum exspectans tendere remigium,
Cum subito adducens nimbos aquilone procella
Ingruit et caelum nubibus eripuit.
Ventorum furiis silvae tremuere gementes,
Horruit avulsis messibus agricola.
Dum trepida extensis mater me protegit alis,
Grandine ab ingenti desuper occubuit.
Corruit avulsus violento turbine ramus,
Nidusque et nati procubuere simul.
Me pene exanimem suprema sustulit hora,
Et manibus fovit, pulchra Evelina suis,
Dulcique adiuvit milio, dum forte refectus
Evasi extremum funeris exitium.
Nunc cavea inclusus merito benefacta rependo,
Et dominam laetis vocibus exhilaro.

Auximi.

P. Recanatesi.

PETRUS ANGELINI

Dies XXII superioris mensis Aprilis atro notandus est lapillo tum universis linguae latinae cultoribus, tum praecipue Commentarii nostri sociis atque amicis. Illo enim die, quum nocte antecedenti haemorrhagia cerebrali correptus fuisset, Angelinius noster immatura morte decessit.

Natus erat Romae anno MDCCCXLVII parentibns ex Umbria oriundis. Absolutis cum multa laude, in Seminario Pontificio Romano, studiis omnibus sive litterariis, sive philosophicis et theologicis, anno MDCCCLXXI sacerdotio est initiatus, moxque iussus est in eodem Seminario latinas docere litteras: quam provinciam toto tricennio retinuit, tanta quidem doctrinae fama, ut Leo XIII Pont. Max., quum altioris litteraturae cursus instituisset, in iis Angelinio cathedram commiserit eloquentiae latinae. Cuius peritissimi magistri idem Pontifex haud raro usus est opera, quam probatam sibi fuisse non semel professus est.



Nec minorem existimationem et gratiam sibi defunctus comparavit apud regnantem nunc Pontificem, quem Deus in multos annos sospitem servet. Nam virum litteratissimum Pius X sibi voluit esse ab epistolis, vel brevibus ad Principes, adiecta dignitate canonicali in Basilica Vaticana.

Ceterum in scriptore nostro exemplar agnoverunt genuinae latinitatis quotquot his temporibus veterem Latii sermonem penitius coluerunt; inter quos unum referam Gandinium, qui, lecto Angelinii *Lollio*, summis laudibus hunc librum extulit, neque aurea aetate indignum esse pronuntiavit.

Et re quidem vera, diuturno studio assiduaque lectione veterum Latii auctorum, praesertim vero Ciceronis, cuius stilo maxime delectabatur, id Angelinius est consecutus, ut latini sermonis intimam indolem et naturam, quasi animo haustam et memoria, propriam sibi faceret: adeo ut quidquid cogitaret diceretque, id more antiquorum Quiritium conciperet traderetque scriptis. Accuratissime etiam investigarat pressam cuiusque vocabuli vim et significationem, et synonymorum distinctas proprietates. Quibus omnibus fiebat, ut in recensendis libris satis esset severus, ut qui primo intuitu perciperet quidquid a castigatissima latinitate vel paulum deflexisset.

Commentarius *Vox Urbis*, inde a suis exordiis, habuit in Angelinio fautorem propensissimum et alacrem scriptorem, cuius fama iam late celebrata celebritatem non parvam ipsi Commentario conciliavit. Primum ibi in lucem prodiit Angelinii opus, cui titulus *Anthea*, sive *Eamus ad Ipsum*, quam narrationem scriptoris Poloni Sienkiewicz auctor noster egregie latine verterat. Progressu temporis, alia longiorque secuta est Angelinii elucubratio, *Lollius*, de qua iam superius mentio facta est.

Longum est breviora persequi scripta, quae, prorsa et versa facundia, Petrus noster in *Voce Urbis* evulgavit. Saepe etiam libros Commentario transmissos recensuit, ea qua pollebat auctoritate.

Alia ipse scripta edidit italice, soluto sermone et numeris adstricto; nec minorem, quam in latinis, prodidit in italicis, elegantiam.

Sane, postremis temporibus, intermittere debuit operam Commentario diu navatam, tum ob alia pensa absolvenda, tum ob affectam valetudinem. Nunquam tamen eius in *Vocem Urbis* amor elanguit. Quare grato animo eius in nos benevolentiam recordamur, eique, qui integerrimus semper vixit sacerdos, requiem sempiternam a Deo imploramus. Iucundum autem fore lectoribus arbitramur, si hoc loco carmen inserimus, iamdiu nobis traditum, nunquam tamen typis editum, quod ille Leoni XIII Pont. Max. dedicavit.

F. X. R.

LEO PP. XIII

AD SEPULCRUM B. PETRI

ELEGIA.

Aspice, Petre, senem rursus tua busta petentem
Cui cingit niveum terna corona caput.
Has novus antistes cecidi prostratus ad aras,
Dum iuvenem sedes me Perusina manet.
Addebant animum praestanti in corpore vires,
Nulla dabat tristes anxia cura dies.
Nec poterant impune meum furesve lupive,
Exiguum quamvis, laedere dente gregem.
Auspiciis dextris lateque silentibus undis,
Tentabam, cymba sospite, tutus iter.
Nunc agimur tumidis scopulosa per aequora ventis
Et latet obscura condita nube dies.
Iamdudum sedeo puppi speculator in alta,
Nec fulgent votis sidera certa meis.
Praecipites agimur: **salva nos,** *Petre,* **perimus!**
Sic didicit voces reddere lingua tuas.
Cymbaque nostra tua est, olim tenuitque paventem,
Cum premeret Christi lumina fessa sopor.
Fluctibus in mediis superest spes una salutis,
Alma Fides, lymphis credere docta pedes.
Petre, Fides vigeat, Fideique alimenta ministret,
Qui te Christiadas pascere iussit amor.
Cernis, quam demens agitet discordia fratres,
Undique quam tumeant tristia bella vides!
Ictibus heu quot Vaticani immobile saxum
Coniurata Fidem rumpere turba, petit!
Et longum nostro laetabitur ipsa dolore?
Romaque erit ludus sanguine tincta tuo?
An tibi perpetuo vagina conditus ensis?
Aut gregis usque tui pectore cessit amor?
Excute divinum Christi de lumine somnum:
Imperet is ventis, imperet ipse mari.
Fallor? - an immenso versor sublimis olympo?
Nec me mortalem ludit imago tui?
Te namque his oculis Erebi caelique potentem
Adspicio huc rapidos velle movere pedes.
Labere siderea princeps demissus ab arce
Et tua det fessis dextera rebus opem.
Adspice captivum! - Tu, cui licet, adspice Romam,
Da mihi perfringi vincula, Petre, rogo.

PETRUS ANGELINI.

Stili lapidarii elementa [1]

Inscriptiones sunt quoddam historiae, seu monumenti genus aere, saxo, marmore posteris commissum de rebus maxime memorabilibus. Ipsa scribendi novitas, et difficultas suasit brevitatem, rerum autem magnitudo simplicitatem, et gravitatem. Recte igitur Boileavius dixit hoc scribendi genus esse debere in primis *breve, simplex, grave.*

Eadem pestis, quae facultatis Oratoriae, etiam inscriptionum formam vitiavit. Sententiae, argutiae, ineptiae huc quoque invectae sunt, quibus sublata simplicitas, violata gravitas, inducta prolixitudo. Res in pristinum restituatur.

Brevitas inscriptionum poscit, nihil ut superfluat, nec res fere possit paucioribus verbis exprimi: *Simplicitas*, nulla ut sit sententia a re disiuncta, figura fere nulla: *Gravitas* vero ut modus rem exprimendi relinquat aliquid legenti excogitandum: ut quum victor Germanicus congeriem hostilium armorum struxit cum titulo seu inscriptione, quae legitur apud Tacitum lib. II. Annal. cap. XXII: *Debellatis Inter Rhenum Albimque Nationibus Exercitum Tiberii Caesaris Ea Monimenta Marti et Iovi Et Augusto Sacravisse.* Forte Germanicus scripsit: *Exercitus..... Sacravit.* Pulcra est illa apud Virg. lib. III Aeneidos cum templo Apollinis affigeretur Abantis Graeci clypeus:

Æneas Haec De Danais Victoribus Arma.

Apud antiquarios reperies alias omnis generis; ex: gr: *Exercitus Victor Hostibus Fusis.* Id quod non intelligitur nisi ex linguae, loci monumentique ratione. Item *Bellum Caesaris Et Patriae Ex Magna Parte Confectum, Sex. Et Cn. Magni Pompeii Filiis In Agro Batestanorum Profligatis.* Batestani iidem, credo, sunt ac Bastitani apud Cluverium in Regno Granatae in Hispania. *Lucio Portio Provincia Optime Administrata Batestani Populi F. C.* idest *Fieri* Seu *Faciundum Curarunt*, subaudi monumentum: nihil enim opus est verbis exprimere id, quod oculis exhibetur. *Imp. Caes. Divi F. F. Aug. Pont. Max. Cos. XII Trib. Pot. X. Imp. VIII. Orbe Mari et Terra Pacato Templo Iani Clauso Et Rep. Pop. Rom. Optim. Legib. Sanctiss. Instit. Reform. Viam Superiorum Coss. Tempore Incho. Et Multis Locis Intermissam Pro Dignitate Imperii Latiorem Longioremque Gades Usque Perduxit.* Multa hic breviata, quod saepe hoc in genere accidit; idcirco explico singula. Imperator Caesar Divi Filius (Iulius enim Caesar in Diis erat positus) Pontifex Maximus, Consul duodecimo, Tribunitia potestate decimo, Imperator octavo, Orbe mari

(1) Inter chartas desideratissimi patris mei ad latinas litteras, quas enixe colebat, spectantes, opusculum hoc *De latinis inscriptionibus* inveni, quod incerti auctoris asserebatur; ille autem Iosepho Bianchinio tribuebat, ineunte saec. XIX humaniorum litterarum in Collegio Romano doctori, et in tironum usum accomodatum. Quisquis auctor fuerit, neque inutile, neque ingratum putavi, scriptum idem per *Vocem Urbis* vulgare, cum adscriptionibus ab ipso patre meo adiectis. — IOS. FORNARI.

et terra pacato, Templo Iani clauso, et Republica Populi Romani optimis legibus, sanctissimis institutis reformata, viam superiorum Consulum tempore inchoatam, et multis locis intermissam, pro dignitate etc.

Sunt aliae magis simplices, ut ea quam Valerio Publicolae tribuit Gronovius: *P. Valerius Volusii F. Igniferum Campum Diti Patri Aeternaeque Proserpinae Consecravei Ludosque Eisdem Dieis Populi Romani Salutis Ergo Fecei.* Antiquitus etiam *ei* pro *i* dicebant; hic illa pro *Consecravi, Diis, Feci.* Adde illam de Quinto Fabio Florentiae inventam: *Hannibalem Compluribus Victoriis Ferocem Subsequendo Coercuit.* Gravius Ennius: *Unus Qui Nobis Cunctando Restituit Rem.*

Similia inscribuntur statuis hominum, deorum, aris, sacellis, templis, sepulcris; e. g. *Imp. Titus Caes, Vesp... PP. Generis Humani Amor Et Desiderium.* Vesp. est Vespasianus, PP. Pater Patriae. - Simulacro Cybeles: *Magnae Matri Lucilla Aug.* i. e. Augusta. - Simulacris Herculis et Mercurii: *Voto Suscepto Corn. Demas Posuit:* Corn. est Cornelius. In sepulcris est frequens *Diis Manibus*, vel *Diis Avernis Manibus.* Etiam, *Plutoni Summano Aliisque Diis.*

Suus est huic generi scribendi modus, etsi antiquitus nec idem semper, nec rectus fuerit. Voces enim alicubi videntur confusae inter se, perperam truncatae, divisae, literae inaequales: res et sententiae in versibus male distributae. Nunc hic fere servatur mos, quem nobis reliquit politior antiquitas. I. Ut in versibus habeatur ratio sententiae, nec disiungantur, quae coniungi amant. II. Omnes omnino literae sint maiusculae, ac diphthongi solutae. III. Ut post singulas voces seu breviatas, seu integras ponatur punctum, ut melius distinguantur et emineant: nullum sit punctum in fine versuum, ubi nulla utilitas, nisi vox sit truncata. Ecce tibi exemplum:

I . O . M .
ET . IVNONI . REGINAE
PRO . SALVTE
M . AVRELII . ANTONINI
PII . FEL . AVG .
IVLIVS . PVDENS . SEVERIANVS
ARAM . CVM . BASI
POSVIT

Tres literae I. O. M. significant *Iovi Optimo Maximo:* id quod in inscriptionibus maxime occurrit: Fel. Aug. *Felicis Augusti.*

Inscriptiones nummariae sunt etiam frequentissimae, lapidariis persimiles, nisi quod sunt breviores, eodemque modo cusae, si puncta excipias, quae, hic apponi non solent, nisi vocibus breviatis. Plura vide apud Morcellium *(De Stilo inscriptionum lib. 2, partit. 3, cap. 9).* Apud Vaillantium ecce nummus qui ex una parte praefert caput Veneris victricis laureatum, ex altera equitem dextera gerentem trophaeum cum inscriptione: *M. Lepidus An. XV. Pr. H. O. C. S.* idest: Marcus Lepidus anno aetatis quinto decimo praetextatus hostem occidit, civem servavit. De quo vide Valerium Maximum lib. III. cap. I. En alius nummus, ubi caput Antonii, pone cidaris, quod erat capitis tegmen Armenis, et Persis regibus usitatum cum inscriptione: *Antonio Armenia Devicta;* in aversa nummi parte est caput Cleopatrae, cui adiecta navis prora, item cum inscriptione: *Cleopatrae Reginae Regum Filiorum Regum.* Hoc enim usitatum erat apud plures populos, ut qui reges alios sibi subditos reges haberent, ii *Regum Reges* appellarentur. Deinde vero ii etiam reges hoc titulo decorati sunt, qui nullis aliis regibus iura darent: sic Cleopatra *Regina Regum nuncupata est:* in hoc vero nummo non solum velut prima inter reges, sed inter eos etiam qui regum filii essent. *Reginae Regum Filiorum Regum* per summam adulationem nuncupata est. Prora indicat maris potentiam. Item alius nummus hinc habens connexa Honoris et Virtutis capita cum inscript: *M. Messala M. F. III;* hinc pontem cum arcubus, duasque supra pontem portas, et in eius lorica scriptum, *Ensubria:* aquae innatat cymba; in extremo orbe inscriptus est *Cossus Cn. F. Lentulus.* Nempe Messala Marci filius, et Cossus Cnei filius ob virtutem aucti honore consulatus; pons autem Abduae impositus iussu Augusti, quo facilior esset aditus Mediolanum, caput Ensubriae seu Insubriae.

Plurima in hoc genere dabit idem Vaillantius, Graevius, Gronovius, Muratorius etc. Pauca addo ex t. 1. *Antiq.* Montfaucon: ibi Iupiter adhuc puer caprae Amaltheae insidens, *Iovi Crescenti;* item parva Traiani effigies, duplo maior Iovis, laeva manu tenentis hastam, dextra fulmen et pallium quo Traianum protegit, cum inscript. *Conservatori Patris Patriae.* Sunt nummi plurimi, qui ex una parte habent Augusti caput, vel Augustae, vel utriusque, ex altera vero inscriptiones: *Spes Publica. — Felicitas Temporum. — Saeculi Felicitas. — Laetitia Temporum. — Providentia Deorum. — Securitas P. R.* (nempe Populi Romani), — *Tranquillitas Aug.* (id est Augusti). — *Foecunditas Aug.* (idest Augustae). — *Sapientiae Principis. — Clementiae. — Moderationi. etc.*

Inscriptionibus adiectae fere sunt figurae convenientes, ut Ubertati cornucopiae, aristae; Foecunditati mater cum filiis; Felicitati navis, signum commercii; Laetitiae ludi, quadrigae, certamina, etc. Imo saepe sunt figurae sine inscriptione, res enim ipsa loquitur.

Non negabo esse etiam in nummis inscriptiones longiores, quas vix ausim imitari, et cum in nummis, tum in lapidibus superadditas aliquas sententias, ut in illa Simonidis de Lacedaemoniis, qui, duce Leonida, in Thermopylis occiderunt:

Dic. Hospes. Spartae. Nos. Te. Hic. Vidisse. Iacentes
Dum. Sanctis. Patriae. Legibus. Obsequimur

Et in lapide pervetusto: *Palladi Victrici Sacr.* (sacrum). *Heic Host.* (hostium) *Reliquias Profligavit Cato Ubi Est Sacellum Struc.* (structum) *Et AEream Palladis*

Effigiem Reliquit. Pareant Ergo Et Noscant Omn. S. P. Q. R. (omnes, Senatus Populique Romani) *Imperium Et Deor. Numine et Militum Fortit.* (Fortitudine) *Et Tueri Et Regi.*

Item in sepulcro *L. Proculo L. F. XVI. An. Nato, Qui Nihil Cum Adolescen.* (adolescentibus) *Commune Habuit, Senes Sapientia Anteivit Sex. Tertullia Mat.* (mater) *Ad Lacrymas Relicta Hoc Monumentum Erexit.*

His quae ex Rhetoricis institutionibus Io. Baptistae Nogherae desumpsimus, (1) nonnulla addemus ex iis excerpta, quae tradit Io. Stephanus Morcellius vir doctissimus, atque in hoc genere omnibus anteferendus in eximio opere *De Stilo inscriptionum latinarum.*

DE VARIIS INSCRIPTIONIBUS

Quoniam non omnes latinae inscriptiones unius eiusdemque generis sunt, ideo quae varia sint genera, breviter est innuendum. Nec vero consilium probari potest eorum, qui plures, quam viginti inscriptionum classes partiti sunt, assignatis nominum, personarum, munerum divisionibus. Itaque si sex constituantur inscriptionum genera nulla erit omnino, quae vaga, ac sede exclusa videatur. Nam genus primum, quod *Sacrarum* appellamus et dedicationes, et donaria, et vota, et monumenta comprehendet; alterum quod est *Honorariarum*, omnes continebit, quae honorem cuiquam habitum demonstrent, quicumque tandem ille sit.

In tertio, quod *Epitaphiis* tribuetur quascumque personas ipsas etiam familias et sodalitates quascumque numerabit. In quarto, quod *Historicarum* inscriptionum nuncupabitur, fastis erit locus, et omnibus fere inscriptionibus consularibus, omnibus operum aut locorum publicorum privatorumque titulis, legatis quoque, donationibus, venditionibus, et quae sunt huiusmodi. Ad quintum genus spectabunt *Elogia,* sive magistratuum, sive privatorum hominum, sive etiam foeminarum. In sexto denique, quod constitutiones complectitur, ideoque *Iuridicarum, et Legalium* dici poterit, leges habebis, et edicta, et S. C. et decreta municipiorum, tum foedera quoque, et hospitia, rescripta etiam et diplomata, mensurarum ac ponderum inscriptiones, collegiorum sive sodalitatum decreta, et acta.

In quolibet autem genere vera est dictio, quae saepe *simplex,* non raro est *ornata,* aliquando etiam *singularis.* Quod discrimen in hoc fere positum, quod quaedam venuste, sane, et concinne rem propositam exiguo verborum numero significent magis, quam explicent: alias contra lux aliqua, ornatusque distinguat, et monumentorum adiecta causa adscriptusque annus, vel historiae particula illustriores faciat: nonnullae vero, sive breviores sive longiores modo tempore, aut persona verbi, modo nexu vocabulorum, aut casibus, aliquando et sermone ipso a reliquarum structura discrepent.

(1) Incertum est an Noghera earum institutionum fuerit auctor: multi contrariam tuentur sententiam. Illud pro certo habeas eas a. MDCCLXVIII Vindobonae publicatas nullius auctoris nomen praeseferre.

His generibus addit Morcellius quatuor appendices inscriptionum, quas vocat *mixti generis,* quae scilicet ad sena illa genera revocantur, sed peculiare aliquid videntur habere. Sunt vero: 1. *Temporariae,* quae scilicet ad breve tempus propositae nullam posteritatis rationem habent. Ex his autem aliae sunt *sacrae*, aliae *historicae*, aliae *funebres.* 2. *Nummariae,* quae etiam cum sacris, aut cum honorariis, aut cum historicis plane concordant. Verum in aere, argento, auro incisae sedem cum ipsis nummis, neque pubblicam, neque stabilem nactae sunt. 3. *Tituli rerum privatarum,* quos scilicet addebant veteres gemmis annularibus, poculis, pateris, tesseris, lucernis, vasis fictilibus, armis, et instrumentis bellicis, lateribus demum, ac tegulis: hi etiam nec publica auctoritate incidebantur, nec in publico prostare solebant. 4. Inscriptiones *Poeticae* in quolibet fere genere.

Nunc aliqua ex omni genere exempla eodem omnino, quo Morcellius, ordine afferre iuvabit.

(*Ad proximum numerum*)

PAROEMIAE SIVE ADAGIA

Eum ausculta, cui quattuor sunt aures.

Huius adagii, e Graeco fonte manantis, quoddam interpretamentum adfert Zenodotus; Oraculo quondam fuisse responsum Entimo Cretensi et Antiphemo Rhodiensi, ut eum observarent, cui quattuor essent aures. Is autem erat praedo quidam Phoenix, quem cavendum esse monebat oraculum. Porro, quod quattuor aures habere dictus est, non satis liquet, vere ne habuerit, an per allegoriam sit accipiendum, quod quattuor locis exploratores haberet dispositos. Verum illi, quum dei responsum tamquam ridiculum negligerent, in praedonem inciderunt, atque ab eo sunt extincti. Itaque ex hoc eventu vulgo natam esse paroemiam existimant.

Sed magis certe arridet, quod idem et Aristophane grammatico refert. Lacedaemonios Apollinis simulacrum ita fingere solere, ut quattuor haberet aures, et manus totidem; vel quod hac figura visus sit illis apud Amyclas pugnantibus; vel significantes viro prudenti res quamplurimas tum audiendas esse, tum usu vitae periclitandas. Porro creditum est antiquius, nulla oracula fuisse certiora, quam Apollinis. Atque ita monet proverbium, audiendos esse illos, qui diuturno complurium rerum usu prae ceteris sapiunt, ita ut fere faciunt senes. Unde et apud Homerum laudatur Nestoris oratio, tamquam omnium auditu dignissima; et in *Odysseae* lib. II Aegyptium heroa senem primo loco loquentem facit « qui iam incurvus erat senio, sed plurima norat ». Eodem spectavit Euripides in *Phoenissis*, ad quem locum adlusit Lucianus in *Hercule Gallico.* Verba

sunt Iocastae iam anus ad Eteoclem adolescentem, quae nos sic vertimus:

O gnate Eteocles, cuncta nequaquam mala
Adsunt senectae; nam per experientiam
Usumque rerum, dicere haud nihil rudi
Potest iuventa melius ac prudentius.

Idem nunc vulgus nostratium effert sub sordida quidem, sed tamen apta metaphora, quum aiunt prospectandum vetulo latrante cane: hoc est, nequaquam negligendum quoties senes periculum cavendum admonent. Canes enim vetuli non latrant temere quemadmodum iuvenculi.

EX SACRIS CONGREGATIONIBUS ROMANIS

SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE

Ex Congregatione Consistoriali.

De decreto « Maxima cura ».

Dubium 1. — An vigeat in Anglia novissimum de amotione administrativa ab officio et beneficio curato decretum « Maxima cura » ? — *Resp.* Affirmative. (Ex decr. d. XXVIII mens. Febr. MCMX).

2. — An decretum « Maxima cura » vigeat pro dioecesibus Statuum Foederatorum Americae Septentrionalis ? — *Resp.* Affirmative. (Ex decr. d. XIII mens. Martii MCMCXI).

De motu proprio « Sacrorum Antistitum ».

Quum in motu proprio « Sacrorum Antistitum » statutum sit ut fidei professio cum iureiurando contra Modernistarum errores praestetur a parochis aliisque beneficiatis ante ineundam beneficii possessionem, quaesitum est utrum adhuc maneat facultas facta a S. Concilio Tridentino, qua provisi de beneficiis quibuscumque, fidei professionem emittere possunt intra duos menses a die adeptae possessionis, et responsum « Negative », proindeque in posterum fidei professionem emittendam esse ante possessionem beneficii. (Ex decr. d. I mens. Martii MCMXI).

Ex Congregatione S. Officii.

De matrimoniis eorum, qui a parentibus acatholicis vel infidelibus nati, sed in Ecclesia Catholica baptizati, ab infantili aetate in haeresi vel infidelitate, aut sine ulla religione adoleverunt.

Quum decreti *Ne temere* per S. C. Concilii die II mens. Augusti MCMVII editi articulo XI § 1 expresse edictum sit novis circa formam sponsalium et matrimonii statutis legibus, « teneri omnes in Catholica Ecclesia baptizatos et ad eam ex haeresi aut schismate conversos (licet hi sive illi ab eadem postea defecerint) quoties inter se sponsalia vel matrimonium ineant », quaesitum est, « quid dicendum de matrimoniis eorum qui a genitoribus acatholicis vel infidelibus nati, sed in Ecclesia Catholica baptizati, postea, ab infantili aetate, in haeresi seu infidelitate, vel sine ulla religione adoleverunt, quoties cum parte acatholica vel infideli contraxerint », et responsum: « recurrendum esse in singulis casibus ». (Ex decr. d. XXXI mens. Martii MCMXI).

Ex eiusdem Congregationis sectione de Indulgentiis.

De utili temporis spatio ad visitationem Ecclesiae vel Oratorii instituendam, pro indulgentiis lucrandis.

Ut dubiis, difficultatibus et controversiis occurratur, quae saepe exorta sunt, ac forsitan et deinceps oriri poterunt circa temporis determinationem, quo ecclesiae vel oratorii visitatio institui valeat, quum haec requiritur ad Indulgentias lucrandas alicui diei adnexas, benigne conceditur ut utile id tempus habeatur et sit, non modo a media ad mediam noctem constituti diei, verum etiam a meridie diei praecedentis. Hoc autem declaratur fore valiturum tam pro Indulgentiis plenariis, quam pro partialibus semel in die aut toties quoties adquirendis, usque ad hunc diem concessis vel in posterum concedendis, quacumque demum sub loquutione tempus sive dies designetur. Sartis tectis manentibus de cetero clausulis et conditionibus, in singulis quibuslibet concessionibus appositis. Contrariis quibuscumque, etiam specialissima et singulari mentione dignis, non obstantibus. (Ex decr. d. XXVI mens. Ianuarii MCMXI).

Ex Congregatione Rituum.

Declarationes circa editionem Vaticanam eiusque reproductionem quoad libros liturgicos Gregorianos.

I. — Editio Vaticana de libris liturgicis Gregorianis, prouti evulgata fuit Auctoritate Apostolica, cum suis notulis traditionalibus et cum regulis Graduali Romano praefixis, satis superque continet quae ad rectam cantus liturgici executionem conferunt.

II. — Reproductiones eiusdem editionis typicae, quae praeferunt signa superinducta, rhythmica dicta, per abusum vocantur editiones ritmicae, atque uti tales haud fuerunt adprobatae, sed tantum precario toleratae; haec vero tolerantia, attentis rerum adiunctis, amplius non admittitur, nisi pro solis editionibus iam factis Gradualis et Officii Defunctorum, ideoque nullatenus extenditur sive ad editiones cum notulis Gregorianis, sive ad transumpta cum eisdem notulis Antiphonarii et aliorum quorumcumque librorum cantum liturgicum continentium, quae ad normam Motus proprii d. XXIV mens. Aprilis MCMIV et Decretorum S. Rituum Congregationis, tum pro universali Ecclesia, tum pro singulis Dioecesibus vel Congregationibus, adhuc instauranda sunt et evulganda.

III. — Rmis. Ordinariis locorum ac Superioribus Ordinum seu Congregationum interim licet editiones precario a S. Sede toleratas permittere intra limites propriae iurisdictionis, quin tamen ipsi eas in locis

sibi subiectis praecipere, atque usum editionis adprobatae inhibere valeant.

(Ex. decr. d. XXV mens. Ianuarii MCMXI).

Dubia de edendis Propriis cantum liturgicum continentibus.

I. — Utrum Propria, quae exhibent cantum gregorianum indigeant approbatione Sacrae Rituum Congregationis pro prima editione? — *Resp.* Affirmative; et singula cuiuslibet Proprii seu novi Officii aut Missae folia, apud quemlibet typographum composita, in triplici exemplari vel singillatim vel simul sumpta ad Sacram Rituum Congregationem pro revisione et definitiva approbatione transmittantur; praehabita quidem licentia illius Ordinarii loci vel Moderatoris supremi Ordinis sive instituti, in cuius usum paratur editio, quae veluti typica pro futuris editionibus inserviet.

II. — Quatenus affirmative ad I, utrum etiam pro sequentibus editionibus?

Resp. — Negative; dummodo subsequentes editiones cum prima typica editione sive Proprii sive novi Officii aut Missae fideliter concordent; prouti decretum S. Rituum Congregationis sub die 11 Augusti 1905, quod instructiones circa editionem et approbationem librorum cantum liturgicum gregorianum continentium exhibent, omnino declarat et iubet.

III. Quatenus negative ad II, utrum praeter licentiam Ordinarii loci, in quo praedicta Propria evulgantur, requiratur insuper licentia Antistitis respectivi Ordinis vel Dioecesis?

Resp. Requiritur pro subsequentibus editionibus tam approbatio Ordinarii Dioecesis vel Moderatoris Supremi Ordinis seu Congregationis, in cuius usum ipsae editiones parantur, quam licentia Ordinarii loci, in quo huiusmodi editiones conficiuntur et evulgantur,

IV. — Qua approbatione indigeant illa Propria ad Graduale vel Antiphonale Romanum Vaticanae editionis, quae exhibent cantum gregorianum notis modernis transcriptum?

Resp. Requiritur et sufficit approbatio Ordinarii Dioecesis vel Moderatoris Ordinis sive Instituti, atque licentia Ordinarii illius loci, ubi tales editiones parantur sive evulgantur, prouti in responsione ad dubium III superius indicatur. Declaravit insuper S. Rit. Congregatio tum decretum approbationis a se dandum primae editioni alicuius Proprii sive novi Officii aut Missae cantum gregorianum liturgicum exhibenti, tum approbationem Ordinarii dioecesis aut Moderatoris Supremi Ordinis sive Instituti, atque licentiam Ordinarii loci, ut supra, in scriptis praevie ab editoribus expetendam et obtinendam, omnino debere integre et fideliter in principio vel in fine Proprii vel Officii novi aut Missae publicari. (Ex decr. d. XXIV mens. Februarii MCMXI).

Circa initia epistolarum B. Pauli Apostoli, nonam lectionem in festo S. Ioannis ante Portam Latinam, hymnos in propria hora impeditos, versiculum « Ora pro nobis » in festo S. Elisabeth, et conclusionem quarumdam orationum.

I. — Initium cuiusvis epistolae b. Pauli Apostoli alicui feriae assignatum, in qua anticipatur Officium alicuius Dominicae post Epiphaniam; sicuti et initia antecedentibus feriis assignata, quatenus sint in sua ipsorum die utcumque impedita, debent omnino in antecedenti feria vel etiam Dominica recitari, etiamsi aliquando tria simul initia sic legi contingat, et omitti quoque oporteat lectiones alicui festo semiduplici, vel duplici per annum tam minori quam maiori, proprias vel de respectivo Communi per se tributas, prouti casus requirat. Lectiones autem eiusmodi propriae vel de Communi per se assignatae illi ex occurrentibus festis vel officiis, in quantum necessitas exigat, adimantur, quod habet lectiones de Communi assignatas, prae altero minus etiam nobili, sed lectiones primi Nocturni proprias habente; vel quod alteri in concurrentia debet postponi; vel in cuius die initium aliquod proprie cadit; vel denique quod posteriore tempore occurret: et si ne hoc quidem pacto omnia recitari et reponi eadem initia valeant, illa omittantur eo anno initia, quae alioquin forent posterius perlegenda, si nempe pro omnibus initiis dies a festis et officiis duplicibus primae vel secundae classis libera quomodolibet haberetur. Initia denique, quae occurrunt post eam feriam, in qua integrum alicuius Dominicae post Epiphaniam anticipatur Officium, debent illo anno prorsus omitti, iuxta rubricas generales breviarii romani sub tit. XXVI *De lectionibus*, num. 8, quia per Officium integre de aliqua anticipata Dominica persolutum, iam nova incoepit hebdomada, infra quam nequeunt ulla praecedentis hebdomadae initia reponi.

II. — Initium cuiusvis epistolae b. Pauli Apostoli illi alioquin assignatum sabbato, in quo per integrum Officium, vel per Commemorationem aliqua ex Dominicis post Epiphaniam simul cum Septuagesimae Dominica veniens anticipatur, in una ex antecedentibus feriis iugiter perlegatur, prouti sub num. I superius edicitur, non obstante decreto num. 2503 *Urbis,* 28 Martii 1775 ad I; atque in eodem sabbato, si anticipata Dominica sola Commemorationem habeat, lectiones semper ipsius Dominicae recitentur. Si tamen festum vel Officium duplex primae aut secundae classis celebratur, initium Dominicae anticipatae eo quidem anno prorsus omittitur, etsi in feriis sabbatum ipsum praecedentibus dies liberi habeantur, quum nequeant omnino impedita initia intra praecedentem hebdomadam anticipari.

III. — In festo S. Ioannis ante Portam Latinam tamquam proprie historia censeri debet lectio nona Matutini, quae de glorioso huius S. Apostoli martyrio mentionem facit; ideoque, iuxta Decretum num. 2735 *Ordinis Minorum Capuccinorum,* 8 Augusti 1835, ad II, eadem lectio nona, quae praepeditur homilia feriae vel Dominicae, vel nona lectione festi utcumque simplicis, adiungi debet lectioni octavae ipsius festi.

IV. — Hymni omnes proprii, qui ad integritatem historiae necessario non pertinent, prouti est hymnus *Te gestientem gaudiis* ad II Vesperas in festo SS. Rosarii B. M. V. appositum tamquam summarium et repetitio ceterorum, si recitari nequeant ad eas horas pro quibus designantur, ex praecepto recitentur ad alias eiusdem diei horas, in quibus alius hymnus vel de Communi utcumque desumptus vel iam in eodem recitatus Officio secus debeat adhiberi; imo, etiamsi hymnus aliquis proprius in alia diei hora minime recitatus possit, sine ulla hymnorum coniunctione, ad aliquam horam antecedentem vel subsequentem amandari. Si autem eiusmodi hymni proprii, qui ad integritatem historiae necessaria non referuntur, nequeant servari nisi cum aliis coniungantur, tunc de congruo in privata tantum Officii recitatione cum aliis hymnis quibuslibet eiusdem metri proximioribus uniri valent, prouti rubricae generales breviarii Romani, tit. XXVI *De lectionibus,* num. 3, 4 et 6, de lectionibus in privata item Officii recitatione fieri concedunt; quoniam in publica Officii celebratione non arbitrarium onus, sed necessarium tantummodo est urgendum atque in annuis kalendariis adnotandum.

V. — In festo S. Elisabeth, reginae Portugalliae, viduae, sicuti et in aliis omnibus Officiis etiam votivis sub ritu semiduplici celebrandis, quibus ad Vesperas vel Laudes versus *Ora pro nobis* fuerit assignatus, idem versus pro ipso recurrenti festo vel Officio iugiter asservetur, iuxta normam in similibus casibus generaliter observatam; atque in posterum, hoc in casu, pro Suffragio b. Mariae Virginis adhibeatur tam ad Vesperas quam ad Laudes, versus *Dignare me*, non obstante decreto num. 1918 *Ordinis Discalceatorum SS. Trinitatis,* 18 Decembris 1649 ad I.

VI. — In Officio b. Ioannis Mariae Vianney Confessoris, omnibus Galliarum Ecclesiis concesso, legendum est in VI lectione *secretiorem lucum,* iuxta textum approbatum; non autem *secretiorem locum,* prouti aliquae exhibent editiones.

VII. — Postcommunio Missae Lanceae et Clavorum D. N. I. C. pro aliquibus locis concessae, necnon oratio Officii votivi et Missae votivae de Passione D. N. I. C. concludendae sunt: *Qui vivis et regnas cum eodem Deo Patre.*

(Ex decr. *Atrebaten.* d. XXIII mens. Martii MCMXI).

DIARIUM VATICANUM

(Mense Aprili MCMXI).

Coram SSmo. admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites aliosque viros, qui sui quisque muneris gratia Pontificem de more adiverunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: Roeder de Diersburg, dynasta; Von Gebsattel, militum praefectus; Bentivoglio de Aragonia, marchio; Bruno Chaves, Brasiliae administer cum omni potestate apud Apostolicam Sedem; Paulus Petrus XIII Terzian, Ciliciae Armeniorum patriarcha nuper cooptatus; Philippus Lancellotti, princeps Urbanus; Melania de Metternich Winneburg, princeps foemina; Szapàry, Comes; Caecilia de Campillo, vidua administri Argentinae civitatis apud Apostolicam Sedem; Consilium supremum Romanae Academiae Novorum Lyncaeorum; Robertus Zileri Dal Verme, Comes; Palffi de Erdod, Comes, negotiorum gestor Austro-Hungarici imperii apud Apostolicam Sedem, nuper delegatus; De Benomar, Comitissa; Seidler, dynasta; Ioannes Schomburg-Hartenstein, princeps, novus Austrorum Hungarorumque legatus extraordinarius cum omni potestate apud Apostolicam Sedem.

Pontificiae electiones.

Provisio Ecclesiarum. — SS. D. N. Pius PP. X decreto S. Congregationis Consistorialis promovit: r. p. d. Antonium Pimenta, episcopum titularem Pentacomiensem in episcopum cath. eccl. Montesclarensis in Brasilia; r. p. Ioannem Baptistam Neudecker in episcopum tit. eccl. Heleropolitanae cum deputatione in Auxiliarem r. p. d. Francisci Bettinger, archiepiscopi Monacensis et Frisingensis; r. p. d. Cyrillum de Paula Freitas, episcopum titularem Eucarpiensem, in episcopum cath. eccl. Corumbensis in Brasilia; r. p. d. Carolum Mauritium Graham, episcopum Plymutensem, in episcopum tit. eccl. Tiberiensis; r. d. Sebastianum Leone de Silveira Cintra, in episcopum tit. eccl. Orthosiensis, cum deputatione in Auxiliarem Emi. Dni. Cardinalis Arcoverde Albuquerque Cavalcanti, archiepiscopi S. Sebastiani Fluminis Ianuarii; r. p. d. Iosephum Rovetta, in episcopum cath. eccl. Cassanensis; r. d. Angelum Portelli O. P., in episcopum tit. eccl. Selinuntinae, cum deputatione in Auxiliarem r. p. d. Petri Pace, episcopi Melitensis et archiepiscopi Rhodiensis.

Nominationes episcoporum. — Brevi Apostolico nominati sunt: r. p. Franciscus Belleville, e Seminario Parisiensi pro Missionibus Exteris, episcopus tit. Amisensis et Vicarius Apostolicus Tonkini Meridionalis; r. p. Aloisius Elisaeus Fatiguet, e Congregatione Missionis, episcopus tit. Aspendius et Vicarius Apostolicus de Kiamsi Septentrionali.

Nominatio Praefecti Apostolici. — Decreto S. C. de Propaganda Fide r. p. Raymundus Renatus Lerouge, e Societate Spiritus Sancti, Praefectus Apostolicus Guineae Gallicae in Africa nominatus est.

— Scipio Tecchi, antistes Urbanus, in concilium Commissionis historicae-liturgicae, et Elias Coccia ex Ord. Karmelitarum excalceatorum in concilium Commissionis liturgicae adlecti sunt.

— R. p. d. Dominicus Taccone-Gallucci, archiepiscopus tit. Constantien., inter consultores S. C. Studiorum refertur.

Vita functi clariores.

Die XVII mens. Aprilis MCMXI, Romae, Purpuratus Pater Beniaminus Cavicchioni, S. C. Studiorum Praefectus, vir iuris doctrina insignis. Natus erat in oppido Veiano, Viterbiensis dioecesis, d. XXVII Decembris MDCCCXXXVI; in Sacrum Senatum cooptatus die XXII mens. Iunii MCMIII, tit. S. Mariae *in Aracoeli.*

ANNALES

Mauritanum civile bellum.

Quod in superiore numero sub timoris specie enunciabamus, re evenit: civile in Mauritania bellum iterum pugnatur; iamque de tollendo Mulai Afid imperio, in eiusque loco Mulai Ismaele, eius natu minore, ponendo agitur. Qui quidem nulla voluntate sua praeditus, profecto nihil aliud quam instrumentum in Berberorum manibus erit, ideoque exteris gentibus, per vim etiam, hostilis.

Galliae, prae ceteris nationibus, in castra descendendum: ipsi namque publicam quietem servandi commissum. Neque muneri imparem natio illa se praebuit, tribunumque militum Brèmond cum suis copiis ad Fez urbem obsidione cinctam misit. Qui tamen, dum scribimus, liberandi oppidi finem minime est consequutus; videns enim hostium numerum longe superiorem, ut inutilem sanguinis effusionem excluderet, negotio supersedit, auxiliaque a gubernio suo petivit, quae revera duodecim millium hominum citatim ad eum erunt adventura. Quamquam tum in Germania tum in ipsa Hispania huiusmodi expeditio nonnullis de nimia potentia a Gallis adquirenda animadversionibus fuit obnoxia, non tamen plerisque videtur Gallia e limitibus concordi aliarum nationum consilio in Mauritania sibi constitutis, excessura.

***

Albanensis seditio.

Ceterum, si dubia et mutila de bello hoc Africano nuncia, non minus a veritate remota quae de Albanensi seditione in ipsa Europa habemus, hinc rebellibus victorias suas decantantibus, inde Turcis, qui imperium belli summum Chefket Tourgont, prudenti ac strenuo duci, tradiderunt. Quum autem intentus hic adhuc sit festinare domi militiaeque bellum, neque in aciem exierit, nullum firmum iudicium emittere, imo provisionem nullam praeripere, cordato cuique viro licet.

PUBLICI PER ORBEM COETUS legibus ferendis

In **Anglia** examen legis ferendae ad publicos coetus innovandos alacriter producitur.

In **Austria** populi oratorum coetus dimissus, novaque comitia ad diem XIII proxîmi mensis Iunii indicta.

In **Borussia,** rationibus acceptorum et expensarum libratis, sessiones interruptae.

In **Hispania** novum administrorum collegium constitutum, praeside iterum Canalejas.

In **Hungaria** acceptorum et expensarum rationes pro tempore approbatae.

In **Russia,** Wvjewodski, rei navalis administro a munere recedenti, Grigorovics, alter a trierarcho, suffectus.

In **Turcarum imperio** exterarum rerum disceptatio favorabilis Rifaat Pacha evasit.

PER ORBEM

Die I mens. Aprilis MCMXI via per Lottschberg montem transfossum ferreis axibus sternendis sollemni pompa aperitur.

— d. VI, Bononiae, totius orbis philosophorum conventus I habetur.

— d. VIII, Romae, Diocletiani thermae, e superinductis aedificiis insulatae, additoque antiquitatum Romanarum museo, invisentibus publice patent.

— d. X, ad Calabra Siculaque litora, insolita fulgensque lux sub vespere, quanam meteorica ratione ignoratur, ex improviso manans, magnum pavorem incolis affert.

— d. XII in Gallica Campania vinitores, ob quasdam novas leges latas, seditiones passim excitant, immensaque damna vinetis atque apothecis apportant.

— d. XIII, ad Augustam Taurinorum, A. Franzoi, Africae explorator notissimus, miseram sibi mortem consciscit.

Atra procella et ventorum vis Bonearensem urbem pessumdant.

— d. XV, Bononiae et in oppidis circum, opifices omnes ex condicto a laboribus suis recedunt.

— d. XVI, Faesulis, inter illius theatri romani reliquias, nonnullis litteratis viris auctoribus, Sophoclea fabula *Oedipus*, magno plausu in scenis agitur.

— d. XVIII Fallières, Gallicae reipubblicae praeses, Bisertam urbem visitaturus tenet.

— d. XXI, Urbis natali die, Romae ethnographica Italicarum gentium exhibitio sollemni ritu inauguratur a rege.

— d. XXIV, ad Augustam Taurinorum, Aemilius Salgari, milesiarum fabularum in usum iuventutis Italicus scriptor notissimus, improviso furori cedens sua ipsius manu atque atrociter vita privatur.

— d. XXV Gustavus V, Suetiae rex, eiusque uxor Romam perveniunt.

— d. XXIX, Augustae Taurinorum, omnium artium apud omnes populos publica recensio, coram Italorum rege, regalibus principibus, regni administris, senatoribus populique legatis maxima pompa reseratur.

IOCI

Tempus erat quum exigerentur pecuniae ab reipublicae moderatoribus imperatae. Eam ob causam Codrus una cum Basso ex agro contendebat in urbem. Per pontem ubi transeundum fuit: - « Ut - inquit -, Venetiis, uni de pontibus nomen est factum a suspiriis damnatorum capite, ita hunc, quem modo attigimus, nuncupandum censuerim a gemitibus eorum, qui, ad pendenda altero quoque mense vectigalia coguntur.

***

Famulus quum duo praeclara alabastra gestaret in aedium aula collocanda, unum imprudens humi deiecit, quod totum est confractum. Hero quaerenti quî id fecisset, illico ostendit homo candidissimus, altero e manu non inconsulte emisso.

***

Pessimus turbarum concitator urbes ac pagos celebriores concursabat uti incautam plebeculam sollicitaret. In oppidum quoddam venerat, quo die eos fines grando longe lateque vastaverat. Quamobrem in via passim cerneres conventicula de calamitate colloquentium, quorum unum ille audiens quum ita diceret, se, tempestate saeviente, sibi visum fuisse conspicere quod antiquitus non semel accidisse traditum memoriae est, scilicet pluisse lapidibus: — « Quam vellem - inquit - singularem rem ipse conspicere! ». — « Aisne? - cito oppidanus, - hodie, si ad coronam oraveris, voti composcris ».

T. Curzius.

Divitis filius.

I stituis leviter, polyplusie Candide, Christo
Gnatum: cur Illum negligis? Odit opes.

EPISTOLARUM COMMERCIUM

Cl. v. T. T. Ch..., *Chicagine.* — Ignoscas mihi, quaeso, si tot curis oppressus nondum tibi satisfeci. Nova scripta excepi et gratias ago. Ubi primum potuero, ad te litteras mittam.

Cl. v. Gul..... Bund....., *S. Aloisii in athenaeo.* — Ex superiore numero facile tibi innotuit, scripta illa grata futura, quae itaque exspectamus. *Tragoediam* edere poterimus, de Euplio dramatica actione absoluta.

Cl. v. Don.... Ma...., *Edderton in Scotia.* — Pro humanissimis verbis, quibus luctum meum apud me deplorasti grates rependo, sicut et tuum doleo. Illius « quinquennarii » commemorationem libenti animo accipiam.

Cl. vir Ma... Ga..., *Cavae* et E. Qu..., *Verulae.* — Spatio deficiente, ad proximum numerum.

F.

SOCIIS ET LECTORIBUS
MONITUM

Uti in superiore numero ediximus, apud Moderatorem nostrum venales depositae sunt aliquot *numismatum collectiones,* eorum scilicet quae, gesta Romanorum Pontificum referentia, quotannis in festo Apostolorum Petri et Pauli cudi solent.

Huiusmodi sunt numismata aenea omnia de Leone XIII et Pio X; argentea numismata pariter omnia de Pio X, et ab anno XIII ad XXVI inclusive de pontificatu Leonis XIII.

Sunt insuper de Pio IX, Leone XIII et Pio X plura alia, ad unum vel ad alium eorum Pontificatus annum spectantia.

Occasio praebetur nedum rara, unica si quis aliquod vel omnia emere cupiat.

AENIGMATA

I.

Totum sume, canit; *truncato vertice,* pollet;
Caudam deme, orbat; *viscera* tolle, parat.

II.

Frigore correptus *prior* ut flos floribus haeret,
Et sole adverso plus adamante micat.
Ultimus in doctrina *alter,* qui primus in arte.
Toto laetentur hortus et ora tibi.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Doctorem IOSEPHUM FORNARI, Commentarii moderatorem *(Roma, via del Governo Vecchio, 96)* miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet PETRI ANGELINI opus, cui titulus:

LOLLIUS
sive
De provecta latinitate

Aenigmata an. XIV, n. II proposita his respondent:
1) **Pes - Spes**; 2) **Palea - r.**

Ea rite soluta miserunt:

Petrus Tergestinus — Alois. Cappelli, *Senis.* — F. Arnori, *Mediolano.* — Lucius Rhaetus, *Bucarestino.* — Aug. Scriban, *Iassiis.* — Frid. Horwath, *Vindobona.* — I. M. Meunier, *Corbiniaco.* — Alb. Catteau, *Lugduno.* — Fr Baturewicz, *Zytomiria.* — Iac. Costa, *Dumio.* — Alex. P. Gest, *Trentonio.* — Paulinus a S. Iosepho, *Barcinone.* — Ios. Krause; Lud. Podobinski, *Cracovia.* — Rich. Brondel, *Brugis.* — Ant. Faverzani, *Merato.* — Eug. Dolmar, *Neo-Eboraco.* — A. Renevey, *Estavayer-le-Lac.* — F. X. M., *Drepano.* — P. Antonius dalla Venezia, *Venetiis.* — Fr. Guerra, *Aletio.* — Guil. Schenz, *Ratisbona.* — Alb. Perraud, *Parisiis.*

Sortitus est praemium:

PAULINUS A S. IOSEPHO,

ad quem missum est opus, cui titulus:

VINCENTII LANFRANCHI
DE STILO PLAUTINO ACROASIS.

Sponsor: Ioannes Baptista Ciampi, iurisperitus

Romae — Ex officina *Societatis Editricis Romanae.*

EUPLIUS (6

Actio dramatica a I. B. Francesia versibus senariis exarata.

EUPLIUS.

Sunt etenim!

VOLUSIUS.

Salvere primum vos iubeo,
Et aetas surgat auspicor felicior!

I. CHRISTIANUS.

Cur trudimur custodiam, te consule?

II. CHRISTIANUS.

Vexat, occidit barbarus nos carnifex?

III. CHRISTIANUS.

Licet dum ceteris libero pro arbitrio
Baccho servire, Marti vel Mercurio,
Docent operari cuncti qui turpia....

I. CHRISTIANUS.

Nobis servire denegatur Numini
Tulit quod rectam, crim'nisque nesciam
Legem!

II. CHRISTIANUS.

Quae fratres nos amare praecipit.

III. CHRISTIANUS.

Vetat tanti'lam ferre vel iniuriam.

IV. CHRISTIANUS.

Et omne fortiter sufferre et perpeti.

V. CHRISTIANUS.

Morique potius foede quam pollui.

VI. CHRISTIANUS.

Potens qui cuncta moderaris agmina
Deus, recedant caedes, cedant supplicia,
Saltem pro filiis!

III. CHRISTIANUS.

Tenellis parvulis!
Queis matres saepe consumuntur miserae!

VOLUSIUS.

Lubens, quid dicam? persequar consilium,
Sed omnium labitur seclorum pessimum.
Urget nam saeva Caesaris cupiditas,
Auri tot gentium inhiandi et sanguinis,
Movet quae fideles perdendi funditus.

EUPLIUS (*solemniter*).

Erit prope tempus civitas quo Catana.
Magna in quiete pacis et concordiae,
Nec fides amplius plectetur vinculis,
Et Agatha cunctis suis dominabitur.

CYRUS.

Adest Calvisianus et bonus Maximus...
Iuvat hinc ire! Quid machinantur perfidi?

VOLUSIUS.

Ite vos intro! (*exeunt ceteri*).

SCENA VIII.

CALVISIANUS, MAXIMUS et VOLUSIUS.

CALVISIANUS (*introgrediens*).

Sed te expectat populus!
Tuis qui laetatur maxime muneribus.

VOLUSIUS.

Si me vocaret nunc bellorum buccina,
Non aetas etsi floreat ut antea,
Tamen mori foret dulce pro patria
Mihi: sed turpe nunc videtur homines
Mutuo occidi vulnere in solatium!
Ehu! quantum mutantur mores et tempora!

CALVISIANUS (*ironice*).

Haud miror equidem tuam modestiam,
Soles qui gestare cor erga miseros.
Tui vidi pauperes pulsare saepius
Et confidentius fores palatii,,...

MAXIMUS.

Hic est Christianus mos: in sinum volvere
Suam qua ceteri gaudent substantiam!
Hoc inquam!

VOLUSIUS.

Non ergo meo pro arbitrio
Meum quibus lubet queo concedere?

CALVISIANUS.

At istum socii morem Christi gerunt!

VOLUSIUS.

Malum est? Bonum? Si erit bonum non pigeat
Ab ipsis sumere hanc vivendi regulam. (1)
Isti quos nimio vides vino tumidos,
Erunt Christiani? Bonae sunt ipsi fruges!
Haud ipsi multos repellent Barbaros,
Multas nec merebunt laurus militiae.
His ergo pollet Romanus exercitus?
Miles nec favebat ullis deliciis.
En quae voluptas *panis vel circensium*
Turbam nepotum Romanorum rapit!
Meis nec oculis feram spectaculum.
Vale. (*Exit*).

CALVISIANUS.

Vidisti?

MAXIMUS.

Vidi! Parum nunc abest
Quin ipsum noverim Christi discipulum.

CALVISIANUS.

Macte virtute, Maxime; divitiae
Volusii cadent nostras in capsulas;
Erit sed cumulus, cum gratia Caesaris!

MAXIMUS.

Sine modo ut mecum dolos concenturiem
Cadant ut ipsi bellule in reticulam. (*Recedunt laetantes prae victoria*)

SCENA IX.

POPULUS, MILITES (*canentes*): (1)

Aetas cum rideat,
Quaeramus gaudia!
Flores nam transeunt!
Venit tristitia!
Bacchus nos adiuvet,
Pluto nos cumulet.....
Edamus lautius,
Cras enim morimur.

FINIS ACTUS PRIMI.

(1) *Conglobatim exeunt ac transeunt ebrii, vino tumulenti, quorum alii alios sustentant.*

Ann. XIV. ROMAE, Mense Iunio MCMXI Num. VI.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Rerum index:

DE SUBSIDIIS QUIBUS EGET RES LATINA COMMENTATIONES (1)

III.

Venio ad aliud subsidium rei latinae, quod in conventibus sive conciliis doctorum identidem habendis posui. Duo autem in hac re praecipue expetuntur: unum ut e diversis gentibus quam plurimi legati conveniant; alterum ut ibi colloquentibus et deliberantibus latinus sermo non modo materiam disputandi, verum etiam interpretem ex professo communem idoneumque praebere existimetur.

Antiquissimis quidem temporibus quum neque ars ulla typographica inventa esset, qua exemplaria scriptorum affatim multiplicarentur, neque « postales » (sit venia conflato huic apud omnes gentes communi verbo) facultates suppeterent, quibus e dissitis regionibus in omnes partes tuto et celeriter transmitterentur, si quis philosophus divinasset quanta copia genus hominum aliquando librorum et commentariorum et qualibus transportandi instrumentis fruiturum esset, sine dubio praedicere non dubitavisset, fore ut per eiusmodi aetates conventibus frequentioribus plerique supersedere vellent. Falso tamen esset vaticinatus. Nam animorum coniunctio, quae litterarum commercio et librorum divulgatione alitur, corporum quoque praesentia quam maxime gaudet: atque maiores nostrae facultates homines et scripta huc illuc transportandi non modo non inutilia fecerunt concilia, sed maiorem in modum multiplicarunt et auxerunt, prout saepius et a pluribus frequentari potuere. Si hodie furerent Ariani aut Nestoriani, non exigua illa cohors Abrahamica trecentorum duodeviginti *domesticorum fidei* (2) Nicaeam ad maiestatem Unigeniti vindicandam advolaret, non ducenti tantum testes Ephesinis decretis gloriosissimis subscriberent, sed ex ultimis orbis terrarum finibus legiones millenariae excitarentur, ut quam sententiam pro Evangelii puritate iam antea libris litterisque vulgassent, eandem oris etiam testimoniis repetitam confirmarent.

Item aliud exemplum e re sacra petatur. Conventus illi qui ab Eucharistia nomen traxerunt, num a necessitate quapiam proficisci putemus? num ad dogma stabiliendum eos cogi? num dubia ibi solvi? Minime quidem: fides victrix et inconcussa Christifideles convocat; et convocat non tam ad graviter deliberandum, quam ad humaniter laetandum.

Omitto ea quae non minus praesentiam hominum postulant quam animos, qualia sunt spectacula certaminaque athletica et expositiones illae, quae dicuntur artium technologicarum; id vero silentio praeterire non possum, quod etiam opificum legati e diversis gentibus in unum convenire voluerunt, etsi hi ignoratione communis linguae libere inter se agere non poterant. Tanta quippe vis est naturae declarantis tam corpora, ora, vultus sociorum in re communi expeti quam animorum et mentium consensionem.

Sed ad linguarum studia redeamus. Quid quod factitiarum loquelarum auctores toties congregantur? Ut ingenue fatear, invidia me tangit recordantem quam facili negotio isti asseclas suos undique evocent et ad itinera longissima largis impensis facienda alliciant; quos nulla alia res con-

(1) Cfr. num. sup.

(2) *Gal.* VI, 10.

ducit, quam pura et simplex cupido sermonem quem adamarunt ad colloquia adhibendi: nos vero, quorum fidei et diligentiae studiorum optimorum atque cum plurimorum tironum institutione multipliciter coniunctorum cura defensioque permissae sunt, nostro officio satis facere videmur, si lucubrationibus operam navemus aut pauculis singuli discipulis pensa scholastica imperemus, neque a nobis impetramus ut in conspectum hominum audacter prodeamus et universae latinitatis laudes beneficiaque pro virili parte celebremus.

In quolibet coetu frequentiori eorum qui propter commune studium congregati sunt usu venire advertimus ut inflammatio quaedam animorum exoriatur studiique in rem communem augmentum cum firmiori inter participes societatis amicitiaeque sensu; atque apud alios quos forte audiendi cupido aut benevolentia erga hospites eodem adduxit vel minuuntur praeiudicatarum opinionum fastidia vel conciliantur novorum sociorum accessiones. Vis autem huiusmodi coetuum eo maior esse consuevit, quo plurium regionum legati una adeunt. Quam ob rem quando de latinis studiis agitur, quae cuiuslibet loquelae vulgaris fines excedunt et ubique terrarum propria domicilia possident, expedit omnino ut e pluribus ac latioribus regionibus quam quibus unus vulgaris sermo includatur ad nostras deliberationes conveniatur, et ut ille sermo latinus, unde haec studia originem duxerunt, omnibus actis consiliisque tamquam princeps legationis intersit.

In Europaeorum scholis superioribus quid opinentur pueri de latino sermone cottidianarum sententiarum interprete magis suspicor quam compertum habeo, quum mea vita scholastica tum discentis tum docentis in sola patria fuerit; nostratium autem opiniones probe novi. Nostri pueri quoniam nullum verbum latinum de cottidianis rebus a magistris suis dici, sed a prima rudimentorum perceptione usque ad finem cursus scholastici omnia vulgari lingua absolvi animadvertunt, in errorem haud mirandum delapsi falso concludunt, aut difficiliorem esse perpetuae orationis compositionem, quam quae ab omnibus praeceptoribus ad communes notiones indicandas suscipiatur, nedum a tironibus tentetur, aut adeo mancam mutilamque iniuria temporum esse hanc linguam, ut nonnisi antiquitatis reliquias apte exprimat.

Omnino doctrina philologica operosa illa quidem et subtilis, quae academiis et viris academicis tam meritam gloriam adfert, in bibliothecis singulorum inque pauciorum hominum circulis optime et commodissime acquiritur; illinc nullum genus investigationis excludas; sed in generali linguae litterarumque commendatione popularioribus agendi rationibus opus est.

Longum sane est enumerare, immo vero animo fingere quot et quanta beneficia in se habere possit congregatio doctorum virorum e pluribus gentibus in unum collectorum et de latinis rebus latino sermone inter se consulentium. Occurrit remissio quaedam ac temperatio opinionum itemque accommodatio ac conformatio partium ultra modum adhuc proeliantium. Vel pronuntiationis nimiae asperioresque discrepantiae eleventur ac molliantur necesse est. Scilicet nemo dictaturam huius rei affectabit, siquidem ante omnia sese intellegi cupiet. Pariter eandem temperantiam ad suos postea reportabit, et, dum ampliori usui studiorum latinorum consulat, omittet sponte ea quae huic rei obstare viderit et copiam et claritatem tricis mere philologicis anteponet. Nemo autem gloriabitur inter cives suos quod in sua primi anni latini institutione nulla vox reperiatur quae in lectionibus Caesarinis mox subsequentibus non legatur, sed ex contrario et sibi et aliis ostendere malet qua docendi ratione copiam atque ubertatem sermonis quam amplissimam tradere possit. Non enim uni anno qui instat, verum omnibus annis laborare sibi videbitur.

*
* *

At - inquit - si immutabilis est lingua latina, si in antiquitate dudum peracta leges eius fundatae sunt, quid tandem tentamus? Quis novus dictator exspectandus est, quae academia, quod imperium? Prorsus nullus, nulla, nullum. Sua cuique servabitur mentis iudiciique integritas; nulli concilio erit licentia notas res in quidpiam aliud vertendi, aut aliis doctoribus veritatem eripiendi. Sed non omnes coetus ad leges ferendas conveniunt, neque illi inter leviores habentur, quibus cogendi potestas nulla tribuitur. Testis est ille coetus Hagensis, qui sine armis et sine minis tot lites gentium dirimit: testis est ille episcoporum Anglicanorum conventus, qui decimo quoque anno apud archiepiscopum Cantuariensem consultandi causa habetur. Nam ipsa natura humana concordiam expetit et in medio severitatis et laxitatis quaerere solet.

Opus philologiae latinae nequaquam perfectum est. Innumerabilis prospicitur series laborum priusquam omnia quae incerta adhuc manent decidantur. Nihilne igitur pro certo tradatur? nullamne viam cuncti ingrediamur? Absit! Nam si aliena cognoscere, si propria declarare, si communia tenere omnes instituerint qui ubique sunt, sperare etiam licet fore ut studia humanissima via omnino humana incedant et hominibus pluribus famulando regnum ac principatum latiorem, firmiorem, diuturniorem obtinere mereantur.

(Continuabitur). THEO. T. CHAVE.

CATHOLICI DOGMATIS CONCEPTUS

Non secus ac libelli, habent sua fata doctrinae. Historia teste, quibusdam Ecclesiae saeculis discussiones, et quidem acres, circa SS. Trinitatis mysterii doctrinas habitae sunt; quibusdam aliis circa Iesu Christi Salvatoris doctrinam, unde quaestiones «Christologicae» vocatae prodiere; vel circa Ecclesiae Christi divinam constitutionem necnon Romani Pontificis iura et privilegia; unde «Ecclesiologicae» quaestiones; vel circa doctrinas ad rem sacramentariam, aut moralem pertinentes, unde quaestiones « sacramentariae » et « morales ». Nostris diebus, multis circa rem religiosam premimur disputationibus, quas inter, eminet disceptatio: «Quinam sit catholici dogmatis conceptus » ; ita ut quaestio, die 20 Aprilis 1905, a Prof. Eduardo Le Roy posita: « Quid est dogma », fuerit vere «scintilla» ex qua non parvum ortum est incendium.

Lectori benevolo *Vocis Urbis* tria praestabimus : *a)* catholici dogmatis conceptum ; *b)* catholici dogmatis conceptum, qualis penes Eduardum Le Roy invenitur ; *c)* huiusmodi conceptus, a PP. Pio X damnati, criticen.



In Novo Testamento, vox *dogma* vel significat imperium, decretum aut legem imperatoris; (1) vel significat decretum, imperium aut legem Apostolorum; (2) vel significat decretum condemnationis aut iudicium secundum mundi spiritum. (3) Si vero in scientia historiae peritis credimus, (4) penes Patres, Scriptoresque ecclesiasticos, vocis *dogmatis* significatio, subsequentibus Ecclesiae saeculis, huiusmodi fuit. Saeculis primo et secundo *dogma* significavit « praecepta Domini, doctrinas Domini et Apostolorum » ; saeculo tertio, « collectionem doctrinarum, quaeque doctrinae vel veritates credendas, vel leges adimplendas respiciebant; saeculo quarto « Fidei veritates a legibus necnon revelationis praeceptis distinctas »; saeculo quinto denique, vocabulum *dogma* specialem atque universaliter ret ntam significationem habuit; designavit nempe « Fidei veritates ». Medii aevi tempore, raro vox « dogma » adhibetur a scriptoribus; loco ilius huiusmodi expressiones invenimus : « doctrinas Fidei, — ea quae sunt Fidei ». Hodie tamen ad Fidei doctrinas, atque ad fidei catholicae veritates designandas, iterum vocabulum « dogma » assumptum est.

Multiplex vero est dogmatis conceptus, qui penes Protestantes, Modernistas, ipsosque catholicos viget. Iuxta Protestantes nonnullos (5) dogma est « veritas sive quoad conceptum sive quoad structuram ab intelligentia, necnon a Graecorum labore exercito circa ipsum Evangelium, orta ». Pro Modernistis (1) dogmata « non sunt veritates e caelo delapsae, sed sunt interpretatio quaedam factorum religiosorum quam mens humana laborioso conatu sibi comparavit ». Penes catholicos quosdam dogma est « decretum definitivum... sola veritas per se revelata » (2); vel « propositiones nonnullae quae exprimunt iudicia efformata ab anima, vel impressiones a veritate ipsa revelata causatae in anima » ; vel « veritates quaedam in S. Scriptura contentae, ab Ecclesia solemnibus pontificum vel conciliorum decisionibus definitae, vel ab ordinario Ecclesiae magisterio edoctae »; vel « veritas revelata, atque uti talis ab Ecclesia definita, fideique christianorum imposita». E. Dublanchy (3) ultimo definivit dogma: « Veritatem revelatam a Deo, atque uti talem ab Ecclesia fidei nostrae directe propositam ». Tantorum virorum salva reverentia, dogmatis nomine nos intelligimus « veritates nonnullas implicite vel explicite revelatas, ab Ecclesia pressis determinatisque verbis definitas, atque a fidelibus tamquam de fide firmiterque retinendas impositas, ita ut a nemine inter catholicos negari possint, quin separationem ab Ecclesia incurrat ». Priores conditiones a Concilio Vaticano (Sess. III *de fide catholica* c. III *de Fide,* Denz. 1641) requiruntur dum ait: « Fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab Ecclesia sive solemni iudicio sive ordinario et universali magisterio tamquam divinitus revelata credenda proponuntur ». Posterior conditio cuique Ecclesiae definitioni adnexa est. Ex quibus videsis neque *facta dogmatica* neque *doctrinales affirmationes* quae in *Epistolis Encyclicis* R. R. P. P. sparsim inveniuntur, neque *revelationes privatas* etiamsi a R. Pontifice approbatae fuerint, neque multo minus *philosophica systemata* dogmata esse fidei. Videsis rursus *doctrinam christianam* vel *doctrinam Ecclesiae* vel *doctrinam catholicam* universaliores esse quam Fidei dogma.

Partiuntur a quibusdam dogmata, in dogmata *generalia* (uti Incarnatio) et *specialia* (duae naturae in Christo); in dogmata *theoretica* (S. Trinitas) et *practica* (Sanctificatio animarum); in dogmata *pura* (Incarnatio) et *mixta* (Immortalitas animae humanae); in dogmata *explicita* et *implicita.* (4) Parum de hisce ad nos; nostra enim interest dogmatis conceptus ab Eduardo Le Roy traditus.



Mense Aprili a. 1905, Eduardus Le Roy quaestionem movebat (5) « Quid sub nomine dogmatis veniat »

(1) LUCAE II, 1° « Exiit edictum a Caesare Augusto, ut describeretur universus orbis » — *Actibus* XVII, 7 : « Hi omnes contra decreta Caesaris faciunt ». — (2) *Actibus* XVI, 4 : « Tradebant eis custodire dogmata, quae erant decreta ab Apostolis et Senioribus, qui erant Hierosolymis ». — (3) *Colossenses* II, 14, 20 : « Delens, quod adversus nos erat chirographum decreti... Quid adhuc tamquam viventes in mundo decernitis ? » — (4) Cfr. VACANT, *Dictionnaire de Théol. catholique, fasc.* XXX, v. *Dogme.* — (5) A. HARNACK, *Récits de l' Histoire des Dogmes*, traduit par E. Choix (Intr. p. IX-X.

(1) LOISY, *Autour d'un petit livre.* Lettre à un jeune savant. I; *L'Évangile et l'Église.* Le dogme chrétien II. In Epistola « Pascendi » iuxta Modernistas « Secundariae sententiae... a supremo Ecclesiae magisterio sancitae... constituent *dogma* ». — (2) Cfr. Nomina auctorum, citationesque in libro P. R. FEI *De dogmatis evolutione.* — (3) VACANT, *Dictionnaire* l. c. (4) Cfr. SPECHT LEHRBUCH d. *Dogmatik*, I B. — (5) *Quinzaine*, 1905, p. 494-526. Cfr. ibi innumeras Dogmatis notiones, uti notiones a P. Allo, Lègues, aliisque etc., traditas,

enumeratisque prius modernorum contra traditionalem dogmatis conceptionem difficultatibus, suammet dogmatis conceptionem tradebat. Modernorum difficultates huiusmodi sunt :

I. — Dogma quaedam propositio est, neque per semetipsam demonstrata, neque per intrinsecam demonstrationem demonstrabilis; sapientes vero moderni nulli adhaerent veritati, nisi per argumenta specifica ac directa demonstrata fuerit.

II. — Dogmata nonnisi indirecte et ab externo probantur; eorumdemque veritas quasi per violentiam in hominis intellectum intrat. Hodie vero, si philosophi, sensuque philosophico praediti esse volumus « Immanentiae principium » amplectendum est iuxta quod, uti Blondel asserere placuit, veritas religiosa ab homine acceptari nequit, nisi ab intimo ipsius proveniat, imo eam provenire ab intimo quaedam necessitas est.

III. — Dogmata tum propter metaphoras tum propter formulas a Platonis Aristotelisque systematibus philosophicis desumptas, quaeque obsolescunt, multis aequivocationibus occasionem praebent, ita ut intellectus neque quid determinate affirment, neque quid determinate negent clare videat. Hodie tamen, unusquisque clare definit, quid determinate affirmet, quid determinate neget.

IV. — Dogmata sunt : *a)* veritates immutabiles absque aliquo progressu; *b)* veritates transcendentales absque relatione aliqua ad vitam realem intellectivam; dum tamen hodie cuique apertum est, nullam veritatem esse immobilem, omnemque veritatem verum realemque influxum in vitam intellectivam exercere, imo quo maior est progressus et influxus, eo nobilior est veritas.

Difficultatibus hisce fundamentum praebet conceptio dogmatis mere intellectualis, et nonnisi secundario moralis et practica, quaeque de facto non est catholica. Ex falsa hac notione innumera inconvenientia oriri necesse est. Sint ex. g. tria haec dogmata : « Deus est personalis — Christus resurrexit — Christus est realiter praesens in Eucharistia ». Si notio dogmatis « Deus est personalis » mere intellectualis est, difficultas oritur primo ex voce « Deus » secundo ex voce « personalis » quae si definitur, in *anthropomorphismum,* si non, ad *agnosticismum* ducit. Non dissimili modo, si mere intellectualis est conceptio dogmatis « Christus resurrexit », nonnisi metaphoram quamdam habere necesse est. Non enim significatur Christum in identico eodemque statu apparuisse in quo ante crucifixionem suam fuerat; Iesus siquidem a mortuis resurgens, gloriosus est, neque legibus physicis amplius subiectus. Propterea respectu Christi in statu glorioso existentis notio vitae non eadem est ac vitae notio generica, nequit exprimi, vitae vocabulum diversam praebet significationem, nonnisi metaphora quaedam est. Sit denique dogma : « Christus est praesens realiter in Eucharistia » ; nonne eadem oriuntur inconvenientia si in conceptu mere intellectuali sistamus? Huiusmodi praesentia neque definiri, neque analysi subiici potest, quacumque caret significatione. Alia ideoque via ad veram dogmatis notionem tradendam procedere oportet. Videlicet :

I. — Dogmati significatio negativa tribuenda est ; dogma nempe errorem damnat, potiusquam determinat positive veritatem. Siquidem dum dicitur - *a)* « Deus est personalis » significatur « - Deus est impersonalis, - non est lex quaedam, categoria aliqua » ; *b)* « Christus est praesens in Eucharistia », sensus est ; « Hostia consecrata non est tantum symbolum et figura Christi » ; - *c)* « Christus resurrexit », sensus est : « Mors, activitati Christi Iesu terminum non posuit, non fuit pro Christo, id quod pro ceteris hominibus est ».

II. — Dogmati significatio practica tribuenda est ; videlicet dogma est formula quaedam vitam practicam dirigendi *(règle de conduite pratique)*; praescriptionem quamdam ad ordinem practicum pertinentem primitus enuntiat. Siquidem dum dicitur : *a)* « Deus est personalis » sensus est : « In relationibus tuis ad Deum ita age, uti cum humana persona agere tibi consuetum est » ; *b)* « Christus est praesens in Eucharistia », sensus est : « Esto coram hostia consecrata sicut coram Iesu Christo visibiliter praesente » ; *c)* « Christus resurrexit » sensus est : « In relationibus tuis ad Christum, esto uti cum Christo ante mortem suam fores, uti cum persona tibi coaeva esses ». Animadvertas tamen sub voce « practica » voces « actionem et vitam » esse intelligendas, et quidem vitam mentis *(vie de la pensée)* ita ut inter cogitationem et dogma relatio quaedam detur, atque formula, quae latine non facile redditur, valeat : « *Épreuve d'expérience vécue, et non pas dialectique intellectualiste.* »

III. — Dogmati in se et per se practicam significationem habenti mysteriosa quaedam realitas respondet, atque problema theoreticum intellectui proponit ; ideoque inferendum superest : *a)* Conceptionem dogmatis intellectualem qualis penes multos viget hodie, difficultates ex idea dogmatis exurgentes, insolubiles reddere. - *b)* Doctrinam noviter edoctam secundum quam « actioni » potior conceditur pars, omnia solvere, quin tamen vel iuribus intellectus vel exigentiis dogmatis offensa aliqua inferatur.

⁂

Fas est nobis conceptus dogmatis ab Eduardo Le Roy traditi, brevem instituere criticen.

I. — Conceptus huiusmodi damnatus fuit in Syllabo Pii PP. X. *(Prop. 26)* : « Dogmata Fidei retinenda sunt tantummodo iuxta sensum practicum, idest tamquam norma praeceptiva agendi, non vero tamquam norma credendi ». (1)

II. — Conceptionis dogmatis a Le Roy traditae fundamentum est « Immanentiae systema » iuxta quod

(1) Propositio haec desumpta fuit, ab opere. E. Le Roy *(Dogme et critique,* p. 25) « *Un dogme a surtout un sens pratique. Il énonce avant tout une prescription d'ordre pratique. Il est plus que tout la formule d'une règle de conduite pratique* ».

« cum religionis obiectum sit Deus, concludendum omnino est, Fidem, quae initium est ac fundamentum cuiusvis religionis, in sensu quodam intimo collocari debere, qui ex indigentia divini oriatur. Haec porro divini indigentia, quia nonnisi certis aptisque in complexibus sentitur, pertinere ad conscientiae ambitum ex se non potest; latet autem primo infra conscientiam, seu, ut mutuato vocabulo a moderna philosophia loquuntur, in « subconscientia », ubi etiam illius radix occulta manet atque indeprehensa ». Quae omnia merito uti falsa a Pio PP. X in Epistola *Pascendi* damnata fuere; hisce omnibus rursus concessis, tum Fidei, tum dogmatis catholici supernaturalem essentiam negare necesse est.

III. — Quamvis in dogmatis catholici conceptu elementum aliquod ad vitam practicam pertinens includatur, quo credentium actiones respectu veritatum supernaturalium regulantur uti ex Sanctorum vita, atque ex Theologorum assertione manifestum est; dogma tamen determinationem intellectualem *prius* continet; est nempe propositio quaedam terminis realibus expressa, atque analogico modo realitatem Divinam manifestans. Dogma ulterius non iam *a religiosa experientia* sive haec individualis sive collectiva sit originem ducit, sed a proprie dicta revelatione, ita ut verbum Dei externe prolatum sit unicus eiusdem dogmatis fons. (1)

IV. — Denique, affirmat Le Roy (2) dogmati « realitatem quamdam mysteriosam respondere »; quomodo tamen obiectiva dogmatis realitas maneat, in significationibus, per exempla ab ipso allata traditis, non satis apparet. Siquidem dum dicitur: « Christus est praesens in Eucharistia », si sensus est, uti Le Roy affirmat: « Esto coram hostia consecrata sicut coram Iesu Christo visibiliter praesente », neque clare, neque satis aperte realitas obiectiva praesentiae Iesu Christi in Sacramento altaris exprimitur. Non aliter de ceteris exemplis iudicandum est.

***

Propter omnia haec non immerito I. Wehrlé (3) declaravit: *a)* Notionem dogmatis ab Eduardo Le Roy traditam a catholico viro defendi non posse. — *b)* Distinctionem inter dogmaticam formulam, realitatemque illi respondentem ab eodem scriptore introductam, arbitrariam, aequivocam, periculosam esse, despectus siquidem formulae cum dogmatis despectu facile coniungitur. — *c)* Interpretationem practicam a Le Roy dogmatis traditam anthropomorphismum moralem inducere, ideoque inutiliter ad anthropomorphismum metaphysicum impugnandum fuisse adinventam.

Friburgi Helvetiorum.

P. Reginaldus Fei O. P.

(1) Cfr. *Revue des sciences philosophiquese et théologiques*, 1907, p. 790. — (2) *Revue Biblique*, Oct. 1907, p. 547. — (3) *Revue Biblique*, 2 Juillet, 1905, p. 323.

Fortuna vitrea est: tum quum splendet frangitur.

Publil. Syrus, *Mim.*

S. OTHILIAE MONS (1)

Audax Alsaticis surgit in Alpibus
Mons, cuius tumidum scandere verticem,
vix aestate calente,
ardet civis et advena.

Gratum spirat ibi frigus, et urbium
nil corrupta nigris aura vaporibus;
huc secedit Hygea,
elusura Caniculam.

Sublimi e speculâ splendida visui
affulget regio, nescia finium.
Qua sol occidit, alta
apparent iuga montium,

silvis umbriferis laeta virescere;
moles unde frequens emicat arcium,
partim diruta, priscis
formidabilis hostibus.

(1) Mons Alsatinus, qui a virgine *S. Othilia* post septimum saeculum nomen accepit, primitus sub Gallo-Romanis *Altitona*, postea vero sub regibus Merovingicis germanice *Hohenburg (Castrum sublime)* appellatus fuit, ob arcem in eius summitate exstructam. Ibi iam aborigines Celtae castra posuerant, moenibus cincta Cyclopeis, quorum pars etiamnum superest, vulgo nuncupata *Heidenmauer* (Paganorum murus). Ex eius cacumine magna conspicitur pars cum Alsatiae, tum regionis Badensis, item Rhenus interfluens, cum pagis et oppidis fere trecentis, praeter urbem Argentinam aliasque, ac veteres passim arces Vosagorum montibus impositas.

Othilia virgo, nata circa annum DCLX ad radices montis Hohenburg, supremum diem obiit a. DCCXX in arce paterna eiusdem montis, quam ipsa in asceterium sanctimonialium converterat; aedificatis ibidem, praeter templum maius, variis sacellis et valetudinario, quod invisere quotidie solebat ut aegrotis ministraret. Pater eius, cui nomen *Etichon* vel *Attichus*, inter Francos nobilissimus, dux erat Alsatiae; mater eius *Bereswinda* pari erat generis nobilitate, cuius soror nupserat regi Childerico II.

Vixit Othilia sanctissime, eiusque sepulcrum gloriosum evasit et meta facta est sacrarum peregrinationum, quae ad hodiernam usque aetatem perdurant. Inter illustriores huiusmodi peregrinos, historia recenset Imperatores Romanos Carolum Magnum, Ludovicum Pium, S. Henricum, Fridericum Oenobarbum, et Anglorum regem Richardum a Corde Leonino. Montem Othilianum bis etiam ascendit S. Leo IX Pont. Rom., ex Alsatia oriundus, qui ibi a. MXLIX novum templum abbatiale consecravit. — Othiliam Alsati caelestem sibi Patronam delegerunt.

Inter antistitas, quae Othiliae successerunt, eminet *Herrada a Landsberg*, quae saeculo XII docte scripsit et affabre depinxit Codicem membranaceum, inscriptum HORTUM DELICIARUM: opus admirabile, cuius tamen nunc apographa tantum existunt; nam ipse Codex a. MDCCCLXX, in obsidione urbis Argentinae, cum tota urbica bibliotheca misere periit, incendio absumptus, quod igniti excitarunt globi ab hoste evibrati.

Qua sol exoritur, Rhenus adultior
volvit caeruleas prata per herbida
undas, iamque profundum
pandit navibus alveum.

Heic et NIGRA suam nubibus inserit
frontem SILVA, procul dum caput erigunt
Alpes Helvetiorum,
aeternâ nive candidum.

Emergit propior, cincta suburbiis,
ARGENTINA, suâ Turre superbiens;
rus et fertile circum
pagis fervet et oppidis.

Planas alma Ceres occupat areas
et Pomona ferax; collibus imperat
Bacchus; cernere nusquam
incultum licet angulum.

O tot nominibus Mons memorabilis!
laudes perge tuas prodere, maximi
non oblitus honoris,
uni qui tibi contigit.

Cunas Othiliae namque sacerrimas
commisere tibi pristina saecula;
commisere sepulcrum
portentis celeberrimum.

Heic, qua castra patris densaque militum
olim constiterant agmina; classici
qua clangor strepitusque
armorum reboaverant:

aedes virgineas inclyta condidit
Tutrix Alsatiae, Pacis amabilem
lapsae ex aethere sedem,
cuius sancta silentia

unus Davidicûm rumpit identidem
psalmorum gemitus, blandaque turturum
vox admista, Sororum
echo fida canentium.

Haec te ne fugiant, quisquis es hospitum!
Pupillis avidis ebibe tu quidem
vastae, quae patet, orae
celso e vertice gloriam.

Arcis relliquias, dum libet, Attichi
perscrutare Ducis; telaque collige
glebis eruta, testes
aetatis Merovingicae.

Explorator, obi castra veterrima,
Gallus quae posuit, gens aboriginum,
et quae moenia saxis
struxit firma Cyclopeis.

Verum ne pigeat limina visere,
gressu trita pio virginis Alsatae:
templum, fana minora,
aegris tecta patentia.

Cuius funeream suspice sanctius
Urnam, Caesareo cui diademate
frons ornata, tiara
cui Romana reniduit. (1)

Quasque Herrada soror scripsit et affabre
pinxit, plena Dei numine, paginas,
HORTUM DELICIARUM,
specta, lector, et adstupe.

Sacro e Monte redux, gaudia senties
delibanda diu; queis sitis insidet
ardens, haud satianda,
donec visa reviseris.

FR. XAV. REUSS.

(1) Praeteritum *reniduit* agnoscit Lexicon Forcellinii ex Glossa Philoxeni.

DE BATAVO CERTAMINE POETICO HOEUFTIANO

De certamine poetico referentes, quod legati Hoeuftiani sumptu ad litteras latinas provehendas quotannis Amstelodami habetur, diximus, praeter carmen, cui titulus *Fanum Vacunae* quodque cecinit Ioannes Pascoli, athenaei Bononiensis doctor, praemium ornatum, quattuor praeterea carmina a iudicum consilio praestantissima inventa esse ac digna quae ab ipsa regia Nederlandica Academia prelo darentur.

Nunc autem accepimus eorum primum, *Petronius*, a cl. viro Francisco Sofia Alessio, Radicenae in Calabris litterarum apud scholas secundi ordinis magistro, iamque a multo tempore Commentarii nostro socio, scriptum esse; cui igitur ex intimo gratulamur, id unum dolentes quod rei argumentum a *Vocis Urbis* indole nimis extraneum sit, ut carmen ipsum in nostras paginas referre possimus, et sociorum quoque laudis suffragio exhibere.

S. R. E.

Fortunae imperium praesidio virtutis frangitur

ELEGIA.

Fortunae sacros populus tribuebat honores,
Poplite nudato turaque multa dabat.
Limina Fortunae vastis innixa columnis
Surgebant et erant aurea tecta Deae.
Undique Rhamnusis colebatur ut arbitra rerum,
Et gens multa aris dona superposuit.
Heu pudor! heu probrum! Similis dementia multos
Eheu mortales temporis huius habet!
Qui dedit infelix Fortunae cuncta regenda
Imperio tristem sentit adesse Deam.
Ille ratis veluti diris agitata procellis
Est, modo dans zephyris, dans modo vela notis.
Heu nimium magnas agit undique et undique rimas
Puppis et in mediis fracta dehiscit aquis!
At si caeca throno reges detrudit eburno
Sors, illam virtus incluta posthabuit.
Fortunam irrisit, fultus virtute, Camillus,
Et rebus gestis nomen ad astra tulit.
Regulus haud timuit romanis pulcher in armis,
Heroes sacras nec tribuere preces.
Nec coluere Deam magni Themistoclis enses:
Illa duci haud vires consiliumque dedit;
Sed virtus, quae cuncta potest, Themistoclis alma
Corde manens tribuit nomen et imperium.
Ipsis concessit partis gaudere triumphis,
Captaque de bello signa referre domum.
Proh! fortuna potens! timeant tua numina stulti,
Ambiguos passus pertimeantque tuos.
Nonne tua enervat mores mentesque voluntas?
Nonne tuo fretus numine stultus erit?
Vincere si cupias, fortunam despice: virtus
Illius arbitrium frangere sola potest.

Cavae, Kal. April. MCMXI.

M. GALDI.

Naturaliter audita visis laudamus libentius, et praesentia invidia, praeterita veneratione prosequimur; et his non obrui, illis instrui credimus.

VELL. PATERC., lib. II.

EX ITALIS URBIBUS

De Catharina Senensi, Varagine insigniter culta.

Versabar forte propediem Varagine, quae urbs est in ligustico occiduo litore parva sed elegans atque in primis actuosa. Dies erat sanctae Catharinae Senensi dicata, quae maxime illic colitur in eius transitus memoriam, dum Avenione progressa in Italiam rediret. Illa autem tempestate teterrima lues cives late depopulabatur. Divina illa puella, veluti sancto spiritu afflata, paucissimis adhuc salvis pollicita est, fore ut illico morbus evanesceret, dummodo in illo loco aedem in honorem sanctissimae Trinitatis exstruerent. Quae omnia brevi eventus comprobavit. Eius enim suasu, ut infirmitatem repellerent, cives illi voti compotes aediculam extra muros condiderunt. Hanc vero brevi post tempore sanctissimae puellae, grati animi causa, dedicare statuerunt; qua de causa vel ab tempore quo Catharina rite fuit inter caelites recepta, Varaginenses eam primam civitatis patronam sibi elegerunt, atque ex voto, quotannis, pridie kalendas Maias, cum dies eius festus agitur, cives, maiorum suorum exemplum secuti, magna pompa, innumera prosequente multitudine, adstante ipso urbis magistro cum consiliariis suis, in aediculam venerabundi se conferunt.

Quae pietatis varietas! Pueri quoque suum habent honorem. Adest enim puella, quae gravi compositoque vultu ipsam sanctam Catharinam sacro dominiciano habitu indutam refert, quae Florentinos adloquitur, ut, bello confecto, pacem inter se se reluctantes componere velint; illic eadem sancta iisdem civibus in eam magno furore prolapsis severa fronte se se offert, eosque ad tranquillitatem reducit. Pueri, ex altera parte, sanctissimum suum civem Iacobum a Varagine referunt, qui, Genuensium episcopus, Guelfos Ghibellinosque suavitate sermonis corripit atque ad concordiam compellit. Nec desunt qui alias diversasque personas exhibent; sed ita graviter, sancte ac prudenter, et prae ceteris graphice, ut vel in huius rei intensissimos admirationem pietatemque iubeant. Et viri adstant, qui religiose procedunt, vestibus induti magno artificio pretioque perfectis, imaginesque Christi a cruce pendentis modulate ferentes, gravi vultu atque eximia pietate. Haec omnia istoc saeculo vaferrimo totque flagitiis famoso!

Per tres dies universa gestiente civitate, pegmata sub noctem incensa, viae et domus urbis facibus cereisque colluxerunt.

Plurimi quoque interdiu atque in solemni pompa sacri concentus vocesque supplicantium, quae devotionem augent ac solemnitatem. Maioribus vero caeremoniis festum actum est in eius diei memoriam, quo Catharina Senensis abhinc quadringentos et quinquaginta annos rite in sanctorum numerum relata fuit.

SUBALPINUS.

EX SCOTIA

De urbe Sancti Andreae eiusque studiorum Universitate.

Proximis Idibus Septembribus, Academia Sancti Andreae in hoc regno Scotorum antiquissima, annum ab eius ortu quingentesimum sollemniter erit celebratura; non ingratum vobis igitur fore putavi si pauca de hac urbe eiusque studiorum universitate in *Voce Urbis* dixero, quae sic de hisce sapientiae feriis et ipsa participabit.



Urbis S. Andreae templum cathedrale.

Promontorium FIFAE, in quo urbs Sancti Andreae sita est, inter ostia FORTHAE et TAI fluminum in oceanum germanicum pertinet. Terminus eius ad orientem spectans, duas est divisus in alas sinu satis lato, cuius prope apicem urbs illa antiqua, velut ossa pallida temporum priscorum, clivo exstat. Provincia quidem FIFANA valde est fertilis, frumento frugibusque abundans. Carbonis fodinas et plumbi habet, ac latomias lapidis arenacei ad domus aedificandas apti. Maria quoque et flumina piscibus locupletia sunt; quamobrem recte dicit Buchananus in *Historia rerum Scoticarum* hanc provinciam « omnibus rebus ad usum vitae necessariis sibi esse sufficientem ».

Itaque multa oppidula, tum intra provinciam, tum in oris maritimis sita, variis industriis gaudent, quarum fructus dimittere ad septentrionales aut meridionales Britanniae partes, viis ferreis per magnos pontes trans flumina FORTHAM et TAUM perductis, recto tramite et facillime possunt. Attamen urbi Sancti Andreae parum commercii nunc est. Olim, contra, naves onerariae frequentes ad eius portum ventitabant; sed quo plures et expeditiores per provinciam fiunt viae et transitus interni, quibus opes ad fora mercatoria portari possint, eo et commercium huius portus decrescit et commodum. Hic neque strepitus carrorum auribus, nec fumus officinarum oculis nocent. Viae plerumque tranquillae. Aer purus, maritimis ventis saporatus, animos exhilarat. Aestate dulcia undarum murmura, hieme earum strepitus in scopulos procellis actarum, stridulis avium vocibus aquaticarum mixtis, aures solum invadunt, nisi forte iuvenes studiis vacantes et huc affluentes ludibundî clamoribus cantibus passim sese indulgeant.

Doctrinae enim maxime operam dat urbs per studiorum universitatem et scholas, et etiam ludo illi Scotico vulgo *Golf* appellato, qui in Anglia, in Gallia et alias floret, adeo ut negotium lucrosum aeque ac ludus sit factus. Hic « Societas antiqua et regalis » dicta, quae leges huiusmodi ludi decernit per orbem universum, sedem habet, ad quam quasi Meccam omnis quisque *Golf* illo captus plus, dum vivit, vice simplici venire solet.

Sed ad hunc ludum, salubrem quidem et innocuum infra revertar, quum opus mihi propositum confecero, nisi quidem, dum peram clavicularum tot formis plenam intueor, « hoc esse opus, hunc laborem » inveniam.

⁂

Quae urbs nunc Sancti Andreae, olim KILRYMONT apud Pictos, postea KILRULE nuncupata est. Haec nomina varias indicant ecclesiae dedicationes principales. KILRYMONT enim idem nomen fortasse est ac KILRIMHINN i, e. « Ecclesia Dominae nostrae », quo urbs hodierno die celtice vocatur. KILRULE item, ecclesiam (KIL-cella) significat REGULI, cuius turris quadrata, omnium in urbe huiusmodi monumentorum antiquissima, in hisce paginis expressa exhibetur.



Urbis S. Andreae castellum.

Quod ad Sanctum Andream attinet, haud dubium est quin cultus huius Apostoli pervetustus apud Scotos sit, quamquam eius non patet origo. Complures etiam sunt traditiones de modo quo ad Scotiam reliquiae Sancti huius pervenerunt; sed probabiliores indicant eas translatas esse ex ecclesia HEXHAM in Anglia, ab Acca episcopo, qui saeculo IX vixit, et Sanctorum e Gallia et Italia reliquias sedule comparabat. Episcopus ille discrimine tunc temporis rerum ex Anglia pulsus, asylum petiit intes Pictos apud *Kilrymont* eoque, ut existimatur, reliquias secum transportavit. Circiter his saltem temporibus Apostoli nomine appellabatur urbs, et Picti crucem decussatam, Sancti Andreae propriam, in regni sui signum ceperunt. Pictis autem superatis, Scoti vicissim eamdem crucem sibi adsciverunt, quae nunc signo Britanniae composito locum tenet.

Inter monumenta urbis illustria, cathedrale templum exstat egregium. Anno MCLX a Malcolmo Scotorum rege eius nominis quarto, et Arnoldo Episcopo erat conditum, sed non est confectum usque ad MCCCXVIII. Longum est quas vices per illa tempora perageret turbulenta docere. Modo tecti plumbo ab Anglis est aedes spoliata, modo igni propemodum vastata, ita ut fere funditus anno MCCCXCIII fuerit instauranda a Priore illo Bisset, qui eam etiam suo sumptu splendide ornavit. Sic manebat Ecclesia metropolitana usque ad an. MDLIX, quo anno reformatores, qui se vocaverunt, has aedes nobiles ornamentis et statuis insane denudaverunt. In ruinas mox incidit rursus.



Collegium S. Mariae.

Alia monumenta sunt et Monasterium « fratrum nigrorum », artis architectonicae exemplum praepollens, iuxta scholam illam Madras situm, et Castellum promontorio abrupto, mari corroso, proeminens, quod carcerem magnum ampullae forma ex rupe excavata continet, necnon viam subterraneam ad urbem productam. Praeterea magna porta urbis antiquae; domus etiam et arbor memoriae Mariae illius reginae infelicis Scotorum consociatae; nec multum abest lacus Leven, cuius in insula regina ipsa in vincula coniecta est.



Collegia S. Salvatoris et S. Leonardi in urbe S. Andreae.

***

Studiorum universitas Sancti Andreae anno MCCCCXI ab Henrico Wardlaw, episcopo illustrissimo, condita est. Paedagogium tamen, quo nomine primae aedes gaudebant, ligno extructae, ubi quattuor professores logicam, philosophiam, leges canonicas docebant, satis erat humile; sed quum in studiorum esset erectum universitatem, auctoritate apostolica regiaque confirmatam, aedificia hoc honore mox oriri digniora coeperunt.

Tria collegia urbana continet universitas : Sancti Salvatoris an. MCCCCLV, Sancti Leonardi an. MDXII conditum, quae in unum corpus anno MDCCXLVII sunt coniuncta et ad artes liberales medicinamque docendas collocata; Sanctae Mariae anno MDXXXVII situ Paedagogii erectum, theologiae est dicatum. His accessit anno MDCCCXCVII Collegium Dundaeum, etsi recta linea fere duodecim millia passuum distet. Id « rebus technicis » maxime destinatur.

Magnus est numerus alumnorum illustrium, quorum haec universitas, quasi Pharos septentrionalis, aetatem per tot annos direxit, quorum invicem Almam Matrem honore et munificentia complures, omnes autem amore ditaverunt et ditant. Nec minor sane in futuro erit numerus, quia feminae, togis nostris rubris indutis, in arenam descenderunt, et coronas nostras in discrimen adduxerunt. Progressus enim, quem dicimus, primo in agmine hae sunt, nam inter primas qui suffragium petiè-

runt, ni fallor, fuerunt feminae Andreanae « dulce latine loquentes dulceque ridentes ».

Nunc est ludendum... Atqui ne longior sim, ludum vobis « *Golf* » demonstraturum polliceor, nomina claviculaium dicturum, patavinitatem ludi explicaturum aut alio numero *Vocis Urbis*, aut quum ad celebrationes Universitatis Andreanae mense Septembri veneritis. Valete.

Scribebam apud Edderton in Scotia.

DONALDUS MACRAE.

COLLOQUIA LATINA

Proximum examen (1)

ARTHURUS. — Examen, id quod nosti, propediem instituendum dies noctesque ante oculos mihi obversatur, penitusque insedit in animo.

OVIDIUS. — Eadem res versat et coquit mentem meam. Si huic tam gravi periculo ereptus essem !...

A. — Quod iterum iterumque ac saepius per annum non idoneas ob causas declinavi ludum, id nunquam aeque sensi ut nunc sentio quantum damni fecerim; quocirca non mediocri in dolore sum.

O. — Me pariter absentiae meae, quantumvis non tam frequentis, pudet, poenitet, piget.

A. — Accedit ad exaggerandum animi aegritudinem, quod divinare non possum quaenam interrogaturi sint illi quaesitores.

O. — Si scires ?...

A. — Addiscerem ea quam acerrime.

O. — Estne aliquis ex omnibus, cui hoc detegere soleant ?

A. — Nullus.

O. — Moderate igitur feramus commune malum.

A. — Timor item solet obstare ne promam libere et intrepide quae scio : itaque haeret mihi aqua saepe. Hinc pro inscitia ducitur, quae non fuit.

O. — Ego, ne ut errans aliquantum sinistre respondeam, nihil quidquam vereor; sed ne ut illiteratus plane illiteratissime respondeam, id vero non mediocriter pertimesco.

A. — Quî ad illud tremendum et horribile examen praeparas ?

O. — Quidquid audivi totius anni curriculo, saepius relego, ac repeto expositiones, quantum me adiuvat memoria. Ubi quid non intelligo, de condiscipulis doctiorem aliquem interrogo. Ad haec, denuo mando memoriae praecepta pro virili.

A. — Nimium operosus labor est tam multa discere !

O. — Operosus, at necessarius omnino.

A. — Certum est tamen non omnia quaesituros.

O. — Propterea instructum esse in omnibus convenit, quia quod ipsis lubet interrogant de omnibus, prudenter. Si enim ordine interrogare velint universa, idque de singulis, nimis longum sit, et fastidii plenum. Qui porro questioni cuicumque apte respondet, is totam videtur scientiam consequutus.

A. — Non stulte dictum. O si praeteriiset haec turbulentissima tempestas !

O. — Subeunda et perferenda est, si optas ascendere.

A. — Tametsi hucusque segregavi a me ignaviam in ista praeparatione, tamen cogor nervos magis contendere, tum ne reiiciar, tum ne de postremis fiam unus; cui rei, praesertim quando est maior ascendentium societas, magna est adiuncta turpitudo et infamia. At enim, nisi examen istuc impendens me adigeret, nunquam studia forent mihi tanti, ut eorum gratia caput affligerem.

O. — Non ob examen dumtaxat, sed ob futuras quoque praelectiones melius citiusque capiendas audita repetenda et recolenda sunt; ut sic felicius et fructuosius in superiore schola versemur.

A. — In scriptione haud leve momentum est : ibi barbarismos et soloecismos timeo, malas bestias.

O. — Non sine causa mordent atrociter.

A. — Ex tempore, sine ullo libro, in schola de argumento improviso scribendum !

O. — Omnia denique ad exploratam progressuum nostrorum cognitionem capiendam instituuntur : ideo reprehensioni affinia nequaquam putanda sunt. Et quum huiuscemodi discrimina in annos recurrant singulos, nec ulla via evitabilia sint, reddamur studiosiores. Nunquam vidi diligentes excludi.

A. — Opitulemur alter alteri dum comparamur.

O. — Operam meam tibi promitto.

A. — Ego meam promitto vicissim.

(1) Ex IACOBI PONTANI opere, cui titulus *Progymnasmata latinitatis*, passim retractavit I. F.

Magna est stultitia id ipsum quod verearis ita cavere, ut quum vitare fortasse potueris, ultro accersas et attrahas.

CIC., *Brutus*.

ACTA PONTIFICIA

SSmi. D. N. PII PP. X litterae encyclicae de Catholicae Ecclesiae oppressione in Lusitania.

VENERABILIBVS FRATRIBVS
PATRIARCHIS PRIMATIBVS
ARCHIEPISCOPIS EPISCOPIS
ALIISQVE LOCORVM ORDINARIIS
PACEM ET COMMVNIONEM
CVM APOSTOLICA SEDE HABENTIBVS

PIVS PP. X

VENERABILES FRATRES
SALVTEM
ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Iamdudum in Lusitania incredibilem quemdam cursum fieri per omnem immanitatem facinorum ad Ecclesiam opprimendam, vobis quidem omnibus, Venerabiles Fratres, satis cognitum arbitramur. Nam, ubi status eius civitatis in formam conversus est reipublicae, continuo coepisse, aliud ex alio, sanciri talia quae inexpiabile religionis catholicae spirent odium, quis ignorat? Violenter pelli de medio vidimus familias religiosorum, atque hos, maximam partem, dure inhumaniterque e Lusitanis exterminari finibus. Vidimus, ob studium pertinax omnem disciplinam civilem profanandi nullumque religiosae rei vestigium in actione vitae communis relinquendi, expungi de numero festorum festos Ecclesiae dies; iuri iurando insitam religionis notam detrahi; festinanter legem de divortiis condi; praeceptionem doctrinae christianae a scholis publicis excludi. Denique, ut alia omittamus quae persequi longum est, vehementius ab his Antistites sacrorum peti, duosque e spectatissimis Episcopis, Portugalliensem et Beiensem, viros cum integritate vitae tum magnis in patriam Ecclesiamque promeritis illustres, de sedibus honoris sui deturbari. — Quum autem novi gubernatores Lusitaniae tot tantaque ederent imperiosae libidinis exempla, scitis quam patienter, quam moderate sese adversus eos Apostolica haec Sedes gesserit. Equidem summa diligentia duximus cavendum, ne quidquam ageremus, quod posset contra Rempublicam hostiliter actum videri. Nonnulla enim spe tenebamur fore, ut ii aliquando saniora inirent consilia, ac de iniuriis illatis aliquo tandem pacto Ecclesiae satisfacerent. Verum tota re Nos fefellit animus; ecce nefario operi tamquam fastigium imponunt pessimae ac perniciosissimae promulgatione legis de Civitatis ab Ecclesiae rationibus separandis. Iamvero vulnus tam grave iuri et dignitati inustum religionis catholicae toleranter ferre ac praeterire silentio haudquaquam apostolici religio officii Nos patitur. Quapropter his vos litteris appellamus, Venerabiles Fratres, universoque nomini christiano omnem huius facti indignitatem denuntiamus.

Principio legem de qua loquimur, absurdum quiddam esse et monstruosum apparet ex eo, quod rem publicam divini cultus esse expertem statuit, quasi vero non ab Ipso, qui conditor et conservator est rerum omnium, cum homines singuli tum consociatio quaevis hominum et communitas pendeat: item, quod catholicae religionis observantiâ solvit Lusitaniam; eius inquimus religionis, quae huic genti maximo semper praesidio et ornamento fuit, quamque universitas fere civium profitetur. Sed tamen, esto: placuit tantam civitatis Ecclesiaeque coniunctionem, eamque sollemni pactorum fide confirmatam, discindi. Hoc posito discidio, consentaneum profecto erat omittere Ecclesiam et sinere ut communi libertate ac iure uteretur, quo quisque civis et honesta quaeque civium societas utitur. Quod totum contra est. Nam a separatione quidem haec lex nomen habet, re tamen ipsa eam habet vim, ut Ecclesiam in externis bonis ad extremum inopiae spoliando redigat, in iis autem quae sunt sacrae potestatis ac spiritus, in servitutem reipublicae opprimendo tradat.

Et primum, quod attinet ad res externas, ita se Lusitana Respublica ab Ecclesia segregat, ut nihil omnino ei relinquat unde tueri decus Domus Dei, sacricolas alere, multiplicia caritatis pietatisque exercere munia possit. Etenim, huius praescripto legis, non solum quascumque res Ecclesia mobiles immobiles obtinet, ex earum possessione, quamvis optimo iure parta, detruditur; verum etiam quaevis ei potestas adimitur quidquam sibi in posterum acquirendi. Statuitur quidem, ut certa civium corpora divino cultui exercendo praesideant; verum quae his datur facultas ad accipiendum quidquid in eam causam oblatum sit, mirum quam angustis terminis circumscribitur. Praeterea quibus obligationibus obstricti, cives catholici aliquid vel subsidii vel stipendii suo quisque curioni praestare consueverunt, eas extinguit lex ac perimit, prohibens, ne quid iam eo nomine exigatur. Utique sinit, ut ipsi sumptibus in divinum cultum faciendis catholici homines voluntaria stipis collatione provideant; sed tamen iubet de summa ob eam rem conflata detrahi tertiam partem et in officia beneficentiae civilis insumi. Atque ad haec omnia illud velut cumulus accedit, quod ex hac lege aedificia quae deinceps comparari aut exstrui contingat in usum sacrorum, ea, cum definitus annorum numerus effluxerit, submotis possessoribus legitimis nec iis factis indemnibus, in publicum referentur.

De rebus vero, in quibus sacra Ecclesiae potestas proprie versatur, multo est gravius multoque perniciosius ludibrium *Separationis* huius, quae, uti diximus, ad indignam ipsius Ecclesiae recidit servitutem. — Primum omnium, Hierarchia prorsus, tamquam ignorata, negligitur. Si qua de hominibus sacri ordinis mentio fit, ideo fit, ut interdicatur eis, ne ullo se modo ordinationi religiosi cultus immisceant. Omnis ea cura demandata est consociationibus *laicorum*, quae institutae iam sint, aut futurae sint, beneficentiae causâ, et quidem institutae ad normam disciplinae civilis, ex auctoritate Reipublicae, nulla ut ratione ab Ecclesiae potestate pendeant. Quod si de consociatione, cui sit hoc muneris deferendum, clerici cum laicis dissenserint, aut inter laicos ipsos non convenerit, diiudicanda res relinquitur non Ecclesiae sed arbitrio Reipublicae, quae sola in hisce institutis dominatur. Atque in constituendo divino cultu usque adeo rectores rei Lusitanae non patiuntur locum esse Clero, ut aperte praescriptum et statutum sit, non posse, qui religionis ministeriis sint addicti, aut in decurias parochiarum cooptari aut in partem vocari administrationis vel regiminis consociationum, quas memoravimus: qua quidem praescriptione nihil iniquius aut intolerabilius cogitari potest, cum clericorum ordinem in ea ipsa re, qua praestat, inferiorem, quam ceteros cives, conditione faciat.

Quibus autem vinculis Lusitana lex constringat et implicet Ecclesiae libertatem, vix credibile est: adeo cum institutis horum temporum atque etiam cum publicis libertatum omnium praeconiis pugnat res: adeo est humano quovis civilique pupulo indigna. Igitur sancitum est gravibus poenis, ne qua sacrorum antistitum acta mandari typis, ullove pacto, ne intra parietes quidem templorum, proponi populo liceat, nisi concessu Reipublicae. Praeterea interdictum, extra sacrarum aedium limina, ne, inconsulta Republica, caeremoniarum quid celebretur, ne qua pompa circumducatur, ne quis ornamenta sacra neve ipsam vestem talarem, gerat. Item vetitum, non modo ad monumenta publica, sed etiam ad aedes privatorum quidquam apponi quod catho-

licam religionem sapiat; at minime vetitum, quod catholicos offendat. Item societatem coire religionis pietatisque colendae gratiâ, non licet: cuius quidem generis societates eodem plane habentur loco atque illae nefariae, quae scelerum causa conflentur. Ad haec, cum concessum sit omnibus civibus ad suum arbitrium uti posse rebus suis, catholicis tamen, contra ius fasque, importune coangustatur potestas huiusmodi, si quid de suo attributum velint solandis piorum manibus aut sumptibus divini cultus suppeditandis: et quae id genus pie statuta iam sunt, impie deformata convertuntur in alios usus, violatis testamentis et voluntatibus auctorum. Denique Respublica — id quod maxime est acerbum et grave — non dubitat regnum invadere auctoritatis Ecclesiae, ac plura de ea re praescribere, quae cum ad ipsam sacri ordinis constitutionem spectet, praecipuas curas Ecclesiae sibi vindicat: de disciplina dicimus et institutione sacrae iuventutis. Neque enim solum cogit alumnos Cleri, ut doctrinae et litterarum studiis, quae theologiam antecedunt, in lyceis publicis dent operam, ubi ipsorum integritas fidei, ob alienum a Deo Ecclesiaque institutionis genus, praesentissimis sane periculis est obiecta; verum in domesticam etiam Seminariorum vitam temperationemque sese infert Respublica, sibique ius arrogat designandi doctores, probandi libros, sacra Clericorum studia moderandi. Ita vetera in usum revocantur scita *Regalistarum;* quae quidem molestissimam arrogantiam habuerunt, dum Civitatis Ecclesiaeque concordia stetit, nunc vero, quum Civitas sibi cum Ecclesia nihil iam vult esse, nonne pugnantia et plena insaniae videantur? — Quid, quod etiam ad Cleri depravandos mores atque ad incitandam defectionem a praepositis suis hanc apprime factam legem dixeris? Nam et certas pensiones ex aerario assignat iis, qui sint, antistitum auctoritate, a sacris abstinere iussi, et singularibus beneficiis sacerdotes ornat, qui suorum officiorum misere immemores, ausi fuerint attentare nuptias, et, quod referre piget, eadem beneficia ad participem fructusque, si qui fuerint superstites, sacrilegae coniunctionis extendit.

Postremo parum est quod Ecclesiae Lusitanae, suis despoliatae bonis, servile prope iugum imponit Respublica, nisi etiam nitatur, quantum potest, hinc ipsam e gremio catholicae unitatis deque complexu Ecclesiae Romanae divellere, illinc impedire, quominus religiosis Lusitaniae rebus Apostolica Sedes auctoritatem providentiamque suam adhibeat. Itaque ex hac lege, ne Romani quidem Pontificis iussa pervulgari, nisi concessum sit publice, licet. Pariter sacerdoti, qui aliquod athenaeum, Pontificia auctoritate constitutum, academicos in sacris disciplinis gradus consecutus sit, etiam si theologiae spatium domi confecerit, sacris fungi muneribus non licet. In quo planum est, quid velit Respublica: nempe efficere, ut adolescentes clerici, qui perfici sese et perpoliri in studiis optimis cupiunt, ne ob eam causam conveniant in hanc urbem, principem catholici nominis; ubi certe proclivius, quam usquam alibi, factu est, ut et mentes incorrupta christianae doctrinae veritate, et animi sincera in Apostolicam Sedem pietate ac fide conformentur. Haec, praetermissis aliis, quae quidem non minus habent iniquitatis, haec igitur praecipua sunt improbae huius legis capita.

Itaque, admonente Nos Apostolici conscientiâ officii ut, in tanta importunitate et audacia inimicorum Dei, dignitatem et decus Religionis vigilantissime tueamur, ac sacrosancta Ecclesiae catholicae iura conservemus, Nos legem de Lusitana Republica Ecclesiaque separandis, quae Deum contemnit, professionemque catholicam repudiat; quae pacta sollemniter conventa inter Lusitaniam et Apostolicam Sedem, ius naturae ac gentium violando, rescindit; quae Ecclesiam de iustissima rerum suarum possessione deturbat; quae ipsam Ecclesiae libertatem opprimit divinamque constitutionem pervertit; quae denique maiestatem Pontificatus Romani, Episcoporum ordinem, Clerum populumque Lusitaniae atque adeo catholicos homines, quotquot sunt orbis terrae, iniuria contumeliaque afficit, pro apostolica auctoritate Nostra improbamus, damnamus, reiicimus. Quum autem vehementer conquerimur huiusmodi latam, sancitam, propositam in publicum esse legem, sollemnemque cum omnibus, quicumque rei auctores ac participes fuerunt, expostulationem facimus, tum vero quidquid ibi contra inviolata Ecclesiae iure statutum est, nullum atque inane et esse habendum esse edicimus ac denuntiamus.

Profecto haec difficillima tempora, quibus Lusitania, post indictum publice Religioni bellum, conflictatur, magnam Nobis sollicitudinem tristitiamque efficiunt. Dolemus nimirum tot malorum spectaculo, quae gentem, Nobis penitus dilectam, premunt; angimur exspectatione acerbiorum rerum, quae certe eidem impendent, nisi qui praesunt, mature se ad officium revocarint. — Sed vestra Nos eximia virtus, Venerabiles Fratres, qui Lusitanam gubernatis Ecclesiam, Clerique istius ardor vestrae virtuti mirabiliter concinens, valde consolatur, bonamque spem affert, fore istic aliquando res, Deo adiuvante, meliores. Vos enim omnes non sane securitatis rationem aut commodi, sed officii et dignitatis habuistis nuper, cum iniquam *discidii* legem palam et libere indignando repudiastis; cum una voce professi estis malle vos vestrorum iactura bonorum sacri muneris redimere libertatem, quam pro mercedula pacisci servitutem; cum denique negastis ullo unquam aut astu aut impetu inimicorum posse vestram cum Romano Pontifice coniunctionem labefactari. Ista quidem, quae in conspectu Ecclesiae universae dedistis, fidei, constantiae magnique animi praeclara documenta, sciatis cum voluptati bonis omnibus, tum vobis honori, tum ipsi laboranti Lusitaniae emolumento fuisse non mediocri. — Quare pergite, ut instituistis, Religionis causam, quacum salus ipsa communis patriae connexa est, agere pro viribus: sed videte in primis, ut et ipsi inter vos, et christianus populus vobiscum, et omnes cum hac Beati Petri Cathedra summam consensionem et concordiam retineatis diligenter et confirmetis. Hoc enim auctoribus nefariae legis propositum est, quod diximus: non a Republica (ut videri volunt) *separare* Ecclesiam Lusitanam, quam despoliant opprimuntque, sed a Vicario Iesu Christi. Quod si tali hominum consilio ac sceleri occurrere atque obsistere omni vos ope studueritis, iam rebus Lusitaniae catholicae commode per vos consultum fuerit. Nos interea, pro singulari qua vos diligimus caritate, Deo omnipotenti supplices erimus, ut diligentiae studioque vestro bonus faveat. — Vos autem rogamus, reliqui orbis catholici Antistites, ut id ipsum officii tam necessario tempore sollicitis e Lusitania fratribus praestare velitis.

Auspicem vero divinorum munerum ac testem benevolentiae Nostrae, vobis omnibus, Venerabiles fratres, et Clero populoque vestro Apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXIV mensis Maii, in festo Dominae Nostrae Mariae, adiutricis christianorum, anno MCMXI, Pontificatus Nostri octavo.

PIVS PP. X.

Maximum remedium irae est dilatio, ut primum eius fervor relanguescat, et caligo, quae mentem premit, aut decidat, aut minus densa sit.

SENEC., *de Ira.*

EX SACRIS CONGREGATIONIBUS ROMANIS

SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE

Ex Congregatione Consistoriali.

De studiorum cursu perficiendo et iuramento praestando ante sacram Ordinationem.

I - Ad effectum sacrae Ordinationis studiorum anni expleti dici non possunt ad festum Penteeostes seu SSmae. Trinitatis, sed requiritur ut expleatur cursus scholasticus novem mensium cum examine finali feliciter emenso.

II - Sufficit ut iuramentum praestandum ante suseeptionem ss. Ordinum, a Motu proprio « Sacrorum Antistitum » d. 1 Septembris 1911 praescriptum, praestetur solummodo ante ineundum sacrum subdiaconatus Ordinem, salvo Ordinarii iure illud denuo exigendi ante collationem singulorum ss. Ordinum, si ex qualibet causa necessarium vel utile ducat.

(Ex decr. d. XXIV mens. Martii MCMXI).

Declaratio circa decretum de secreto servando in designandis ad sedes episcopales.

Dubitantibus nonnullis utrum deeretum S. C. Consistorialis d. 2 Iulii 1910 « de secreto servando in designandis ad sedes episcopales », ubi eadem vel similis forma designationis obtinet ac in foederatis Statibus Americae septentrionalis, extendatur dumtaxat ad dioeceses et provincias, quarum Antistites id postulaverint, an ad omnes ubi dicta forma in usu est, S. C. sub die XXVIII m. Aprilis MCMXI declaravit ad omnes extendi.

Ex Congregatione Indicis.

Per deeretum huius S. Congregationis d. IX mens. Maii MCMXI in Indieem librorum prohibitorum relata sunt opera quae sequuntur:

GABRIELE D'ANNUNZIO, *Omnes fabulae amatoriae (Romanzi e novelle).*

— *Omnia opera dramatica.*

— *Prose scelte. Milano.*

P. A. S. *Catechismo di storia sacra. Cremona 1910.*

ANTONIO FOGAZZARO. *Leila, Romanzo. Milano 1911.*

IOANNES KONRAD ZENNER. *Die Psalmen nach dem Urtext. Ergänzt und herausgegeben von Herm ann Wiesmann. I. Teil. Uebers tzung und Erklärung. Münster 1906.*

MALACHIA ORMANIAN. *L'Eglise Arménienne: son histoire, sa doctrine, son régime, sa discipline, sa liturgie, son présent. Paris 1910.*

Per idem decretum notum fit IOSEPHUM TURMEL et PETRUM BATIFFOL deereto S. Congregationis, edito d. 2 Ianuarii 1911, quo quidam libri ab eis conscripti notati et in Indieem librorum prohibitorum inserti sunt, laudabiliter se subiecisse; itemque feeisse auetorem anonymum libri inscripti *La vrai sciencee des Ecritures* eodem decreto prohibiti.

Ex Congregatione Rituum.

De repositione et translatione Festorum in Ecclesiis particularibus.

Quo facilius in Eeelesiis particularibus Officiorum repositiones et translationes peragi valeant, S. Rituum Congregatio per deer. d. III mens. Maii MCMXI statuit ac decrevit, ut, ad tramitem resolutionis num. 3919 *Ordinis Minorum Capuccinorum S. Francisci* d. 27 Iunii 1886, ad XVI, tam kalendarium perpetuum quam kalendarium annuale cuiusque Eeclesiae partieularis respeetive redigátur super kalendario dioecesis, vel Ordinis aut Congregationis; ae proinde, sicuti Offieia, quae in propria Ecclesia vel Oratorio quotannis impedita sunt, fixe assignari debent diei primae liberae in kalendario perpetuo, ita Offieia aeeidentaliter transferenda in posterum eelebranda erunt die, quae prima libera reperitur in kalendario annuali, nulla habita ratione Officiorum, quae iam translata fuerunt, lieet minoris nobilitatis: servatis de cetero Rubricis et Decretis.

DIARIUM VATICANUM

(Mense Maio MCMXI).

Coram SSmo. admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites aliosque viros, qui sui quisque muneris gratia Pontificem de more adiverunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: Schönburg-Hartenstein, Princeps, Austrorum Hungarorumque legatus apud Apostolicam Sedem; Sigismundus Malatesta, Comes, eiusque familia; Pontificium Armenorum Collegium de Urbe ab illmo. et revmo. dno. Paulo Petro XIII Terzian, Ciliciae Armenorum Patriarcha, coram adductum; Aloisius Barberini, Princeps Urbanus cum uxore et liberis; Aloisius ex Urbanis Principibus Lancellotti; Ludovicus Pastor, eques torquatus, rector Austriaci Instituti de Urbe ad historica studia provehenda; Radziwill princeps; r. p. A. Menni, Prior Generalis Congregationis S. Ioannis de Deo ministrantium infirmis, nuper electus; Alexander Esterhazy, Comes; Consociationis Belgarum ephemeridum scriptorum legati, annuas strenas in Belgio collectas Pontifici offerentes; Patrizi Montoro, Marchio, S. Romanae Ecclesiae Signifer; r. p. De Mattia, Vicarius Generalis Tertii Ordinis Regularis S. Francisci, cum supremo eiusdem Ordinis consilio; Rosa de Salm-Salm, Princeps foemina, eiusque filia; illmus. et revmus. dnus. Alexander Bavona, archiepiscopus Pharsalen., Apostolicus Nuncius apud Austrorum Hungarorumque imperium.

Pontificiae electiones.

Nominationes episcoporum. — Per decreta S. Congregationis Consistorialis SS. D. N. Pius PP. X quae sequuntur ecclesias de proprio pastore providit, scilicet: Cathedr. eccl. Squillacensi praefecit sacerdotem Eugenium Tosi, vicarium generalem Ariminensem; cathedr. eccl. Clavarensi sac. Ioannem Gamberoni, parochum loci vulgo *Carate Brianza* in archidioecesi Mediolanensi; cathedr. ecclesiae Aversanae revmum. Septimium Caracciolo di Torchiarolo, hactenus episc. Aliphanum; tit. eccl. episc. Mopsuestianae sacerdotem

Emmanuelem de Silva Gomes, quem constituit Auxiliarem revmi. Ioachimi Iosephi Vieira, episc. Fortalexiensis; tit. eccl. episc. Lystrensi sac. Aemilium Ferrais, professorem in seminario Veronensi, quem constituit Auxiliarem revmi. Card. Iosephi Francica Nava di Bontifè, archiepiscopi Catanensis; cathedr. eccl. Albinganensi sac. Iosue Cattarossi, directorem spiritualem in Seminario loci vulgo *Cividale* in archidioecesi Utinensi; metropolitanae eccl. Colocensi et Bacsiensi revmum. Ioannem Csernoch, hactenus episcopum Csanadiensem; cathedr. eccl. Magno-Varadinensi latini ritus revmum. Nicolaum Szèchenyi, hactenus episcopum Iaurinensem; cathedr. eccl. Plymutensi sac. Ioannem Keily, canonicum cathedralis ecclesiae Plymutensis; cathedr. eccl. Troianae revmum. Dominicum Lancellotti, hactenus episc. tit. Delcensem; cathedr. eccl. Iaurinensi sac. Leopoldum Arpadum Várady, canonicum cathedr. eccl. Csanadiensis; cathedr. eccl. Csanadiensi sac. Iulium Glattfelder, presbyterum archidioecesis Strigoniensis.

Brevi Apostolico nominati sunt: r. p. Florianus Demange e Seminario Parisiensi pro Missionibus ad exteras gentes, episcopus tit. Adrassensis et Vicarius Apostolicus novi Vicariatus de Tai-kou in Corea; r. p. Caelestinus Ibanez Aparicio ex Ordine Fratrum Minorum, episcopus tit. Bagensis et Vicarius Apostolicus novi Vicariatus de Sien-si septentrionalis.

— Rmus. d. Petrus Rossetti inter Sacrae Romanae Rotae Auditores refertur.

ANNALES

Ex Mauritania.

Gallicum tribunum militum Brémond in superiore numero liquimus prope Fez oppidum, quum tamen nequiret a rebellium obsidione id liberare seque cum Mangin collega inibi clauso coniungere. Quem alterum finem si tandem est assequutus, non tamen efficere potuit ut hostes removeret. Necessarium inde Gallico gubernio visum est, aliam cohortem mittere, Moinier chiliarco duce; qui tamen Mequinez oppidum a seditiosis occupatum invenit, atque iter inter Fez Tingimque urbem interruptum. Virtus autem eius ea fuit, quae, hisce difficultatibus superatis, Gallicos milites ad Mulay Afid, Mauritanorum nunc imperatoris, castra adduceret, seque ei permitteret, ut de rationibus magis idoneis ad seditionem comprimendam simul ambo convenirent. Non tamen videntur Mauritani aulici ad sententiam aliquam definitivam accessisse, si, dum scribimus, circa Fez oppidum immutatae res manent novaque Gallica cohors, Brulard duce, praecursationes sine notabili exitu, imo cum aliquo suorum detrimento, vel quotidie agit. Dubium praeterea accedit ex infida Mauritanorum natura exque ipsa procerum haesitatione, bellum, quod sanctum vulgo appellant, ex improviso coniunctim in Gallos inque Europaeos omnes indici posse; quod Deus avertat

Albanensis seditio.

De Albanensi in Turcas seditione incerta semper nuncia, eoque magis quod internae Turcarum factionis, quae primas nunc obtinet, dissensiones, hinc ad augendas Albanensium successuum voces, inde ad suspensam et fractam Turcarum agendi rationem facile inserviant. Id unum certum, Chefket Tourgout *pacha*, post inutilem pacis praedicationem, in campum descendisse tandem contra Melissorum tribus. At quonam exitu? Heic rursus dubia renovantur.

Mexicanum civile bellum.

Mexicanum, contra, civile bellum exstinctum omnino dicitur, Porphirio illo Diaz praeside, qui tot annis rerum summam obtinebat, et, veluti dictator factus, civilium motuum causa dictitabatur, munere se abdicante; ac Madeiro, rebellionis suasore, cuique, praeter Diaz, futuro praesidi suam oboedientiam profitente.

Ex Austrorum Imperio.

Ex eo quod Franciscus Iosephus procurationem Archiduci Imperii haeredi crediderit ad sollemnia quae in Hungaria his diebus habita sunt, inlatum est senis Caesaris valetudinem ita infirmam esse, ut ad mortem prope veniret; indeque multorum animi anxii facti. Pro certo vero perhibitum, augustum virum, quamquam arteroslerosi morbo affectum, tantis adhuc viribus valere, ut sperare liceat, ad multum adhuc tempus, ipsum vitae iri servatum. Quibus votis ex animo libenter accedimus.

PUBLICI PER ORBEM COETUS
legibus ferendis

In **Civitatibus foederatis Americae Septentrionalis** belli administer Dickinson ab officio sponte recessit.

In **Gallia** Berteaux, bellicae pariter rei praeposito vita misere functo, Goiran, praefectus militum, suffectus.

In **Germania** secunda ac tertia vice rogatio legis de nova in Alsatina ac Lotharingica regione constitutione rata habita; novaque comitiorum ad diaetam, quam dicunt, regionis Imperii eligendam edicta.

In **Hungaria** et in **Italia** rationes acceptorum et expensarum perpenduntur.

In **Lusitania** comitia habentur, quamquam tum monarchistarum, tum radicalium factionibus iis minime participantibus.

In **Russia** publicae administrationis rationes per novam legem strictiores factae.

In **Turcarum Imperio** novum admnistrorum collegium constitutum, praeside Hakki-Rifaat.

PER ORBEM

Die II mensis Maii MCMXI, Romae, certamen hippicum habetur inter delectos milites tum ex Europae tum Asiae gentibus: Itali et Galli victoriam reportant.

— d. III Germanica nova expeditio ad australem polum explorandum Hamburgo proficiscitur.

— d. IV dirigibilis Anglorum aërostatus *Lebaudy*, Barow in oppido incenditur, quum tamen fausto auspicio nullum aeronautis damnum fiat.

— d. VI contra, Shangai in Sinis, Vallon, Gallicus aviator, ex aëre praecipitat ac moritur.

— d. X Suprema Vindobonensis Curia vita functum declarat Ioannem Salvatorem, Austrorum Magnum Ducem, Ioannis Orth nomine cognitum, qui cum navi sua, *Margaritae* nomine, die XXI mens. Iunii MDCCCXC e litoribus Australis Americae disparuit.

— d. XII Boris, Russorum Magnus Dux, eiusque mater Maria Paulowna, Romam tenent.

— XV Romae supremum diem obit Hippolytus Franchi Verney della Valletta, Comes, musicae artis criticus valde ingeniosus.

— d. XVI Londini, Victoriae, magnae illi Anglorum reginae, monumentum sollemni ritu dicatur.

— d. XVII Kiriae, in urbe Mandchouriae, incendium decem millia domorum absumit.

— d. XVIII Gustavus Mahler, symphoniacus insignis, Vindobonae obit.

— d. Lutetiae Parisiorum, dum aëronauticum certamen initur ad Madritum urbem aëreo itinere assequendam, Train aviator, inter adstantium multitudinem praeceps deiectus, bellico administro Berteaux horrendam mortem, atque Monis, administrorum praesidi pluribusque hominibus, vulnera adverso fato procurat.

— d. XXVI Vedrines aviator, certaminis illius tanto luctu Parisiis initi, victor evadit.

— d. XXVIII et alia aviationis victima Voghera in urbe recensetur: Cirri, Italici aviatoris, aëronavis dum in aethere libratur ex improviso incenditur, et gubernatorem suum misere suburit.

— d. XXXI Conneau, Gallicae classis centurio, sub nomine Beaumont, Lutetia Parisiorum in aëronavi profectus, Romam feliciter appellit.

Spatio deficiente, ad proximum numerum:

Rethoricae disputationes. — Stili lapidarii elementa. — De ludis gymnicis Augustae Taurinorum.

LIBRI RECENS DONO ACCEPTI

Sociorum et lectorum in mentem revocamus, libros recens editos atque ad nos missos, ut in Voce Urbis *eorum notitia detur, neque hoc ipso a nobis commendari, neque apud administratorem nostrum, nisi contra aperte declaretur, venumdari. Si quis alterum eorum sibi cupiat, petat necesse est ab editore, quem semper indicamus.*

SIXTE SCAGLIA. *La promenade archéologique* (La vallé Murcia et le berceau de Rome - Cirques, Ports, Thermes, Mausolées et Nécropoles payennes - Eglises et Cimetières chrétiens et juifs de la voie Appienne). — Romae edid. Desclée et Soc., 1911. (Ven. lib. 2.75).

O. MARUCCHI. *I sepolcri dei martiri nelle catacombe romane.* Brevi indicazioni pratiche per la visita delle catacombe. — Indidem. (Ven. lib. 1.20).

FONSSAGRIVES. *L'educazione della purezza.* Consigli ai genitori e ai maestri. — Editio altera. — Indidem. (Ven. lib. 2).

TITO FALCINI. *Per l'educazione.* Consigli e massime. Con lettera di Onorato Roux. — Indidem. (Ven. lib. 0.50).

AENIGMATA

I.

Mortales ango, mortem fero, depopulorque,
Turbo, corusco furens, obstrepo, sterno rubens.

II.

A servatque paratque cibos, confortat edenda;
O fugat in terra noctem luce atque calore.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Doctorem IOSEPHUM FORNARI, Commentarii moderatorem *(Roma, via del Governo Vecchio, 96)* miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet opus gallice scriptum et figuris ornatum, cui titulus:

ÉLÉMENTS D'ICONOGRAPHIE CHRÉTIENNE
par
LOUIS CLOQUET.

Aenigmata an. XIV, n. III proposita his respondent:

1) **Fames**; 2) **Grex - Rex**

Ex rite soluta miserunt:

Aug. Scriban, *Iassiis.* — Alb. Kain, *Lublino.* — Petrus Tergestinus. — F. Wawer, *Marianopoli,* — Eug. Dolmar, *Neo-Eboraco.* — Georg. Archambeault, *Quebeco.*— Lud. Dubois, *Massilia.*— P. Prado, *Venetiis.* - St. Kempa, *Agrodinia.* — Rich. Brondel, *Brugis.* — A. Bounin, *Aureliano.* — Alb. Perraud, *Lutetia Parisiorum.* — F. X. M., *Drepano.* — Ad. Kozlowski, *Petricovia.* — Stan. Pini, *Mediolano.* — Frid. Horwath, *Vindobona.* — Paulinus a S. Iosepho, *Barcinone.* — Lud. Goux, *Bituricis.* — Alex. Pintauro; Vinc. Starace, *Neapoli.*

Sortitus est praemium:

STANISLAUS KEMPA,

ad quem missum est PETRI ANGELINI opus, cui titulus:

LOLLIUS
SIVE DE PROVECTA LATINITATE.

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus

ROMAE — Ex officina *Societatis Editricis Romanae.*

EUPLIUS

(7

Actio dramatica a I. B. Francesia versibus senariis exarata.

ACTUS II.

SCENA I.

MAXIMUS et CALVISIANUS.

MAXIMUS.

Nunc est agendum!

CALVISIANUS.

Res nobis propitia!
Nunc sunt in primis isti tollendi duo,
Nobis qui maximum gerunt obstaculum.

MAXIMUS.

Sed apta nobis quomodo res venerit?

CALVISIANUS.

Ad hoc te quaesivi!

MAXIMUS.

Quid dicam nescio!

CALVISIANUS.

Et es tu magnus ille vir, virtute cluens
Movet qui caelum nutu, terramque percutit?

MAXIMUS.

Missas istas facias, volo, ad rem veni;
Heic nam tempus sic male nos terimus.

CALVISIANUS.

Iamdudum mecum nexo sycophantias,
Queis hos capiam viros vaferrimos.
Modo versutiis si duos adimas,
Orbis Christianus fractus illabitur!
Prius sed Euplium debemus tollere.
Da, pol, consilium mihi, da, Maxime?

MAXIMUS.

Tibi quid dicam nunc? nihil mens suggerit.

CALVISIANUS.

Plecte fecundum pectus!

MAXIMUS.

En quod dicerem...
Ego accusarem quod Christianus!

CALVISIANUS.

Minime!
Ei foret fatendi bella opportunitas,
Christum prae ceteris adorandum diis.

MAXIMUS.

Multi sed gravibus moti suppliciis
A Christo raptim recessere turpiter.

CALVISIANUS.

In his? (*studiose in eum oculos figit*)

MAXIMUS.

Quid dicis? Memoras quid criminis?
Hanc utinam possim lavare maculam!
Adhuc tentavi caelum, terram, nubila.
Seratur falsa per fratres opinio
Libros tradidisse propter formidinem.

CALVISIANUS.

Sed ipse.....

MAXIMUS (*subridens*).

Primitus tollendus de medio.
Hic iam sepultus diceret quid amplius?
Crebras tu congeres modo calumnias.....
Inter popellum restat quid flagitii;
Adsolet ut veneno lana fucarier,
Semper quae maculas refert in posterum.
Peribit omnis viri existimatio! (*solemniter*).

CALVISIANUS.

Quî possis Euplium de medio tollere,
Cum vivat plurimis cinctus hic fratribus?

MAXIMUS.

Erunt et commodius viri sicarii!

CALVISIANUS.

Quidem te nuper praeoccupavi. Tene.
Hic est bonus moribus praeter consilium.....
Nonne?

MAXIMUS.

Probe!

CALVISIANUS.

Pro aegris suis sollicitus,
Queis exercet magnam diligentiam
Eis dat stipem nunc, et dat in posterum;
Cadat modo si quis in agritudinem,
Currit benignus comis, ut nihil supra.

SCENA II.

CYRUS, CALVISIANUS, MAXIMUS. (1)

CYRUS.

Et illi perfidi! Cur venerunt? Audiam!

MAXIMUS.

Quid haec ad rem?

CALVISIANUS.

Quid haec? Nondum tu intelligis? (2)
Dedi nuper ipsi dolentis lit'eras
Ut illum visitet dulcis ipse pervelit.....

MAXIMUS.

Et ipse?

CALVISIANUS.

Decidit bene in insidias!
Sic ipse pergit pedibus promptissimus
Ad aegrum... Texui secus insidias,
Eum sicarii per viam fodient!

CYRUS (*commotus*).

Deus, Tibi gratias ago quam maximas,
Quod huc pervenerim opportuno tempore!

(*Ad proximum numerum*).

(1) *Cyrus in scenam caute procedit, et duorum suspicione ductus, auribus adrectis, sermonem arripit.*
(2) *Progreditur manu eum tenens, quo confidentius loquatur.*

Ann. XIV. Romae, Mense Iulio MCMXI Num. VII.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Rerum index:

RHETORICAE ANIMADVERSIONES

De confutatione.

Pervolventi mihi et commentanti librum illum « Orator » quem Iunio Bruto Cicero dicavit, summam eloquentiam attingere videbar, quum post tria illa quae Aristoteli placuit ἦθος, πάθος et λόγος nominare, strictim a Tullio pertractata, omnia quae ad optimum oratorem informandum longa informatione enucleata percurri. Tum tanta rerum copia commotus, quasi formam quandam oratoris in mente effingere coepi; deinde vero quo eum maiorem ac nobiliorem, doctore Tullio, feceram, eo me maior exspectatio tenebat, quibusnam orationibus, quibusve praeceptis, ea tanta vis compararetur. Quum autem istam uno cognoscendi studio adductus, acquirerem, sententiam quamdam, in rhetorica ad Herennium mihi quondam praelectam, in memoriam revocavi; quae ita se habet: (1) « totam spem vincendi rationemque persuadendi positam esse in confirmatione et confutatione». Ex his vero duabus orationis partibus mihi a confutatione incipiendum decrevi. Quem ad modum enim in terra fieri solet, ut non antea in ea semina ad capiendos fructus inserantur, quam inutiles herbae et nocivae radicitus tolluntur, sic argumentationis vitiis penitus perspectis, et omni labore detracto, via patet reliquae orationi. Atque id eo magis mihi est persuasum quod, auctore Cornificio: (2) « haec cognitio vitiosarum argumentationum duplicem utilitatem afferet; nam et vitare in argumentatione vitium admonebit, et ab aliis non vitatum commode reprehendere docebit ». Quod quidem postremum est maxime aestimandum, quum omnes vias, quibus fallaciae et captiones adversariorum retexantur, aperiat. His igitur rebus perpensis, confutationem evolvendam ac tractandam suscepimus.

***

Ac primo quidem quis dubitet quantam vim oratoribus attulerit confutandi facultas? Ego vero quoties viros eloquentes admiror, non tam copia doctrinae et elocutionis forma, quam ipsa acie argumentationum et animorum pertractatione commoveor. Disertus vere sit Cicero, eruditissima rhetorices et philosophiae praecepta tradens, et maximam eloquentiae laudem sibi vindicans; ornatissimus profecto legem Manilii suadens, in qua summa reipublicae salus agebatur; amplissimus magna Quiritium frequentia circumdatus, crebris plausibus et clamoribus eum ab exilio reducem excipiente: sed nunquam, mea sententia, nobilior, quam quum, nullo audente, dictatoris voluntati resistens, Roscium filium tot adversarios perfringens defendit.

Utinam sacri nostri concionatores illa essent ratione confutandi praediti, ut verissimam causam, cui catholici servimus, omni laude ac dignitate defendere ac tueri possent! Fuit tempus illud quum uno Pontificis nutu frequentes in templa populi cogerentur; qui etsi nefaria scelera suscepissent, atque inusti vitiis aliquando fuissent, raro tamen a catholica fide deficiebant. Nunc vero quum tot errores in profanis coetibus ab improbissimis viris decantentur totque doli in plurimorum scriptis detegantur, incredibili dexteritate indigemus, ut pravas adversariorum artes explicemus. Quare hodie vel maxime nostris argumentationibus est plane accommodatum praeceptum, de enthymemate ab Aristotele traditum : «illud scilicet magis praestare quo refellatur, quam illud quo probetur ». (1)

Omni igitur industria in confutatione conficienda est elaborandum. Atqui non facilis est, huius ratio com-

(1) Lib. I., cap. XI. — (2) Lib. I., cap. XI.

(1) Lib. III, cap. XVII.

parandae nec in promptu omnino posita. Licet hic audire Quinctilianum : (1) « Non sine causa (tamen) difficilius semper est creditum, quod Cicero saepe testatur, defendere quam accusare. Primum quod est res illa simplicior; proponitur enim uno modo, dissolvitur varie quum accusatori satis sit plerumque, verum esse id, quod obiecerit : patronus neget, defendat, transferat, excuset, deprecetur, molliat, minuat, avertat, despiciat, derideat. Quare inde recta fere, atque, ut sic dixerim, clamosa est actio: hinc mille flexus et artes desiderantur.

Tum accusator praemeditata pleraque domo affert, patronus etiam inopinatis frequenter occurrit. Accusator dat testem, patronus ex re ipsa refellit. Accusator criminum invidia, vel si falsa sint, materiam dicendi trahit, de parricidio, sacrilegio, maiestate, quae patrono tantum neganda sunt. Ideoque accusationibus etiam mediocres in dicendo suffecerunt; bonus defensor nemo nisi qui eloquentissimus fuit. Quamquam ut, quod sentio, semel finiam, tanto est accusare quam defendere, quanto facere quam sanare vulnera facilius ».

***

Hactenus de necessitate confutationis, de eiusque difficultate diximus; iam ad ipsam veniamus. Quae autem explanabimus, his quinque capitibus complectemur: *quae* sit, *quando, quomodo* et *ubi* adhibenda, *quotuplex* denique eius ratio.

Confutatio a Kleutgen ita definitur; (2) « Pars orationis, in qua contrariae rationes refelluntur ». De ea vero auctor ad Herennium (3) : « Confutatio est contrariorum locorum dissolutio ». Quae quidem « reprehensio » a Tullio saepissime appellata, ita ab illo in inventione rhetorica est circumscripta : (4) « reprehensio est per quam argumentando adversariorum confirmatio diluitur, aut infirmatur, aut allevatur ». Omnes autem definitiones eodem convertuntur.

Haec vero quando erit adhibenda? Non semper, ut ait praefatus Kleutgen, ea utemur (5): « Saepe enim per ea ipsa, quibus nostrum propositum confirmatur, argumenta adversa diluuntur; aut haec ignota sunt audientibus vel certe eos parum commovent. Quod quum acciderit, eo magis refutatione supersedendum, si quae opponuntur, infirmari non possint nisi refutatione subtili vel auditori ignota. Interdum contra refutatio non necessaria, utilis tamen fuerit sive ad causam explicandam, sive ad eluendam adversariorum fidem et auctoritatem ». Illud tantum his adiunctum velim, veram esse confutationem in iis argumentis positam, quae in confirmatione continentur et quibus adversariorum proposita dissolvuntur aut debilitantur, etiamsi non seiuncto in loco adhibitis.

Consilii igitur erit, utrum adversariorum tela declinanda esse videantur. In ipsa autem reprehendendi ratione peccare nonnumquam facile erit. Nam magna

(1) Lib. V, cap. XIII. — (2) De dispositione cap. VI. — (3) Lib. I, cap. III, — (4) Lib. I, cap, XLII. — (5) De dispos., cap. VI.

cautio necessaria est, si quando ipse auditor reprehendi debet. Itaque appareat nos non libenter id facere; quae autem obiiciantur errori potius, ignorantiae, casui, quam malignitati attribuantur. Quapropter non immerito Institutionum Oratoriarum scriptor haec praecipit : (1) Qui curationem bonorum patris postulabit, doleat eius valetudinem; et quamlibet gravia filio pater obiecturus, miserrimam sibi ostendet esse hanc ipsam necessitatem, nec hoc paucis modo verbis sed toto colore actionis, ut id eum non dicere modo, sed etiam vere dicere appareat. Nec causanti pupillo sic tutor irascatur unquam, ut non remaneant amoris vestigia et sacra quaedam patris eius memoria ».

Quum vero acriter in auditores impetum facere cogitur orator, non parum iuvat ad amandandam invidiam, personam aliam inducere in orationem, quae cum auditoribus loquatur. Quam opinionem ab Aristotele video confirmatam (2) : « Ad mores quod attinet, - inquit - quoniam nonnulla de se ipso praedicare vel insidiosum est, vel prolixum, vel obtrectationi obnoxium et de alio dicere vel convicium vel rusticitatem ostendit, opus est aliquem alterum qui haec dicat inducere, ut Isocrates fecit in oratione ad Philippum ».

Hac ratione uti non licebit aliquando; quod quidem evenit quum tota oratio in adversarium coniecta est. In eiusmodi concionibus, etiamsi aliquid pro iure nostro in auditores dicere teneamur, ne nimium argumentationes videantur acrimoniae habere, multis mitigationibus lenientur. Illic autem plus difficultatis, ubi ipsos contra quos dicimus veremur offendere. Iure ergo Quinctilianus Ciceronis calliditatem in causa pro Murena extollit, quod quum eius munus esset in Catonem et Sulpicium sibi coniunctissimos invehi, eorum auctoritati nihil fere aliud, quam sales et facetias opposuerit, ita ut iudicium totum risu dissolveretur Catoque ipso subridens: « Dii boni, exclamaret, quam ridiculum consulem habemus! » Praestat ipsum M. Fabium audire : (3) « Duae simul huiusmodi personae Ciceroni pro Murena dicenti obstiterunt, M. Catonis Serviique Sulpicii. Quam decenter tamen Sulpicio, quum omnes concessisset virtutes, scientiam petendi consulatus ademit? Quid enim aliud esset, quo se victum homo nobilis et iuris antistes magis ferret ? Ut vero rationem defensionis suae reddidit, quum se studuisse petitioni Sulpicii contra honorem Murenae non idem debere actioni contra caput, diceret ? Quam molli autem articulo tractavit Catonem ? cuius naturam summe admiratus, non ipsius vitio sed stoicae sectae quibusdam in rebus factam duriorem videri volebat, ut inter eos non forensem contentionem, sed studiosam disputationem crederes incidisse. Haec est profecto ratio, et certissimum praeceptorum genus illius viri observatio, ut, quum aliquid detrahere salva gratia velis, concedas alia omnia ; in hoc solo vel minus peritum quam in ceteris, adiecta, si potuerit fieri, etiam

(1) Lib. XI, cap. I. — (2) Lib. III. cap. XVII, § II. — (3) *Instit. orator.* lib. XI, cap. I.

causa, cur id ita sit, vel paulo pertinaciorem vel credulum vel iratum, vel impulsum ab aliis ».

Hanc viam inivit Segnerius in oratione de iniuriis remittendis, auditoribus initio concedens sceleratissimos esse omnes eorum inimicos omnique poena mulctandos. Porro omnia quae de hac re tradi possunt una Quinctiliani sententia complectar : (1) « Nunquam decebit sic adversus tales agere personas, quomodo contra nos agi ab hominibus conditionis eiusdem iniquo animo tulissemus ».

***

Quartum erat propositum, sedes ubi esset collocanda confutatio. Aristotelis iudicium consulamus (2).

« Oportet eum quidem — inquit, — qui in deliberatione vel in iudicio prior dicit, causam primo suam confirmare, deinde illis quae contra dici possunt, occurrere eaque dissolvere atque extenuare. Secundus vero in dicendo proferat primo quae sint in adversam partem, eius argumenta diluens et contrariis argumentis oppugnans, tum praecipue si illa benevole fuerint accepta; nam ut hominem multis criminibus accusatum respuit animus, eodem pacto orationem, si adversarius recte dixisse videatur ». Eamdem prorsus sententiam apud Quinctilianum (3) et apud Ciceronem in partitionibus oratoriis licet reperire. In illo concinno dialogo Tullium patrem inter et filium hic sermo traditus est: (4) « C. F. Quid ? in iudiciis, quae est collocatio ? — C. P. Non eadem accusatoris et rei ; quod accusator verum ordinem prosequitur, et singula argumenta quasi hasta in manu collocata vehementer proponit, concludit acriter, confirmat tabulis, decretis, testimoniis accuratiusque in singulis commoratur, perorationisque praeceptis, quae ad incitandos animos valent, et in reliqua oratione paululum degrediens de cursu dicendi, utitur et vehementius in perorando. Est enim propositum ut iratum efficiat iudicem. — C. F. Quid faciendum est contra, reo ? — C. P. Omnia longe secus. Sumenda principia ad benevolentiam conciliandam. Narrationes aut amputandae quae laedunt, aut relinquendae, si totae sunt molestae ; firmamenta ad fidem posita aut per se diluenda, aut obscuranda, aut degressionibus obruenda; perorationes ad misericordiam conferendae ».

Ex quibus facile evincitur accusationem ad laedendum adversarium, validis confirmationibus apto ordine inter se coniunctis esse redigendam : defensionis vero ad reum erigendum, elevandis perfringendisque firma confutatione adversis argumentis. Genus autem deliberationum, quod saepe est in suasione positum, ad finem orationis refert reprehensionem, ut in illa Maniliana oratione deprehenditur. Tamen si nonnullis sententiis contrariis obruatur orator, tum prius ad dissuasionem descendendum quam ad suasionem venimus ; quare vel a reprehensione est incipiendum, vel omnino perpetuo cursu in ea commorandum ; cuius rei Tullius egregium in altera Catilinaria exemplum praebuit. Ut igitur haec omnia paucis absolvamus, primum locum tenet confutatio quae dissuadere contendit, postremum autem quae accusare conatur.

(1) *Instit. orator.* lib. XI, cap. I. — (2) Lib. III, cap. XVII. — (3) Lib. V, cap. XIII. — (4) *De part. orator. dialog.* cap. IV et V.

***

Vidimus huc usque quae ad confutationem instituendam conferunt. Quotuplex tandem illa sit, quod quinto in loco tractandum sumpsimus, evolvemus. Quoniam autem, teste Fabio (1), « neque... ex aliis locis ratio argumentorum in hac parte (refutatione) peti potest quam in confirmatione, nec locorum aut sententiarum aut verborum et figurarum alia conditio est ; » restat ut eaedem sint confirmandi formae, quam confutandi.

Confirmatio vero est, auctore Tullio, (2) « per quam argumentando nostrae causae fidem et auctoritatem et firmamentum adiungit oratio ». (3) Omnis autem argumentatio aut per inductionem tractanda est, aut per ratiocinationem. Has duas partes dilucide definiemus eisque, ut rationes argumentandi perspiciamus, exempla subiiciemus.

De inductione sic Cicero in opere de inventione rhetorica : (4) « Inductio est oratio, quae rebus non dubiis captat assensionem eius quicum instituta est : quibus assensionibus facit, ut illi dubia quaedam res propter similitudinem earum rerum, quibus assensit probetur: velut apud Socraticum Aeschinem (perpetuum Socratis comitem) demonstrat Socrates, cum Xenophontis uxore, et cum ipso Xenophonte Aspasiam (Milesiam nobilem sophistiam) locutam : Dic mihi, quaeso, Xenophontis uxor, si vicina tua melius habeat aurum, quam tu habes, utrum illius, an tuum malis? Illius inquit. Quod si vestem et ceterum ornatum muliebrem pretii maioris habeat, quam tu habes, tuumne an illius malis ? Illius vero respondit. Age, inquit, si virum illa meliorem habeat, quam tu habes, utrumne tuum an illius malis?

Hic mulier erubuit. Aspasia autem cum ipso Xenophonte sermonem instituit. - Quaeso, inquit, Xenophon, si vicinus tuus equum meliorem habeat, quam tuus est, tuum ne equum malis an illius? - Illius inquit. - Quid si fundum meliorem habeat, quam tu habes, utrum tandem fundum habere malis ? - Illum, inquit, meliorem scilicet. - Quid si uxorem meliorem habeat quam tu habes, utrum illius malis? Atque hic Xenophon quoque ipse tacuit. Post Aspasia : — Quoniam uterque vestrum, inquit, id mihi solum non respondit, quod ego solum audire volueram, egomet dicam, quid uterque cogitet. Nam et tu mulier optimum virum mavis habere, et tu Xenophon, uxorem habere lectissimam maxime vis. Quare nisi hoc perfeceritis, ut neque vir melior, neque femina lectior in terris sit, profecto id semper, quod optimum putabitis esse, multo maxime requiretis, ut et tu maritus sis quam optimae, et haec quam optimo viro nupta sit. Hic quum rebus non dubiis esset as-

(1) Lib. V, cap. XIII. — (2) *De invent. rhetor.* lib. I, cap. XXIV. — (3) Item, cap. XXXI. — (4) *De invent rhetor.*, lib. I, cap. XXXI.

sensum factum est propter similitudinem ut etiam illud, quod dubium videbatur, si quis separatim quaereret, id pro certo propter rationem rogandi concederetur ».

***

Nunc deinceps ratiocinationem perpendamus (1). Ratiocinationem, ita placet Tullio definire, orationem ex ipsa re probabile aliquid elicientem, quod expositum, et per se cognitum sua se vi et ratione confirmet ». Formae autem ratiocinandi omnium frequentissimae quinque sunt: syllogismus, epicherema, enthymema, dilemma et sorites; quae quidem omnes ad syllogismum revocantur. Nec est necesse argumentationes esse apertas, sed contra saepe eaedem in oratione delitescunt. Ita Cicero in oratione pro Deiotaro: « En crimen, en causa cur regem fugitivus, dominum servus accuset ». Haec vehemens et acris argumentatio tres in partes facile resolvetur hoc modo: Sine causa non debet dominum servus accusare; hic medicus est servus Deiotari et falso crimine, ut ostendam, eum accusat; iniuria igitur dominum accusat Philippus.

Quarum argumentationum haec nobis ratiocinandi postrema commodior ad concionandum videtur. (2) Nam quemadmodum illud superius genus argumentandi, quod per inductionem sumitur, maxime Socrates et Socratici tractaverunt, sic hoc quod per ratiocinationem expolitur, summe est ab Aristotele, atque a Peripateticis, et Theophrasto (3) frequentatum: deinde a rhetoribus iis, qui elegantissimi atque artificiossimi putati sunt ».

***

De reprehensione haec quidem habui dicenda. Quae si cui minus nobis apta videntur, vehementer errat. Saepe enim in concionibus deprehendimus quasdam adhiberi argumentationes, quae etsi nobis deficere videntur, undenam sit vitium dignoscendum ignoramus. Praeterea quis dubitet quantum catholicorum intersit, non modo fidem nostram firmissime tenere, sed eam etiam strenue tueri? Quoties, ubique versemur, sermo nobis est cum plurimis viris errore imbutis conferendus? Tum autem quis poterit omnia quae nobis obiici possunt praevidere? Narrat Quinctilianus: « Alticem (quemdam) interrogatum cur causas non ageret, quum apud eum in tragoediis tanta vis esset optime respondendi, hanc reddidisse rationem, quod illic ea dicerentur, quae ipse vellet, in foro dicturi adversarii essent, quae minime vellet ». Quae quidem excusatio virum catholicum minime decet. Quare magis magisque fidei argumenta perpendamus, ut nostra doctrina omnium verissima, quasi hasta in manu collocata, adversarios vincere possimus.

Verulae, in Hispania.

E. Quera.

(1) *De inv. rhet.* l. 1, cap. XXXIV. — (2) Item, lib. I, cap. XXXV. — (3) Is philosophus ob sermonis suavitatem, quasi divina tantum loquens, Theophrastus est ab Aristotele appellatus, quum prius Tyttamus diceretur.

DISPUTATIONES PHILOSOPHICAE

MODERNISTAM INTER ET THOMISTAM

De iudicio practico penitius inquiritur; seu de iudicio consilii et de iudicio executionis.

Modernista. — Ea quae ultimo inter nos, amice carissime, disputata fuere, (1) non semel mecum mente revolvi: plura mihi perspecta prorsus sunt, quaedam obscura, ut verum fatear, remanent.

Ista tamen ex dicendis sane clarebunt; imo, ut opus fuerit, explananda tibi aliquando proponam.

Id imprimis a te audire velim quid addendum censeas de iudicio practico, cui tu tantum, in actibus liberis, tribuere videris.

Thomista. — Equidem promptissimus sum qui tibi patefaciam omnia, etsi brevius, quae intelligenda necessario sunt de tanti momenti argumento. Quae si probe intelligantur, nubila sponte sua evanescent.

Hoc prae primis notandum, cum Angelico Doctore meo, quem et tuum esse velim, iudicium practicum bifariam, nempe in iudicium examinis et iudicium electionis dividi.

En ipsamet verba Angelici, quae fideliter exscripta huc tibi affero: « Iudicium conscientiae et liberi arbitrii quantum ad aliquid differunt, et quantum ad aliquid conveniunt. Conveniunt enim quantum ad hoc quod utrumque est de particulari actu..., et differunt quia iudicium conscientiae consistit in pura cognitione, iudicium vero liberi arbitrii in applicatione cognitionis ad effectionem: quod quidem iudicium est iudicium electionis. Et ideo contingit quandoque quod iudicium liberi arbitrii pervertitur, non autem conscientiae: sicut quum aliquis examinat aliquid quod imminet faciendum, et iudicat quasi adhuc speculando per principia hoc esse malum, utpote fornicari cum hac muliere: sed quando incipit applicare ad agendum, occurrunt undique circumstantiae ad ipsum actum, utpote fornicationis delectatio, ex cuius concupiscentia ligatur ratio, ne eius dictamen in eius electionem prorumpat.

« Et sic aliquis errat in eligendo et non in conscientia, sed contra conscientiam facit, et dicitur hoc mala conscientia facere, in quantum factum conscientiae non concordat. Et sic patet quod non oportet conscientiam esse idem quod liberum arbitrium ». (2).

Iudicium ergo practicum duo iudicia infert: iudicium, inquam, examinis, quod est aliqua speculatio de bonitate vel malitia rei agendae, et consistit in pura cognitione; et iudicium electionis seu executionis, quod consistit in applicatione ad agendum. Haud secus in tribunalibus humanis duplex datur passim sententia: una qua declaratur res disputata esse unius partis, de qua multum utrinque contenditur, appellatur, etc.; alia autem quae dicitur mandatum executivum, et qua res

(1) Cfr. sup. num. IV, V.

(2) *Verit.*, 9. 17, a. 1, 4m.

domino proprio de facto restituitur, et iudicium executioni mandatur.

M. — Quae distinctio sane gravioris momenti mihi videtur, et quidem perspicuitatis eximiae, etsi postea de eadem te interrogare amplius habeam in consilio. Priusquam tamen ulterius progrediatur oratio, rescire velim quid sit illud a te praemissum, nempe hominem non posse in sensu composito et amare amore efficaci honestatem, et contra eamdem simul agere. Quid sibi velit illa dicendi ratio, quae apud nonnullos, nisi fallar, male audit, a te explanari cupio.

T. — Petitioni tuae, duce Angelico, quam libentissime faciam satis, amice carissime, dummodo discursus taedio non afficiaris. Quae sane quaestio, ubi recte et absque praeiudicio intelligatur, viam ad omnes quasi de libertate difficultates solvendas late aperit.

Apud omnes philosophos in confesso est iudicium rationis practicum esse obiective indifferens, ut supra diximus, seu obiectum proponere cum indifferentia, ubi non sit ultimum: ubi vero erit ultimum in linea propria, tum ratio ipsa nonnullam rationem determinationis inveniet, ex qua unum prae ceteris eliget et se ipsam determinabit.

Quod tamen iudicium ultimum erit reapse liberum, eo quod necessariam connexionem cum voluntate per se non inferat, ita ut omnes retineant, et quidem recte, hominem qui eligit, et quidem in eligendo, posse in oppositum transire spectata natura tum rationis humanae rebus dominantis, tum voluntatis nulli bono particulari adligatae.

Quod ceterum ubique fieri experientia patet. Homo quippe dum vult scit se ipsum posse non velle; dum hoc vult, posse aliud velle, et de facto passim in voluntate sua nedum mobilem esse, sed et moveri.

Sed ulterius procedendum, et quaerendum qua ratione homo eligens possit contrarium simul eligere, quare, inquam, ille qui eligit sedere, simul stare possit, vel qui stat potuerit iterum sedere; quare et quomodo res alba possit esse nigra.

Vix credibile quantas de hac quaestione naenias cecinerint homines, non modici quidem ingenii, sed praeiudiciis abrepti, propter fluentes ex solutione consequentias.

Si steterimus exemplis familiaribus adductis, reponet quisque illum qui sedet simul non posse actu sedere, seu rem albam simul nigram esse non posse, quia sessio excludit stationem actualem, albedo nigredinem: unde illa simul componi nequeunt, quum unum sit alterius negatio. Attamen addet ex suo sensu communi illum qui sedet posse alias seu postmodum sedere, id quod est album fieri postea nigrum: unde divisim exsistere poterunt.

En totam quaestionem de sensu composito et de sensu diviso, apud scholasticos veteres usitatam communiter; en sensum effati evidentissimi, nempe illum qui sedet non posse stare potentia simultatis, ita ut simul et sedere et stare valeat; sed posse stare simultate potentiae, quia ubi ad actum reducit potentiam sedendi, non amittit potentiam alias standi. Seu, si mavis, sensus compositus componit cum actu aut non actum, aut actum oppositum, ut si quis contendat sedentem stare simul posse; sensus vero divisus dividit actum a non actu, aut ab actu opposito, non autem a potentia ad actum, ita ut qui sedet, etsi non possit componere sessionem cum statione, possit tamen sedere quum standi potentiam non amittat.

Mirum semper visum mihi est hanc doctrinam non patere omnibus, nisi forsan sit ex iis doctrinis una quae oculo viciniores sunt quam quae, teste Augustino, videri facilius possint.

Quo clarius ista in argumento nostro pateant, adverte quae ad « velle » requiruntur, duplicis esse generis: alia videlicet requiruntur ad « velle » simpliciter et absolute, atque omnem libertatis usum antecedunt, et haec sunt potentiae intellectus et voluntatis, et operationes tum ex parte intellectus, videlicet apprehensio boni in ratione obiecti absolute; tum ex parte voluntatis, nempe amor boni. In hisce omnibus potentia simultatis datur, quia in intellectu diversae concipiuntur formae boni, quae in voluntate varios appetitus boni causare possunt. Voluntas inde non determinatur in suo velle, sicut ratio non determinatur in suo concipere: imo voluntas, quum necessario rationem habeat comitem, pro vario rationis iudicio practico elicere potest actus ad varia obiecta.

Alia vero sunt necessaria ad actum voluntatis liberum, sine quibus voluntas sese non determinabit ad unum oppositorum prae alio eligendum, et tamen non antecedunt omnem libertatis usum, quia v. gr. voluntas movere potest intellectum ad examinandam et pensandam obiecti bonitatem, imo subministrabit motiva diversa iudicandi unum esse hic et nunc melius, aliud minus bonum.

Quod iudicium ultimum decernens unum esse hic et nunc bonum prae ceteris eligendum, constare seu componi simul nequit cum iudicio opposito dictante illud idem esse hic et nunc dimittendum ut malum, quia unum excludit aliud, et aliunde voluntas malum ut malum, seu sub ratione mali prosequi non possit. Unde hic nulla erit libertas in sensu composito, seu potentia simultatis.

Sed tamen poterit quisque reiicere vel negligere iudicium illud, ad alios fines et rationes attendere, etiam ex voluntate et passionum instinctu, aliudque iudicium efformare, unde et alia voluntas exsurgat in oppositum, hincque habebitur libertas in sensu diviso, seu simultas potentiae.

Ex quibus colliges, amice carissime, hoc corollarium maximi momenti tum in philosophicis tum in theologicis, nempe ad libertatem non requiri necessario facultatem componendi, sed sufficere etiam facultatem dividendi.

(Ad proximum numerum). I. I. B.

HORAE SUBSECIVAE

I.

ARISTAEUS [1]

Ille ego Aristaeus, pastorum apiumque voluptas,
Ingens silvarum gloria, ruris honos;
Dives eram centumque meis examina in hortis
Mella novo nuper dulcia vere dabant.
Hic narcissus erat, vaccinia nigra, papaver,
Hic rosa ridenti, hic ore hyacinthus erat.
Hic calthae et violae molles, hic alba ligustra,
Fundebatque suas hic amaranthus opes.
Non tulit id livor, macies cui conficit ora,
Quique super fraudes nectere tristis amat.
Non tulit: huc illuc torvus sed lumina torquet,
Spumanti tales cum daret ore sonos:
Certe ego iamdudum lacrimis haud vescor amaris,
Iamdudum partes deseruique meas.
Mene pati turmas apium per inane volare?
Sic sine fraude queunt carpere ruris opes?
I, livor, suffunde atris alvearia succis,
I, livoris erunt sola tropaea cruor.
Vix ea, cum furibundus abit non passibus aequis,
Et parat agminibus funera, Hymette, tuis.
Invide, quidnam agis, o livor? quae crimina tentas?
Ah! ne tange meas, invide, livor, apes!
Non aures adhibet precibus, sed perficit audax
Infandum heu dextra deteriore nefas!
Inficit hac illac letali alvearia viro,
Quaeque dabat virus, funera dextra dabat.
Mox tabemque luemque struit sub limina prima,
Depictoque tegit flore dolosus humum.
Post haec indignis tumefactus pectora coeptis
Flagitii in terram proicit arma sui.
Invide, quidnam agis, o livor? quae crimina tentas?
Ah! ne tange meas, invide livor, apes!
Hora est: vicinis redeunt examina campis,
Cerne age ut incedant sub duce quaeque suo.
Si sapis, o blandas alio dux dirige turmas,
Flecte procul cursum, si sapis, inde, tuum.
At nulla est apium mens ingeniumque profecto
Agminibus, quamvis ingeniosa vocent.
Cerea nam incautae subeunt dum tecta catervae,
Sensere aspersas illico peste domos.
Invide, quidnam agis, o livor? quae crimina tentas?
Ah! ne tange meas, invide livor, apes!
Continuo potus succis exercitus atris
Ardet et inde foras, qua data porta, ruit.
Itque phalanx passim, multo per inane susurro:
Quam sua iurasses murmura fata queri!
Pars et humi vitam, pars aere linquit aperto,
Diversa inveniunt clade sepulcra pari.
Altera iam moriens animam profundit in herba,
Altera sub croceo mortua flore latet.
Invide, vicisti, o livor; iam parce parare
Crimina, inulta iacent agmina nostra solo.

MARCUS GALDI.

(1) Aristaei sub nomine apium interneccionem deflentis typorum licentia allegorice describitur.

II.

MOOREANI CARMINIS "THE LAST ROSE OF SUMMER" ADUMBRATIO

Aestiva haec Rosa fulget,
Nitens integra;
Marcet dum speciosum
Rosarum decus:
Flos iam non reperitur
Rubens sentibus,
Nec plangens zephyrorum
Citus motibus.

Ast non te male, Pulchra,
Sinam confici,
Quum quidquid speciosum'st
Diu concidit;
Sed spargens foliorum
Manu copiam
Te condam sociis cum
Tuis leniter.

Sic fiat mihi quando
Comes carior
Nullus permanet: tum
Sequar insimul!
Omnis egregius quum
Amans decidit,
Quis, quaeso, quis erit qui
Velit vivere?

G. CLEARY.

Stili lapidarii elementa [1]

I. — De inscriptionibus sacris.

Classem hanc duas in partes distribuit Morcellius, quarum prima titulos Diis positos, altera sacrorum monumenta complectitur.

Titulos Diis positos vocamus, qui aut templum, aramve dedicatam, aut vota suscepta, reddita, aut donum aliquod datum, consecratumve cum aliqua cultus Deorum significatione declarat. En simplicis dictionis exempla:

Supra templum in praedio aedificatum:

VESTAE SACRVM
ANTISTITI
PRAEDIORVM
HELVIDIANORVM

Antistes Praediorum idem est ac praeses, sive custos, ut apud Quinctilianum: *Iuris Antistes Servius Supplicius.*

SECVRITATI . AVG.
SACRVM
DECVRION . POPVLVS . QVE . COLONIAE
PRAENESTIN.

Securitatem veteres quasi Deam venerantes mulieris habitu repraesentabant hastam fere dextera gestantem, sinistro autem cubitu sic arae innixam, ut genam palma sustentaret. Eadem quasi Augusti virtus, *Augusta* aut *Augusti* dicta est, quod eum publicae securitatis auctorem putarent. Additur Decurionum seu Patrum nomen: erant enim Decuriones, ut in codice appellantur, Patres civitatum. Inscriptionem non esse Tiberio recentiorem patet ex eo quod Praeneste Colonia nominetur. Praenestini enim a Tiberio consequuti sunt, ut ex colonia in Municipii statum redigerentur.

CAELO . AETERNO
ATILIA . COMPSE
ET . ATILIA . VICTORIA
GRATIAS

Caelus Deus appellari hic videtur quem fabularis historia filium Aetheris, et Diei fecit. *Gratias* hoc est, ut grati animi monumentum sit.

IOVI . O . M.
M . FLAVIVS
THREPTUS
EX . VISV . P.

Ridiculum sane illud *ex visu,* hoc est ex visu Deorum in somnio: cui similia *ex monitu, ex imperio, ex oraculo, ex iusso Numinis. ex visu, ex monitu Dei.* Quidquid enim facerent, fecisse videri voluerunt imperio Deorum, Dearumque, ex praecepto Deorum, ex iussu Numinis, ex visu, ex monitu Dei.

(1) Cft. sup. num. V.

IVNONIBVS
AVG . SACR.
METELLA . IDE . NOMINE
SVO . ET
T . FLAVI . HERMETIS
VIRI . SVI
D. D.

Iunones Augustae sunt Deae tutelares uxoris, sororis, filiarum Caesaris Augusti; nam id foeminis Iuno, quod viris Genius. - *D. D.* donum dedit.

Quod sequitur exemplum est dictionis ornatae:

IMP . CAESAR . DIVI . F.
AVGVSTVS
PONTIFEX . MAXIMVS
IMP . XII . COS. XI . TRI . POT . XIV
AEGYPTO . IN . POTESTATEM
POPVLI . ROMANI , REDACTA
SOLI . DONVM . DEDIT

Aegyptiorum superstitionem sequutus videtur Augustus cum obeliscos Soli dedicavit. Id enim et Nuncoreus fecerat Sesostridis Filius.-*Tri. Pot.* Tribuniciam potestatem designat: Princeps enim non Tribuni munus, quod plebeio conveniebat, assumpsit, sed tribuniciam potestatem, qua se praestitit sacrosanctum.

Habes nunc dictionis singularis exempla:

ANNIA . ZOSIMA
VOTVM
LVCERNAM

Lucernis veteres usi sunt non domi solum et ad sepulcra, sed etiam in templis.

DEO . FVLGVRATORI
ARA

Fulgura aliquando pro fulminibus; hinc Iupiter Fulgurator.

L . FL . HERMADION
HOC . MIHI . LIBENS
DON . DEDIT

Mithras est qui loquitur fabulosus ille Persarum Deus, cuius sacris Romani quoque initiabantur. Hoc enim usitatum apud veteres, ut inscriptiones in prima persona conciperentur, quasi donarium ipsum, vel simulacrum loqueretur.

QVINCTILLAE
L . HERVTII
DONVM
VENERI

Quinctillae vir fuit Lucius Herutius.

Nunc altera pars huius primae classis addenda esset, id est sacrorum monumenta, in quibus narratur ritus rerum sacrarum, quaecumque eae sunt, vel eorum ordo memoriae proditur: sed eam brevitatis causa omittimus, lectorem monentes, ut de his Morcellium consulat.

Tacere tamen non possumus quin sacrarum Christianae religionis inscriptionum specimina referamus.

(Ad proximum numerum).

A MEXICO AD ANGLIAM

A Mexico ad Angliam non breve certo iter; quod tamen hisce postremis diebus citissimo mentis cursu non pauci explevimus, oppositos qui agebantur eventus ex diariis recolentes: illic enim civile bellum perducitur ut, praeside toties electo et confirmato ad munus abdicandum coacto, novus infirmae rei publicae sufficiatur; hic sollemnibus feriis solidissimum quod nunc habetur in orbe imperium, civium omnium participatione et consensu, regem coronando validius confirmetur.



Mexico urbis prospectus.

Haec quidem vel obiter consideranti, non parvi momenti neque ipsas maestitia vacuas erga latinas Americae gentes cogitationes succurrunt, quae tamen praeterimus, de locis in quibus illa gesta sunt heic unice attingentes.

***

Mexicum urbs quasi centrum amoenissimae vallis altis montibus cinctae constituit, ubi ante an. MDXXI oppidum exstabat Tenvehtitlan, Anahuac imperii caput, quod Indi exstruxerant, positis palationibus in lacu, pluribus incilibus interfuso. Regio enim lacubus abundat, quorum sex ex campanariis urbis turribus conspiciuntur solis radiis rutilantes, at civitatem simul minitantes una cum magnis vulcanis Popocatepelt atque Itzaccihuatt, qui ad circulum orbem definientem assurgunt. Ferdinandus Cortez, Indicis profligatis, Tenvehtitlan oppidum solo aequavit; deinde, canalibus ipsoque lacu adsiccatis, nova urbs condi coepta cum cathedralibus suis aedibus, quarum angularis, quem dicunt, lapis eo loco an. MDLXXIII positus est, ubi quondam Aztecorum fanum erat, ab Ibericis destructum.

Novum hoc templum sumptuosissimum factum est ex marmore. In longitudinem metr. centum et quadraginta patet; turres in altitudinem septuaginta: in eo Iberici legatorum, vices regum fungentium, ipsiusque Augustini Iturbide, primi Mexicanorum imperatoris, exuviae compositae sunt, praesertim circa maius altare, quod totius orbis ditissimum putatur, licet variis occasionibus plures thesauri ablati inde atque aversi sint.

Notabiles quoque magnitudine sua aedes, quas nationales nuncupant in « foro maiore » abhinc saecula duo et ultra positae, ubi musea, publica officia et gubernii sedes. In eodem palatio breve sui regni vitam una cum Carolina uxore vixit Maximilianus, infelix ea victima chimaerici somnii Gallici illius Napoleonis nomine tertii, qui.... At ne revertamur in aegritudinem; Londinum urbem exsultantem petamus.

***

Westmonasteriensis abbatia, in qua Georgius, Anglorum Caesar ordine V, corona die elapsi mensis XXII est redimitus summique imperii signa formaliter accepit, tamquam simplex « prioratus » circa annum DCIV, a Seberto, Saxonum rege, constituta, et ab Offa an. DCCLXXXV erecta, a Gulielmo, cui Domitoris cognomen, tamquam locus regibus




Mexico urbis cathedrale templum (Prospectus exterior).

coronandis addicta est. Henricus VIII in cathedralem evexit, eiusque vicinia civitatis titulo cohonestavit, quamquam episcopalis sedes circa an. MDL suppressa est, decemque post annos Elisabeth in collegialem ecclesiam convertit.

Templum Gothorum stilum praesefert venustum, symmetrum, elegantem, ad occidentem versus praesertim. Sed eius attrahendi vim non in architectura tantum atque in artis praeclaris operibus per templum passim diffusis plerique inveniunt, sed ex divino quodam afflatu undique ex tot illustrium Anglorum memoria manante, qui illic diem resurrectionis exspectant. En oculus herma rapitur, sub qua patriam inscriptionem legit: *O rare Ben Iohnson!* Huic proximum monumentum est Miltonii illius poetae nobilissimi; supraque, magnum numisma ex marmore Gray imaginem refert, qui suaviter recinere campestrem cupressum iterum iterumque videtur. Ibique etiam nomina leguntur virorum, quos culti homines per universum orbem veneratione prosequuntur: Dryden, Southey, Campbell, Thompson, Macaulay, Thackeray, Garrick, Grose, Sheridan, Dickens...

O locum! quo nullus profecto dignior quam ut fortissimi gravissimique populi gloria et potentia in ipso celebretur.



Wesmonasteriensis Abbatiae ala, sepulcra Anglorum poetarum continens.

F.

COLLOQUIA LATINA (1)

Ascensus.

VINCENTIUS. — Iamne erumpere hoc licet mihi gaudium? Nunc pulchre, nunc bene est Vincentio; circumfluo laetitiis profecto! Quis me uno vivit hodie felicior? Quis fortunatior?

TIMOTHEUS. — Quid est quod sic gestis? Quaenam haec nova insolitaque voluptas?

V. — O Timothee, optima opportunitate advenisti. Hic me amoenitate amoena amoenus oneravit dies, maximas opimitates opiparasque obtulit mihi: laudem, lucrum, ludum, iocum, festivitates, ferias.

T. — Quî tandem, Vincenti? Aut qualis est ista fortuna, qua te fortunatissimum hodie evasisse gloriaris? Mihi enim consequutus quidpiam videris, quod et diu expetiveris et semper admiratus sis.

V. — Rem acu. Publicum et a magistro et iis qui statis definitisque temporibus discipulorum progressus tentant - (examinatores vocamus) - sedulitatis et doctrinae auferre testimonium, quaero, numerarene debeam in bonis?

T. — Ac summis quidem atque amplissimis. Quantum coniicio, gradum studiorum altiorem ascendisti.

V. - - Ascendi vero; quod mihi, parentibus familiaeque nostrae felix faustumque eveniat.

T. — Gratulor tibi honorem istum ex animo, et tua caussa ego quoque incedo laetitia. Quotus eras?

V. — Non ausim dicere, ne tu arrogantius quam verius id a me dici interpretêre.

T. — Audacter enuntia; nam mihi suspicionem mendacii aut ambitionis movere non potes.

V. — Tertius fui.

T. — Quot tecum ascenderunt?

V. — Undequadraginta.

T. — Non leve argumentum eruditionis, inter

(1) Ex IACOBI PONTANI opere, cui titulus *Progymnasmata latinitatis* passim retractavit I. F.

tot tam prope ad primam palmam accessisse! Quis vester signifer et coryphaeus erat?

V. — Longinulus ille noster.

T. — Secundus?

V. — Frustra nominem, quandoquidem non nosti.

T. — Praestans ingenium sortitus est ille adolescentulus.

V. — Praestantissimum. Stupore complebat praefectos examini; ita prompte ac recte respondebat ad quaesita singula; afficiebaturque ab iisdem summis laudibus. Quoties me illius loco esse optabam! Quod si quid veritatis haberet, quam superioribus diebus magister narrabat invexisse Pythagoram metempsychosim, illius pueri animam cum ingenio suo et probitate in meum corpus vellem immigrare. Ceterum anno vertente primas nulli cessero. Et quoniam amat victoria curam, non est mihi consilium pati per socordiam vires, tempus et ingenium defluere: legendo, scriptitando, ediscendo etiam aliquid noctis assumam. Aliquando videlicet multum ingeniosos a studiosis superatos et vidimus et accepimus. Quid multa? Enitar summa ope me praestare ceteris omnibus.

T. — At illud sectatoribus litterarum apprime cavendum duco: « Ne quid nimis ».

V. — Si periculum impendere sensero, moderabor cupiditati.

T. — Arbitror parentes tuos exspectare huius felicitatis tuae felicem nuntium.

V. — Hinc domum recta propero. Domesticos enim omnes laetitiam ingentem mea gloria agitaturam divinat animus... Et praemia dabunt laeta nuncianti!... Vale.

T. — Vale; sed quid ais?

V. — Quid vis?

T. — Nempe otium a litteris est hodie?

V. — Fugit te ratio. Madidusne an siccus es, qui istuc me interroges?

T. — Tamen nihil obest.

EX ITALIS URBIBUS

De ludis gymnicis Augustae Taurinorum.

Graiis delecta iuventus
Gymnasiis aderit, studioque ignava palaestrae.
LUCANUS.

Quod olim celebri Lucanus dixerat
Carmine, laudans Graiorum fortitudinem,
Relatam gloriam in ludis Olympiae,
Foret, lectores, repetendum penitus.
Enim sic patriam defensuri alacres
Prius ferebant palmas in certamine,
Dein laturi fortiter cum Perside.
Erant Augustae Taurinorum proxime
Alit quot iuvenes colit Italia,
Daturi specimen palaestrae gymnatis.
Adest et parva Parisiorum phalanx,
Adest Lugduni cum Gratianopoli,
Amice certant de virtute corporis
Alacritate, gratiaeque motibus,
Laeti cum nostris, nulla sed invidia.
Adest et tenax Helvetiorum cohors,
Suas qui virtutes exprimunt en oculis.
Habent suam cuncti musicam cum tympanis.
Suosque Belgae miserant et filios,
Gerunt virtutem nam parentum fulgidam,
Ut olim Caesar pugnavisse tradidit.
En adsunt tandem iuvenes Italiae!
Incedunt primi Taurinenses alacres,
Longos qui passi sunt labores impigri
Suorum patrum dum virtutem celebrent.
Movent ut arte, currunt ut composite,
Per urbem nobilem, quam laudare sentiunt,
Ferentes gloriam securi, taciti!
En Urbs Pontificis narrat quae Maximi
Ampli Alexandri cognomento tertii,
Cum Fridericum pressit, fusis copiis,
Palea tunc tecta, defensa vi civium,
Nunc copiosa abundat rebus et opibus.
Queis sed feram Mediolanum laudibus,
Quod omnes misit dissitis ex urbibus,
Eam provinciae nominant quae caput?
Ut acres, fortes, fulgidoque lumine,
In urbe incedunt magna Taurinensium!
Suos ferre ut videntur in certamine.
Manus quae circum plausus et voces volant,
Gradus et laudant, laudant exercitia!
En Brixiae fortes adsunt iuvenculi,
Ferunt qui matris in vultu imaginem!
Cremona insignis aemulatur atavos.
Verona, Dantis celebris hospitio,
Sua arce pellit hostes ex Italia.
Superbos mittunt iuvenes exercitos
Labore duro remotae Venetiae.
Adest iuventus et Florentiae decus,
Pisarum, Lucae, Mutinae, Bononiae,
Et ipsa Roma dicitur quae gentium
Caput, ne desit culmen inter Italos.
Suis parati magnis exercitiis
Adsunt Neapoli nati et Siciliae,
Ferentes magnum decus in praecordiis
Mori simul pati pulchre pro patria.
Ad hoc et agmen puellarum pulchrius
Meo quas perperam misit iudicio
Magistra gentium leviter Lutetia,
Misit Lugdunum! Taurinensium gravitas
Tulit quod aegre, signat quod silentio!
Puellas laudo clausas inter moenia
Bonas procurat artes quae domesticas,
Sub ipsa matris lege cum custodia.

In agro Martis, dicitur qui veteris,
Erat planities lata nuperius.
Heic palaestram municipium condidit,
Ubi tot iuvenum certabunt millia,
Agant et omnes libere ex ingenio.
Loco nomen datum latine *Stadium*.
Illuc se laetantes certatim conferunt.
At at ferunt universi dum ad sidera
Cives et advenas certantes in agmine,
Et omnes omnium virtutem celebrant,
Adest quae nullis exoptatur precibus,
Quin imo totis propulsata viribus,
Una spes omnes quae fefellit omnium.
Fuit nam cunctis deprecata pluvia
In ipso magna palaestrae initio!
Novum tunc certamen, signum sollertiae.
Venit dum pluviae vis magna caelitus,
Volant et iuvenes confuse longius,
Turbantur omnes ordines de subito.
Vero certamen? primum differtur, postea
Frequentis causa pluviae dissolvitur!
Dolor qui iuvenum, civium et hospitum!
Res pulcra initio quam tristis exitu!....

SUBALPINUS.

ACTA PONTIFICIA

Litterae Apostolicae ad Pontificii Instituti Biblici praesidem et doctores de studiorum cursu in eodem Instituto confirmando ac provehendo.

Dilecti Filii, salutem ed apostolicam benedictionem. — Iucunda sane ad recolendum Pontificii Instituti Biblici cum primordia, tum incrementa. Vix enim providentia Nostra conditum, divino munere beneficioque, ita auctu pene quotidiano celerique adolevit, ut opus pene umbratile angustique circumscriptum finibus, celebritate refertissimum omnique eruditionis ac doctrinis adiumento egregie instructum studiorum biblicorum domicilium brevi effectum sit. Hinc etiam feliciter factum ut frequentiae delectorum undique adolescentium qui Romam conveniunt « divinorum eloquiorum scientia singulares evasuri » impares iam priores aedes effectae, Apostolicae Sedis cura, ampliores commodioresque fuerint attributae. Parem vero celebrantium numero sese probare conspicimus laetabilium fructuum copiam, quam omnium vestrum ingenium ac navitas auditorumque diligentia hucusque peperere. Quae quidem initia atque incrementa, auspicia rerum secunda, et praestantissimo Dei auxilio tribuimus, et vobis omnibus, Dilecti Filii, quorum perspecta Nobis est doctrinae sollertiaeque laus, ex animo gratulamur.

Providentiae vero Nostrae, hunc etiam volumus esse fructum, nova quaedam legum statuta quibus exhibendorum quotannis doctrinae speciminum ratio multo salubrior eveniat. Perspicuum quippe est quantum sollemnibus huiusmodi experimentis insit momenti ad acuendum in magistris, in discipulis, hinc docendi, inde addiscendi ardorem, et ad quaesitas utilitates ex optimis praelectionibus proniore alveo derivandas.

Volumus igitur in primis ut Instituti Nostri alumni atque auditores, ad unum omnes, singulis annis ordinaria doctrinae pericula facere teneantur. Vix enim est qui ignoret longe facilius inde exploratum iri in moderatoribus quidem alumnorum et auditorum quisque ex emenso studiorum cursu perceperit fructus, alumnis vero atque auditoribus, cui ferendo oneri eorum valeant humeri, et num edita hactenus diligentia acrioribus in posterum indigeat incitamentis.

Quo vero largiora ex periculis huiusmodi commoda proveniant, ordinarius studiorum cursus in Instituto tria doctrinae specimina, extremo quoque anno edenda, complectetur. Horum primum ad ea sese extendet doctrinae capita, quibus scientiae biblicae libamenta ac philologicae institutiones continentur, quaeque argumenta fere praebebunt rerum primo anno tradendarum.

Alterum in iis versabitur rerum momentis, quibus, secundo anno, auditoribus atque alumnis plenior suppetet sacrae doctrinae haustus: tractationem, dicimus, disciplinarum quae in subsidium sunt graviorum studiorum, et praesertim alicuius sacri textus partis interpretationem. Horum ope compertum fiat num alumni atque auditores ii sint qui valeant, cum spe felicis exitus, integrum absolvere studiorum cursum atque optatam tandem contingere metam.

Exacto demum tertio anno, postremo experimento, quod interpretationem alterius partis sacri textus ac res ultimo hoc anno traditas complectetur, alumnorum atque auditorum doctrina ita periclitabitur, ut liquido appareat eosdem animum biblicis disciplinis satis excoluisse, et pares se probare proposito assequendo quod Instituto in litteris Apostolicis « Vinea electa » praestituimus.

Quo denique omnibus ac praesertim ecclesiasticis superioribus, de studiorum curriculo ab alumnis atque auditoribus in Istituto peracto, de periclitata cum laude doctrina, authenticum praesto sit documentum, id quoque decernimus, ut, scilicet, Instituti praeses, rite suffragantibus doctoribus singulis disciplinis tradendis, alumnis atque auditoribus de comprobata experimento doctrina testimoniales litteras tradat, in forma diplomatis exarandas, quarum tamen argumentum, seu oratio, erit iudicio Nostro rata habenda.

Auspex divinorum munerum Nostraeque benevolentiae testis Apostolica sit Benedictio quam vo-

bis, Dilecti Filii, iisque omnibus qui ductu et auspicio vestro ad optima studia nituntur, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XXII Martii MCMXI, Pontificatus Nostri anno octavo.

PIUS PP. X.

EX SACRIS CONGREGATIONIBUS ROMANIS

SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE

Ex Congregatione Indicis.

Per decretum huius S. Congregationis d. VI mens. Iunii MCMXI in Indicem librorum prohibitorum relata sunt opera quae sequuntur:

Der Modernisteneid. Ein Appel an deutsche Priester von Clericus Germanicus. Augsburg 1910.

Dr. W. KOCH und Dr. O. WECKER, *Religiös-wissenschaftliche Vorträge Dritte Reihe: Katholizismus und Christentum.* 1. u. 2. Aufl. Rottenburg 1910.

AUGUST HUMBERT, *Les origines de la Théologie moderne* — I. La Renaissance de l'antiquité chrétienne (1450-1521). Paris 1910.

OTTOKAR PROHASZKA, *Az intellektualismus tùlhajtásai.* Budapest 1910.

— *Több békessiget* (in *Egyházy Közlöny*, Dec. 1910).

— *Modern Katholizismus.* Budapest 1907.

Ex Congregatione S. Officii *(Sectio de Indulgentiis).*

De Indulgentia, quam vocant PORTIUNCULAE.

EE. ac RR. DD. Cardinales Inquisitores Generales in plenario conventu habito feria IV die 24 mens. Maii MCMXI, generali Decreto, *usque ad novam dispositionem valituro,* de Indulgentia, quam vocant *Portiunculae* haec statuenda censuerunt:

I. — Omnes et singulae tam pro fidelibus in saeculo viventibus quam propriis communitatibus antea a S. Sede factae et iam nunc expiratae vel in posterum expiraturae de Portiunculae Indulgentia concessiones prorogatae habeantur sine die, firmis, quoad cetera, clausulis et conditionibus praecedentis Indulti, habitaque ratione, quoad utile sacris visitationibus peragendis tempus, novissimi huius eiusdem Supremae Sacrae Congregationis Decreti diei XXVI Ianuarii anni currentis (1).

II. — Quod ad novas concessiones tam pro fidelibus in saeculo viventibus quam pro piis communitatibus providendum pariter sine die committitur respectivis Ordinariis cum facultatibus necessariis et opportunis, salvis tamen clausulis et conditionibus *Motu Proprio* diei XI Iunii anni elapsi praescriptis (2).

(1) Cfr. *Vox Urbis* an. XIV, num. V, pag. 75.
(2) Cfr. *Vox Urbis* an. XIII, num. VII, pag. 108.

III. — Itidem, demum, respectivis Ordinariis prorogatur sine die facultas, praefato *Motu-Proprio* superiore anno eisdem concessa, statuendi ad supradictam Indulgentiam lucrandam, loco diei secundae Augusti, Dominicam proxime insequentem, servatis clausulis et conditionibus ibidem appositis.

Ex Congregatione Rituum.

Dubia circa organi sonitum ad adiuvandum cantum Gregorianum et formulam Benedictionis Apostolicae impertiendae in fine concionum.

I. — An hodiernus usus cantum Gregorianum adiuvandi organis sustineri possit? — *Resp.* Affirmative, exceptis tantummodo iis Officiorum ac Missarum partibus, quae, iuxta liturgicas nunc vigentes leges, sine comitantibus organis debeant penitus decantari.

II. — Quatenus affirmative, an etiam in Officiis et Missis, in quibus sonus organi prohibetur, liceat organum adhibere solummodo ad associandum et sustinendum cantum, silente organo quum silet cantus? — *Resp.* Affirmative in casu necessitatis.

III. — Quibusdam in Brevibus, quibus fit sacerdotibus potestas, in fine concionum, benedictionem cum Indulgentiae plenariae favore, populo impertiendi, edicitur id fieri debere cum Crucifixo, iuxta ritum formulamque praescriptam; nunc quaeritur quinam sint hi ritus et formula adhibendi? — *Resp.* Unicum signum crucis cum Crucifixo, adhibita formula: « Benedictio Dei Omnipotentis, Patris et Filii et Spiritus Sancti descendat super vos, et maneat semper ». R. Amen.

(Ex decr. d. XI mens. Maii MCMXI).

De editionibus librorum Sacram Liturgiam spectantium.

I. — Editiones librorum Sacram Liturgiam spectantium, sive Ritus et Preces in Sacris Functionibus peragendis contineant, sive Sacras Caeremonias supradictos Ritus Precesque comitantes praescribant, sive S. Rituum Congregationis decreta in unum collecta referant, sunt vel *typicae,* vel iuxta *typicas.*

II. — Editiones *typicae* excudere tantum possunt vel Pontificia Typographia Vaticana, vel alii Typographi Pontificii, qui a S. Rituum Congregatione veniam obtinuerint.

III. — Singula editionis typicae folia revisioni S. Rituum Congregationis submittentur, quae seu Commissionis Liturgicae, seu Commissionis de Musica et Cantu Sacro, iuxta opportunitatem, sententiam exquiret.

IV. — Quaevis typica editio approbationis referet decretum, talem editionem esse typicam declarans, simulque omnibus editoribus praescribens, ut praedictae editioni typicae futuras editiones omnino conforment.

V. — Editores, aliqua editione typica completa, duo exemplaria S. Rituum Congregationi tradant, in archivio ipsius S. Congregationis maxima cura et studio conservanda.

VI. — Quivis typographus, accedente consensu et approbatione respectivi Ordinarii, editiones *iuxta typicas*, quae nempe adamussim praedictis editionibus typicis respondeant, excudere potest.

VII. — Revmi. locorum Ordinarii, diligenti rerumque liturgicarum perito constituto revisore, qui videat an praefatae editiones plane cum typicis concordent, talem concordantiam declarent et *imprimatur* apponant.

VIII. — Quoad editiones Missarum aut Officiorum alicuius dioecesis propriorum, de quibus editio typica non exstat, si in ipsa dioecesi cudendae sint, revmi. locorum Ordinarii concordantiam cum originalibus declarent et *imprimatur* apponant. Quoad vero editiones Propriorum tum alienae dioecesis, tum Ordinum Regularium seu Congregationum, revmi. locorum Ordinarii, quorum iurisdictioni typographi subiacent, *imprimatur* apponant, postquam vel Ordinarius dioecesis, vel Superior Ordinis seu Congregationis, ad quos praedicta Officia seu Propria pertinent, de harum editionum concordantia cum originalibus a S. Rituum Congregatione approbatis Rescriptum, quod pariter edendum est, sibi remiserint.

IX. — Inter libros Sacram spectantes Liturgiam, ad effectum praesentis decreti, sequentes praecipue adnumerandi sunt:

a) Breviarium Romanum
b) Missale Romanum
c) Rituale Romanum
d) Pontificale Romanum
} eorumque excerpta.

e) Martyrologium Romanum.

f) Caeremoniale Episcoporum.

g) Propria tum Officiorum, tum Missarum alicuius dioecesis, Ordinis, seu Congregationis Religiosae.

h) Memoriale Rituum Benedicti Papae XIII pro minoribus Ecclesiis.

i) Instructio Clementina pro expositione SSmi. Sacramenti.

j) Collectio decretorum S. Rituum Congregationis.

(Ex decr. d. XVII mens. Maii MCMXI).

DIARIUM VATICANUM

(Mense Iunio MCMXI).

Coram SSmo. admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites aliosque viros, qui sui quisque muneris gratia Pontificem de more adiverunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: Bernardus Blumensthill, Comes; De Leiningen, Comes; Marcus Borghese, Princeps Urbanus, eiusque familia; Boncompagni, Princeps de Plumbino; Otho De Ritter de Gruenstein, dynasta, legatus extraordinarius atque administer cum omni potestate Bavarici regni apud Apostolicam Sedem; Xystus e Principibus Borbone-Parma, cuius sorori Isabellae Pontifex Confirmationis Sacramentum administrat; Ioannes Schönburg-Hartenstein, legatus extraordinarius cum omni potestate Austrorum Hungarorumque apud Apostolicam Sedem eiusque uxor; Philippus Lancellotti, Princeps Urbanus.

Pontificiae electiones.

— Emus. et Rmus. vir Franciscus de Paula Card. Cassetta, Episcopus Sabinorum, S. Congregationis Studiorum, loco Purpurati Patris Beniamini Cavicchioni, vita functi, Praefectus renunciatur.

— Emus. et Rmus. vir Benedictus Card. Lorenzelli « Protector » dicitur Pontificiae Academiae Theologicae.

— Excmus. vir Ianuarius Granito Pignatelli de Belmonte, archiepiscopus Edessen., Pontificiae extraordinariae legationi praeficitur, quae sollemnibus coronationis Georgii V, Anglorum regis intersit.

— Rr. pp. Philippus Maroto e Congregatione Filiorum Immaculati Cordis Mariae, et Antonius Velardi e Congregatione Missionariorum Pretiosi Sanguinis D. N. I. C. inter Iudices seu Consultores S. Congregationis Concilii referuntur.

— R. p. d. Ioannes Garigliano, vicarius generalis Aquilanus, episcopus Nuscan., et r. p. d. Michael O' Doherty, rector collegii Hibernici in urbe Salamanca, episcopus nuper erectae dioecesis Zamboangen. in insulis Philippinis nominantur.

Varia.

— Die II mensis Iunii SS. D. N. Pius PP. X septuagesimum sextum aetatis annum fauste ac feliciter explet.

— d. XXVI ab Emo. Dno. Raphaele Merry Del Val, Cardinali a Secretis Status, Sacrarumque Apostolicarum aedium Praefecto, Pontifici offertur exemplar numismatis in memoriam octavi anni Pontificatus eius, his diebus cusi. Ab uno latere SSmi imago exstat; ab altero vero Astronomiae figura cum inscriptione: AMPLIOREM . IN . HORTIS . VAT . MIHI . SEDEM . ADORNAVIT. — Pontifex enim speculatoriam Vaticanam turrim novis recens instrumentis munificentissime ditavit, ad sidera photographice exprimenda.

ANNALES

Mauritanae res.

Mauritanae res primas adhuc in civilibus totius orbis eventibus tenent, quamquam in melius proxima tempestate verterunt. Moinier enim, Gallicus chiliarca, bene concepta decursione, licet non sine aliqua suorum clade, Mequinez urbe tandem potitus est, rebellionis centro, Mulai-Zin spe capiundi Mauritani imperii sic frustratus; dum Toutée, militum praefectus, non interrupto itinere Mulujae territorium omne submittit. Restant equidem nonnullae tribus in armis, sed verisimile videtur fore ut brevi et ipsae frangantur, ita ut reliquum id unum sit Gallis, per aliquod tempus excubare, donec favillae quae sub cineribus ali possint, exstinctae prorsus fuerint.

Tacere nolumus Hispaniam inter et Galliam difficultates, per diaria praecipue, fuisse etiam agitatas, accusantibus Gallis quod Hispani, suis pro-

gressionibus ad Tetuan urbem, Algesirense foedus violarent.

Discrimen vero facile sopitum, apertis Canalejas administri verbis ad publici coetus legatos habitis, factas expeditiones eo tantum tendere, ut Hispanica negotia, intenta satis, tutarentur, nedum cuiusquam finium explicationis desiderium affectarent.

A banensis seditio.

Albanensis, contra, seditio acrius perducitur; quum ex improviso nunciatur Turcarum imperator ad Balkanos montes esse profectus, ut non tam auctoritate sua, quam clementia rebelles populos vinceret. Visum est enim ei - ita saltem dictitant - si ipse amplissimae veniae et quarumdam concessionum, de patriis iuribus praesertim, nuntius fieret, futurum ut Albanenses, quorum pars maxima bona fide et patria caritate indubie ad decertandum movetur, ab armis recederent. Quidquid fuerit, certe Malissores cum Turcarum cohortibus adhuc pugnant, Albanenses ex lio multati in patriam terram non redeunt, et, quod gravius est, Albanensium proceres plerique obsequii sui in testimonium Caesarem consalutare renuunt. Suntne haec diffidentiae signa? Sunt despectionis, firmaeque voluntatis optatum finem per vim consequendi? Eventus qui futuri erunt indicabunt.

PUBLICI PER ORBEM COETUS
legibus ferendis

In **Austria** nova comitia in detrimentum factionis quae « Christianorum socialium » vulgo appellatur, concesserunt. Inde profecto Bienerthi administrorum praesidis eiusque collegarum a muneribus suis abdicatio.

In **Belgica,** administrorum collegio a munere recedente ob scholarum legis reformationes acriter impugnatas, novum suffectum, praeside Bracqueville, iam ferriviarum regimini praefecto.

In **Borussia** optimatium coetus legem ratam habuit, qua cadavera cremandi facultas singulis civibus conceditur.

In **Bulgaria** publici coetus sessiones resumptae.

In **Gallia** Monis eiusque collegae ab administrorum munere recesserunt. Caillaux novo collegio praepositus.

In **Graecia** « constituentis » coetus laboribus absolutis, « legiferi » coetus sessiones inchoatae.

In **Hispania** vectigal quod « consumptionis » vulgo dicitur abolitum, novaeque expensae pro exercitu atque classi inductae.

In **Italia** lex monopolium civitatis constituens circa vitam parsimonia defendendam vehementer disceptatur.

In **Lusitania** « constituens » coetus congregatus, qui regis eiusque gentis exilium sanxit et popularem gubernii formam.

PER ORBEM

Die I mens. Iunii MCMXI Garros aviator, Lutetia Parisiorum profectus, Romam et ipse feliciter appellit.

— d. II, Bonearensi in urbe, Petri Mascagni musicum opus, cui titulus *Isabeau*, magno plausu primum agitur.

— d. III Frey aviator Galliae ex urbe capite tertius Romam per aërem pervenit.

— d. IV, Romae, monumentum Victorio Emmanueli II regi, Italorum collata stipe erectum, sollemniter dicatur.

— d. VIII Raimundus Marra, Romanus aviator, non longe ab Urbano aërodromo dum experimenta agit, improviso ventis impetu aequilibritate amissa, in terram deiicitur et vita misere privatur.

— d. X Romae novum ad gymnicos ludos stadium aperitur.

— d. XII Frey ille, quem aëronavi sua Parisiis profectum Romam petiisse supra diximus, iter hinc ad Augustam Taurinorum pertentans, ad Ciminos montes nebulis circumdatus, in silvis implicatur ac tam gravia vulnera patitur, ut ad mortem prope adducatur.

— d. XIII exuviae Italorum ducum Lamarmora et Montevecchio, qui an. MDCCCLV Italicae legioni praeerant Gallis auxilium ferenti in Taurica Chersoneso, ibique occubuerunt, Sebastopoli ubi reconditae fuerant effossae, patriae restituuntur.

— d. XVII Bague, Gallicus aviator, Nicaeam ad Varum profectus, in mari deperditur, nullaque deinceps de eo notitia haberi potest.

— d. XVIII novae aëronauticorum victimae lugentur Lamartin, Sandron et Princeteau, tribunus militum.

— d. XIX atrae procellae Cathelaunios campos, Pontum Euxinum, Italicamque regionem Tarvisinam pessumdant.

— d. XX incendium in Be'gica abbatia *de la Chambre* exortum, museo rerum et scriptorum inibi exstanti graviter officit.

— d. XXII adstantibus universi orbis legatis, in Westmonasteriensi abbatia ad Londinum, Geor-

gius V eiusque uxor Anglici imperii reges sollemni ritu coronantur.

— d. XXIV Madriti Eucharistici conventus « internationalis » initium fit, praeside Purpurato Patre Gregorio Maria Aguirre y Garcia, archiepiscopo Toletano et Indiarum Occidentalium Patriarcha, a Pontifice ad hoc munus specialiter delegato.

— d. XXV Moncalieri in oppido ad Augustam Taurinorum, quo iamdiu recesserat, sanctissime, uti vixit, quiescit in Domino, Clothildes e Sabaudica gente, Victorii Emanuelis II, Italiae regis, filia, Hieronymi Napoleonis Bonaparte principis vidua. Nata erat Augustae Taurinorum die II mens. Martii MDCCCXLIII.

— d. XXVI Copenaghen, in Danorum urbe capite, sextum supra septuagesimum aetatis annum agens, vita fungîtur Bergsoe doctor, scriptor apud suos valde celebratus.

— d. XXVII Valparaiso ex urbe nunciant, vehementissimi turbinis vi, Cilensis reipubblicae litora vastata esse, magna cum incolarum et lacrimabili caede.

IOCI

Princeps artis canendi studiosus et Procurator eius.

— Vidistine heri molossum a me nuper emptum?

— Quidni? illo vigilias agente, te a furibus tutum in posterum fore, equidem censeo.

— Undenam id tam cito cognovisti?

— Meo periculo, non alieno: in me enim aedes tuas ingressurum tanto impetu, quum fremeret, invasit, ut aegre a cruribus prohibuerim fuste non semel in caput incusso opeque fi'ii tui natu minimi, a quo tandem absterritus est et catenis devinctus.

— Ergo canis meus narium sagacitate me longissime praestat.

— Voce non item, quae ipsi gravis est persimilis tuae; itaque sive baubetur molossus per aedes sive Princeps canat, duo haec, auribus audientium idem sonare, nullo discrimine, videntur.

***

Hircanus senex de via inclamabat praetereuntibus, ut coeco sibi pauperrimo aliquid stipis largirentur. Puellus, qui eum perductabat, interrogatus quam pridem homo miserrimus lumina amisisset, sic, rem, uti se haberet, aperuit: - « Annus est, quum avus hic meus quotidie capitur oculis, a mane nimirum adultiore ad horam tertiam a meridie. Haec autem calamitas interdum eo productior est, quo frequentiores incolae et advenae obeunt urbem, di bus praesertim nu dinariis ».

***

Tatius convenit Berillum, cui dixit se pecuniam mutuam flagitare; si infecta re coactus esset redire, nihil reliqui fore, nisi ut mortem sibi conscisceret. Berillus, qui haud ita quaestuoso munere fungeretur, orantem ab se dimisit conceptissimis hisce verbis: - « Si pra stitero quod petis, idem mihi supererit agendum ».

Titus Curzius.

SOCIIS ET LECTORIBUS
MONITUM

Uti in superiore numero IV ediximus, apud Moderatorem nostrum venales depositae sunt aliquot *numismatum collectiones*, eorum scilicet quae, gesta Romanorum Pontificum referentia, quotannis in festo Apostolorum Petri et Pauli cudi solent.

Huiusmodi sunt numismata aenea omnia de Leone XIII et Pio X; argentea numismata pariter omnia de Pio X, et ab anno XIII ad XXVI inclusive de pontificatu Leonis XIII.

Sunt insuper de Pio IX, Leone XIII et Pio X plura alia, ad unum vel ad alium eorum Pontificatus annum spectantia.

Occasio praebetur nedum rara, unica si quis aliquod vel omnia emere cupiat.

AENIGMATA

I.

Assolet *anterior* semper deposcere causas;
Utilis atque *alter*, vel lutulentus, erit.
Si caput inde mihi, lector, tu demere velles,
Exoritur facies horrida quadrupedis.
Denique si dira et segni cruciare podagra.
Nequidquam tentes; non tibi *totus* erit.

II.

Graeci me clipeum; colubrum dixere Latini.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Doctorem IOSEPHUM FORNARI, Commentarii moderatorem *(Roma, via del Governo Vecchio, 96)* miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet opus, cui titulus:

Hermann Krusekopf
QUAESTIONES SOPHOCLEAE.

Aenigmata an. XIV, n. IV proposita his respondent:

1) **Malum**; 2) **Fucus**

Ea rite soluta miserunt:

I. M. Meunier, *Corbiniaco.* — A. Renevey, *Estavayer-le-Lac.* — Ioan. Biava. *Bergomo.* — Petrus Tergestinus. — Alb. Kain, *Dublino.* — Alb. Perraud, *Lutetia Parisiorum.* — R. Richi, *Traianopoli.* — F. Ortiz, *Motelia.* — Alb. Catteau, *Lugduno.* — A. Bouniu, *Aureliano.* — Hern. Forgeot, *Nicaea ad Varum.* — F. Guerra, *Aletio.* — F. Aruori; St. Pini, *Mediolano.* — Ad. Kozlowski, *Petricovia.* — Iac. Menendez, *Madrito.* — F. X. M., *Drepano.* — Fr. Xav. Ghion, *Ostunio.* — Paulinus a S. Iosepho, *Barcinone.* — Rich. Müller, *Berolino.* — Eug. Ricci, *Florentia.* — St, Lowinski, *Zerkòw.* — F. Correa, *Emerita.* — I. Martins, *Philadelphia.* — F. Ciolli, *Papia.* — Rich. Brondel, *Brugis.* — F. Wawer, *Marianopoli,* — Georg. Archambeault, *Quebeco.* — P. Prado, *Venetiis.* — Lud. Dubois, *Massilia.* — Frid. Horwath, *Vindobona.* — Lud. Goux, *Bituricis.* — Vinc. Starace; Alex. Pintauro, *Neapoli.* — Barth. Ferraris, *Augusta Taurinorum.* — Iac. Costa, *Dumio.* — Eug. Dolmar. *Neo-Eboraco.*

Sortitus est praemium:

PETRUS PRADO,

ad quem missum est opus, cui titulus:

IOANNIS STROPPA
INSCRIPTIONES.

Sponsor: Ioannes Baptista Ciampi, iurisperitus

Romae — Ex officina *Societatis Editricis Romanae.*

EUPLIUS (8

Actio dramatica a I. B. Francesia versibus senariis exarata.

MAXIMUS.

Eiusque subitum a nobis aufugium,
Rumorque libros tradidisse publice,
Pavorem mittet in Christianos. Satanas
Haud posset ipse melius hos perdere.
Quae trepidatio fiat! Quae confusio!
Duos viros sume, vel tres, vel amplius,
Quos necessarios credis facinori!
Ferat hic litteras, Volusium terreat
Ille, ne disturbet nostras insidias.
Erit si molestus; venenum, gladius
Potest nos liberos perfecte reddere.

CALVISIANUS.

Eamus hinc intro, ne cui suspicio
Sit nostrum! Recte nosti, quantum reprobos
Vulgi nos aestimat turpis opinio!
Sed admodum falso! (*ironice*).

MAXIMUS.

Sic te Dii sospitent!
Ipsi nos caelestes servent incolumes (*ironice dicentes, introeuntes*).

SCENA III.

CYRUS, *qui exit ex insidiis.*

CYRUS

Ad tempus cepi, perfidi, vos denique!
Sint actae gratiae Deo quam maximae,
Viros qui perdet perditos hos merito!
Quot verba infarciunt! quotque fallacias!
Et ille vultu, lepidis qui moribus,
Praefectus Urbis, et mendacii puteus.
Curnam Volusium punire quaeritant?
Et Euplium nostrum virtute praeditum?
Eorum virtus generat fastidium,
Ut fumus saepius lacrimas elicit.
At vos, qui vultis Euplium perdere,
Volusium mille perfidis artibus,
Perdam velocior, vel tantillus puer!
Quid ergo primum? Prius sine cogitem! (*pausat secum ipse cogitans*).
Ita, recte, probe! Rem patri aperiam,
Eius requiram validum consilium,
Et mox cuniculis vertam cuniculos (*exit*).

SCENA IV.

OCRIS

Mox rem commisit perquam difficilem
Ille molossicus, virgarum flagitium,
Vocant quem Maximum, vocarem minimum!
« Dabis bina, dixit, Euplio vulnera, (*imitatur vocem Maximi*).
« Docet qui doctrinam, mendacem, perfidam,
« Et voluntati Caesaris contrariam.
« Fac prorsus vulnus siet ut mortiferum;
« Eumque multis percussum volneribus
« Compones conditum citius in foveam!
« Tibique praemium dabo propositum.
Mihi quid autem mali fecit Euplius?
Si vafer est ille, ego sum vaferrimus.
In foveam cades, perverse, tu, prius.
Egonam dicor Ocris, *praeceps praecipitium,*
Fui si ipsemet mortis causa sociis.
Viribus polleo, nervis et artubus.....
At nunc cur Euplium mactare debeo?
Quis est? Mihi quid egit? Mihin'? Nil, puto!
Eis? Quis scit? Illatas ipsis iniurias
Meo cur infe to gladio vindicem?
Multis sic usque, servitutem servio,
Et praeter propter aegram sic vitam traham...
Misellus invideo vitam cellarii.
Magis *cellarius* quam *macellarius!*
Viderem potius vinum quam sanguinem.....
Placet quidem bonum, magis si esset optimum,
Quod heri plurimis in cellis conditur.
Nulloque perperam dilutum flumine.
Scelus, falernum iugulare, maximum.
Hoc namque inuri vitio profiteor.
Quid hic moror? Miser! non audet nunc Ocris
Novum sua crimen manu committere!
Ad haec, si tandem liberer periculo,
Daturum, Bache! promitto sacrificium.
Quod? Libabo binas vel ternas testulas,
Quas, adiuvante te, furabor herulo.
At ostium crepuit... Hinc recto fugiam! *(exit)*

SCENA V.

FELIX deinde OCRIS rursus (1).

Audisse videor loquentem ante ostium,
Vix exeo, disparuit! Quis sit? Nescio.
At, at, fugientem cerno virum longius...
Sistit, me spernit manibus, currit iterum...
Vade, vade! in... Non dicam crucem amplius;
Crux ipsa venit salus nempe saeculo!
Iuvabit illum vocare nunc denuo.
Stat, respicit, videt... Vocabo gestibus...
Veni, tibi dabo.... (2) Novi nunc hominem,
Solet qui vino semper ingurgitarier.
Meus iecit puer timorem maximum,
Duos audisse colloqui cum diceret
Hic ante ostium minantes in Euplium.
Quis autem scit an ipse cuncta resciat! (3)
Tun'es? Quo vadis, magna virgarum seges?

OCRIS.

Malis ita verbis sic me tu suscipis?

FELIX.

Nec amplius. Paucis te velim. Quid geris?

OCRIS.

Cur ista interrogas? Scis quid concredidit
Nuper ille furcifer pessimus Maximus?

(Ad proximum numerum).

(1) *Ingreditur secum ipse loquens et huc et illuc circumspicit.*
(2) *Signo vinum miscere exprimit.*
(3) *Ingreditur Ocris.*

Ann. XIV. Romae, Mense Augusto MCMXI Num. VIII.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Rerum index:

DE SUBSIDIIS QUIBUS EGET RES LATINA

COMMENTATIONES [1]

IV.

Amatorem linguae latinae neminem esse credo quin interdum se roget quid caussae sit quod in hodierna nostra copia commentariorum crebris et statutis temporibus prodeuntium, quum quaelibet alia ars, quaelibet negotiatio, quodlibet studium consiliumve non modo libris suis maioris minorisve formae aliquando publicationibus doceat, verum singulis hebdomadibus aut saepius de rebus communibus ad socios alloquatur, latinitas, quae olim per priora saecula artis impressoriae paene omnia prela typothetasque occupavit, rarissime a librorum editione et paucarum praeterea rerum pro re nata typis mandatarum sollemni promulgatione ad ordinariam atque hebdomadariam actorum suorum annuntiationem transierit. Certo autem certius est neque incuriae doctorum, neque inertiae, hanc rem merito imputari; immo vero fieri omnino potest ut causae eius comprobare debeamus, etiamsi aliae iam rationes suadeant ut consuetudinem tamdiu inveteratam mutare velimus. Etenim in eo itinere quo ad meliora contendimus non ideo damnare priora viarum putamur, si novas semitas novis rebus postulari arbitramur. Primum ergo omnium statuere placet ubinam consistat hoc genus scriptionis quod hodiernae latinitati deesse affirmamus, deinde cur vel absit vel defecerit, tum quibus rebus adducti id nunc instaurandum esse censeamus.

Multa sunt genera scriptorum e prelis hodiernis provenientium eaque variis modis inter se vel communia vel diversa; cuncta tamen satis facile in duas classes dividuntur prout ad longius aut ad brevius mansura tempus conscripta sunt; alia enim vel ob pulchritudinem qua elucent vel ob doctrinam quam tradunt ad perpetuam memoriam typis exscripta esse videntur: alia vero leviori manu exarantur et quasi praetereuntium oculis destinantur, quae inter coenandum aut gestandum in manus sumuntur et semel perlecta abiciuntur. Illud genus scribendi librorum formam habere dicas, hoc ephemeridum.

Ephemerides enim nostri saeculi, praesertim eae quae cottidie eduntur, quamvis nec acumine quo conscribuntur, nec auctoritate qua pollent, nec denique gravitate rerum quas annuntiant illis scriptis cedant quae in bibliothecas doctorum petuntur perpetuo servanda atque creberrime adeunda, tamen librorum statum dignitatemque nequaquam assequuntur, sed paucorum dierum spatio singulas editiones suas terminari patiuntur. Ingens est numerus exemplorum si quod *journal* vel *Zeitschrift*, vel quocumque placet uti nomine commemorare velimus. Occurrit animo ille *Tribunus Chicaginiensis*, ephemeris inter paucas clara et insignis atque tam legentium multitudine quam opibus et apparatu suo commentariorum huius urbis (ne dicam totius Americae) facile princeps; nulli libro nostri temporis certiorem praedixerim immortalitatem. Tamen nemo, opinor, asservat editiones cottidianas aut priores quaerit, nova praesente. Cur? Quia quomodo corpora viva perpetuantur ephemerides, corpora autem quam diu vivunt particulas unde constant, ut physiologorum doctrina fert, numquam non commutant, idque mira celeritate ac mobilitate. Vel fluminum modo currunt ephemerides: at flumina ita eadem semper esse dicimus ut ne per momentum quidem temporis aquas eorum stare intellegamus. Si immortalia nobis atque gloriosa sunt sacrae terrae flumina, nihilominus ipsae aquae

(1) Cfr. num. VI.

unde claruerunt dudum diffluxere et soli alvei iidem manent. Haec igitur de generibus.

Quae quum ita sint, liquido apparet quo factum sit ut hoc genere scriptorum, quod supra memoravi, latinae humanitatis cultores carerent. Quicquid elaboraverant in permanente specie collocare cupiebant. Considerate enim quantum et quale opus susceperint ii qui, his quadringentis quinquaginta annis quibus ars typographica inventa est, Musas Latinas coluerunt. Primo ne exstare quidem auctores olim clarissimi videbantur, sed vel in bibliothecarum vetustiorum latebris iacebant inculti, vel in monasteriorum armariis tabescebant. Eruendi erant ex tenebris, clarius describendi, ad pristinam integritatem per codicum collationes, per coniecturas, per quaecumque suppetebant artis criticae subsidia restituendi; deinde explicationibus et scholiis illustrandi.

Sed haec industria pars tantum suscepti consilii fuit. Etenim ex diuturna illa per medium aevum continuata latine loquendi consuetudine (quam ii tenuerant qui nec scientiam nec gustatum verae atque incorruptae linguae habebant) nova genera sermonis in usum vulgo irrepserant, quae nomine infimae latinitatis appellamus: haec omnia subtiliter detegenda et a cogitatione tironum curiose amovenda erant, si a falsis verborum significationibus litterae humanissimae liberandae et in proprium imperium restituendae essent. Ideo omne genus dubia moveri et solvi coepta sunt, lexica particularia et generalia componi, leges et consuetudines grammaticae de integro pervestigari.

Tantae molis erat Romanam condere gentem! Verum enim vero eadem res ad nostra usque tempora, melioribus subsidiis et apparatu perfectiori cum maxime multorum gloria peragitur, quum docti doctis succedant et nullus finis artium philologicarum cernatur ubi aliquando consistant. Quem tandem virum qui in grammatica diu elaboravit aut nihil de suo protulisse aut omnia perscripsisse putes? Cui doctori fidem sine modo habeas? Cuius labores aliena censura indigere infitieris? Scilicet non est metuendum ne nimis cito ad Ultimam Thulen perveniatur!

Attamen ut in re publica aliud est fines imperii proferre, aliud civilia regere, ita in humanitatis latinae studiis, alii summam doctrinam exaugere nituntur, alii haec modestiora at non minus necessaria exsequuntur praeceptorum officia. Illi velut posteritati volumina scribunt, hi in levioribus atque momentaneis exercitationibus versantur; illi bibliothecas academicas monumentis locupletant; hi quaerunt unde classibus cottidianis prosint. Commentariis menstruis vulgari sermone conscriptis utrique abundant: praeceptores autem aliquid plus requirunt, nempe linguae quam tradunt vocem saepius in aurem de rebus instantibus susurrantem, admonentem, hortantem, eandemque consilia sociorum undique referentem.

Quod utinam nostra *Vox Urbis* hoc grato munere fungeretur, adiecta fortasse adnominatione ita ut *Vox Urbis et Orbis* audiret! Mentem certe habet eam quam his libellis toties commendavi. Quae, ut ipsa proloquitur, « usum latini sermonis per orbem universum tuetur ac fovet » et « scripta edit quae populos omnes aliquo modo attingant, a publica re ad bonas artes, a litteris ad historias, a philosophicis ad sociales quaestiones, a nuntiis et significationibus ad simplices et facili stilo expressas descriptiones, ab antiquitatis scientia ad dialogos vitae argumenta maxime communia tractantes, unde colloquia latina inire atque alere detur ». Proinde speremus fore aliquando ut accrescentibus opibus et auspiciis propitiis haec aurea ephemeris votis nostris annuere possit. Poterit autem si lectores satis multos invenerit, etiamsi subnotatio totius anni aut eodem constabit quo nunc aut non multo pluris. Etenim et plures homines venalia longe lateque per talem interpretem commendare volent et pluris officia eius facient. Nonne nos qui nunc temporis *Vocem* in magno honore habemus his conciliis opitulari possumus? En tot universitates et collegia artium humaniorum, tot scholae publicae et privatae, tot sacerdotes et docti viri quibus adhuc inaudita sit *Vox Urbis*. Ego non teneo memoria unde mihi innotuerit *Vox;* nisi fallor autem, in quodam libro memorabatur, quem anno 1904, Carolus André de usu sermonis latini scripsit, Universitatis Lugdunensis tunc alter a bibliothecario, postea bibliothecarius scholae Gallorum Atheniensis. Sed utut fuit, ego ab editore exemplaria *Vocis* statim petivi et nomen promisi si placuissent. Ne multa, accepi, inspexi, probavi, nomen cum pecunia laetus remisi.

Quid si invitabuntur socii ut nomina amatorum linguae latinae sibi notorum ad Editorem mittant? Quid si ultro amicis sua exemplaria monstrabunt? Non deerit praemium officii. Nam et amplior et crebrior prodire poterit ephemeris. optima et universos studiorum humanissimorum cultores sermone gratissimo consociatos *faciet uno ore latinos.* (1).

(Continuabitur).

THEODORUS T. CHAVE.

(1) De humanissimis verbis et opere, quibus labores nostros clarissimus scriptor prosequitur, grates agimus et habemus. O utinam eius vota tandem aliquando secundentur! Quod ad nos attinet, omnes sciunt nos de re et fuisse et esse ad omnia pro viribus periclitanda paratos. *V. U.*

Illud te admoneo, ne eorum more, qui non proficere, sed conspici cupiunt, facias aliqua, quae in habitu tuo, aut genere vitae notabilia sint.

SENEC., *Epist.* XIII.

DE PUGNA
inter veritatem et errorem in rebus theologicis
EPISTOLA

ARGUMENTUM.

Historiam errorum, quos verae Fidei adversarii protulere superioribus saeculis scriptor mente revolvens, omnia ita clara et aperta cognovit, ut plenam de cunctis hauserit notitiam. Contra ad illa veniens quae a novae Theologiae sectatoribus modo circumferuntur, tanta doctrinae fallacia, tanta sermonis obscuritate ita involuta ei visa sunt, ut saepe sensum detegere, iudiciumque efformare nullo modo potuerit. Quum vero non ignoret complures acumine ingenii et varietate doctrinae praestantes non solum ea sequi, sed strenue tueri, incertus in multis, animique anxietatibus exagitatus amicum rei Theologicae valde peritum ad se in villam invitat ut cum eo colloquatur, eiusque opinionem in multis exploret. Interea quae iam suo marte cognoverat exponit et, arrepta occasione, Pappi cuiusdam lepidissimi hominis nec omnino illitterati, sententias et facetias enarrat.

I.

Martini cum sacra dies induxerit ortum
Te rure expecto: mentem mihi plurima turbant
Atque agitant animum, scriptis quae tangere possum
Vix leviter: coram fari tunc plura licebit.
De rebus Fidei quantum sententia discors
Sciungat mentes, facies quot sumpserit error,
Et quales hinc inde vices notissima res est.
Non secus ac dubios calles et caeca viarum
Anceps qui sequitur nocturna obscurus in umbra,
Ut primum caelo illuxit, male tuta relinquit
Doctus iter melius, sic qui delusus oberrat,
Ut verum novit, falso se protinus aufert
Quo misere iacuit, mentemque ad cognita vertit.
Sic erat in primis saeclis, cum luce serena
Fulgebat divina Fides, quae nubila quamvis
Interdum, haud tamen ut, prorsus viduata nitore,
Cogeret errantes longo torpere veterno.
Omine at adverso mendax irrupit Arius,
Qui Christum non esse Deum male perditus aiens,
Effudit semen messem quod protulit atro
Infectam viro, timuitque exterritus orbis
Ne genus humanum lethales manderet escas.
Non secus ac posito torquentur spicula signo,
Sic Christus signum quo convenere sagittae.
Naturam binam, personas sed quoque binas
Nestorius voluit, renuitque in Virgine veram
Nosse Dei matrem. Sed contra huic obstitit alter,
Personas habuisse duas qui ut iure negaret,
Unam naturam dixit. Male sanus uterque,
Et pariter mendax. Strictis Macedonius armis
Ausus sacrilege trinum dissolvere Numen.
Quae Leo, Pelagius, Felix, quae turba minorum?
Quot nova molitus multis post Photius annis,
Cum grave discidium fovit, populumque rebellem
Artibus infandis Romana ab sede removit?
Sed velut a viridi si caedas arbore ramos,
Viva manet radix, quae rursus germina trunco
Vere novo emittens, alios fert tempore fructus,
Aevo sic illo minus infelicius ac nunc
Multa negabantur; sed adhuc foecunda vigebat,
Etsi laesa Fides, veri tutela et honesti
Certus erat vindex summaque in sede tribunal,
Quod posset recte quascumque abscindere lites,
Errantemque gregem revocare ad pabula tuta.
Coeperat interea glomerari nubibus aether,
Et procul audiri sonitus fremitusque procellae
Quae tandem irrupit maiorum causa malorum.
Quem non Luterus subtili falleret arte?
Doctrinam Christi edocuit, prout caelitus haustam
Asseruit, puroque suos ceu fonte, repulsis
Paucis, e sacris libris educere normam
Vivendi iussit; viridi sed tetricus herba
Reptabat coluber; viva nam tradita voce
Spernens, librorum sincerum promere sensum
Se penes arbitrium posuit. Sic unica norma
Quisque sibi in rebus Fidei, lex una cerebrum
Cuiusque, errori accessus aditusque reclusi.
Unde hic qui fuerat privati iuris et exlex,
Visus inexpertis certam sumpsisse figuram,
Allexit mentes gratae novitatis amore.
Tunc velut incubuit morbus cum lethifer urbi,
Se rapide extendit, languent iuvenesque senesque,
Plurima et hac illac sternuntur corpora tabo;
Non messes, non arva iuvant, non florea rura,
Non avium cantus, non dulcia murmura rivi,
Non quotquot natura tulit solatia luctus;
Undique singultus, gemitus, et mortis imago;
Omnia pervadens sic late efferbuit error.
Lutero insurgens magno Germania motu
Plausit, Luterum sectata est Dania, sese
Sub duce Calvino, per celsos integra montes
Helvetia his iunxit, tellus atque Anglica postquam
Sordidus Henricus vetita ob divortia, vindex
Iampridem Fidei, sed tunc infestior hostis
Decepit populum regis figmenta secutum.
Tunc visae insonti suffusae sanguine glebae,
Gestiit et parto turpis regina triumpho.
Innumerae errabant divulsae ex ubere gentes,
Et lacrimis mater natos quaerebat ademptos.
Causa mali interea, proiecto impune cucullo,
Implebat loculos iucunda uxore beatus:
Coeperat ambitio, dederat lascivia finem.
Zuinglius hoc idem, doctrina insignis et alter,
Quem gravibus verbis nugando irrisit Erasmus.

Hic certe ille tuus lepide inter seria Pappus
Immiscens nugas, lacto dans ora cachinno:
« Ardebant miseri, quaerebant ossa levamen !
» O Dulcine, tuis qui sacra repagula frangis,
« Ut per te cunctis eadem medicina paretur,
« Nonne foret satius causam praecidere morbi,
« Ferroque.., at praestat linguam cohibere procacem ».
Devius a vero tamen est sibi consonus error,
Unde opus aggreditur vanum qui, tramite recto
Deflectens, medio tentat consistere lapsu,
Atque horret deducta sequi. Res digna theatro
Tunc visa. Insurgens verbis nam Flaccus acerbis,
Libertas si huc usque datur. cur non datur ultra?
Clamavit: certam tibi si praescribere normam
Fas fuit, abiecta veteri, cur non ego possim
Sancire hanc aliam? Sed contra Herennius illi:
Si ratio sua iura petit, cur terminus haeret?
Vincat libertas, ratioque humana triumphans
Se expediat vinclis, quae a caelo exordia ducunt,
Per varios sic usque gradus contingitur imum:
Aut ratio, aut divina Fides; nihil inter utramque.
Ingenium mite Ausonidum, radicitus alte
In populo defixa Fides posuere moras ne
Quod fuerat magnae Germanis causa ruinae,
Hoc foret atque Italis, alibique veniret ad aures
Quidquid erat gestum, ut longe quae personat echo
Non tamen ut plane abfuerint mala semina morbi.
Namque ubi se Ausonia erexit, somnumque removit,
Artes ingenuae excultae, Parnassia rupes
Carminibus modulata novis, Sophiaeque magistra,
Ut quondam fuerat, toto praefulsit in orbe,
Inflavit plures ventosa superbia mentes,
Quae in Fidei damnum naturae iura ferebant
Fas ultra ad caelum. Tectum velut indicat ignem
Erumpens flamma, haud aliter figmenta per oras
Serpere tunc nostras, furtimque effervere visum,
Scilicet oppressa, at seri praenuntia damni.

II.

Verum inter Fidei osores eiusque sequaces
Qui mediam tenuere viam « Proh Iupiter alme ! »
Hic me interpellant acris dicteria Pappi,
Qui haud modicus semper, rebus sed forte novarum,
Intactae Fidei studio, teterrimus hostis,
Quique novos homines nigro detruderet orco:
« Rebus in adversis medium! Fugitne cerebrum?
« Scilicet et socii coeant calor ignis et unda!
» Quod nemini auditum. Caveat qui talia tentat
« Eveniat ne forte sibi quod contigit illi,
« Qui temere iactans cunctas absolvere lites,
« Dum medium inquirit, sperans ab utrisque probari
« Displicuit cunctis, abiitque irrisus». At audi:
Quae modo doctrinae vigeant, queis fontibus ortae
In diversa trahant mentes, ex ordine dicam.
Stagirae sophiam veteres tenuere magistri,
Queis bene per sensus, uti sunt, res mente videntur,
Harumque interius verax exsurgit imago,
Illico naturae firmis mens viribus acta,
Comparat, adiungit, minuit, sensuque remota
Iudicia efformans, sensim sese explicat omnem,
Verumque assequitur quacumque ex parte renidet:
Res magna in semet, viva omnipotentis imago.
Cum vero in terris nil sit sibi causa, suique
Effectus, patet hinc hominem non vivere quemquam,
Non volucrem caeli tenues se ferre per auras,
Non florem campis usquam succrescere, Numen
E quibus attingi haud possit ratione sagaci.
Putida! conclamant, merces non unius assis
Inque aevum a cunctis vix amandanda vetustum!
Si verum quacumque patet cognoscere quaeris,
Theutonicos sectare sophos, quorum haec elementa:
Nil in se noscunt, species tantummodo rerum
Sensibus accipiunt, quae rebus inesse videntur
Cum re non exstent nisi nostra in mente. Proinde
Non potis est aliquis sensu cognoscere quidquam,
Et minus ad primam sermone assurgere causam.
Est igitur Numen res nostrae impervia menti,
Quod quantum a vera noscis ratione recedat.
Nam cum sint species simplex illusio, qua quis
Rebus inesse putat mentis quod origine manat,
Ut nihilum valeat nuda experientia sensus,
Res non sunt quia sunt, sed sunt namque esse videntur.
At canimus surdis, caecosque adducimus; haerent
In placitis hi namque suis: falsisque elementis
Quisque videt quae monstra ferant dehinc intima rerum.
Quid sit Religio, quonamque a fonte oriatur,
Explorare opus est, eiusque agnoscere causam.
Reiectis his unde Deus ratione probatur,
Quaeque olim nostri Fidei argumenta vocabant,
Religio intra hominis septum quaerenda nec ultra,
Namque illic reperire datur velut insita in ipsa
Natura, ceu forma manens atque intima vitae.
Cuius at a cordis sensu quia germina surgunt,
Fertur homo ad Numen quoties hoc sentit egere.
Haec autem assidue quia non sentitur egestas,
Sed certis vitae adiunctis, inconscius eius
Est animus, subterque latet non cognita menti.
Et cum̄ Religio nequeat sine Numine fingi,
Derivetque Fide, qua sese extollit, oportet
Hanc quoque manare a sensu quem gignit egestas,
Qui primum informis, sensim se perficit, illum ut
Principium arcanum fovet unde exordia duxit,
Vitaque paullatim sese magis explicat ipsam.
Quomodo at ignotum Numen se mentibus offert?
Haudquaquam nudum, re aliqua sed semper inhaerens,
Quae licet historiae et sophiae sit clausa palaestris,
Attamen illarum duplici praecluditur orbe,
Quorum alter constat spectabilis ordine mundi,
Alterius fons est animus sibi conscius. Horum ut
Quaeque suos tetigit fines, non amplius ultra
Incedit, Numenque haud notum protinus illi
Sese offert ultro, quacumque ab origine manet.

Divini studium, quamvis non conscia sit mens,
Tunc agitat pectus iam pronum ad Religionem,
Ac sensum sub corde ciet, cui Numinis haeret
Notio, et inde Fides primordia Religionis.
Haec rem pervadens, cui ignotum Numen adhaeret,
Occupat atque illinc aevique locique remotis
Adiunctis, prorsus removet deletque figuram
Qua vignit, vitamque suam communicat illi.

(Ad proximum numerum).

P. RECANATESI.

DISPUTATIONES PHILOSOPHICAE
MODERNISTAM INTER ET THOMISTAM

De iudicio practico penitius inquiritur; seu de iudicio consilii et de iudicio executionis (1).

MODERNISTA. — Quae explanationes sane non modicam lucem et claritatem undique spargunt. Etsi autem consequentias mihi videre videar, et difficultates inde evanescere, a te tamen explicitiores solutiones quaerere liceat.

Quarum difficultatum prima ista est, quod ex una quidem parte voluntas velle nihil potest, nisi materialiter per iudicium rationis practicum determinetur: imo ex altera voluntas, te iudice, discordare nequit a iudicio rationis practico. Unde corruere omnino videtur libertas, siquidem voluntas sic determinata non potest neque velle aut non velle, neque velle unum et velle oppositum; quum tamen apud omnes libertas passim audiat et definiatur facultas, quae omnibus requisitis ad velle munita, apta est ad velle et non velle, ad velle istud aut aliud.

THOMISTA. — Data et non simpliciter concessa illa libertatis definitione, seu rectius descriptione, respondeo negando suppositum, nempe quod voluntas per iudicium practicum determinata sensu praedicto, non possit oppositum velle: non quidem ita ut sub uno eodemque iudicio practico contraria velle absolute possit, sed ita ut iudicium illud dimittere possit, aliudque efformare valeat, indeque opposita divisim velle, et quidem, dum unum vult, se aliud posse velle homo agens sciat et sentiat, etsi de facto aliud non velit.

M. — Sed tamen primum iudicium, prout antecedens omnem electionem liberam, non est liberum, sed naturale: neque proinde liberum esse potest quidquid ab eodem procedit tamquam a principio: eo magis quod, licet voluntas sit libertatis subiectum, ratio ipsa est eiusdem causa, ut volunt Thomistae.

T. — Iudicium quidem primum et electio quoad bonum universale libertate revera destituuntur; secus autem iudicium et electio quoad bonum particulare. Istud quidem in illo continetur, non tamen adaequat: atque inde fit ut bonum particulare alliciat, quia est quasi pars boni universalis, quod in bona particularia distribuitur: sed tamen non determinat absque usu libertatis. Homo, inquam, bonum in communi non dominatur, sed eidem subiicitur atque adhaeret sine libertate; bona autem particularia dominatur, atque ius inter unum et alterum eligendi ex natura propria servat, et cum libertate utitur. Iudicia igitur particularia, licet vim sortiantur a iudicio primo et quidem non libero, sunt tamen libera, propter obiectum particulare, ad quod homo intendere potest. Neque ulli difficultatem ingerat quod liber esse possit actus procedens ab actu necessario, sicut quod procedat creatura contingens a Creatore qui est necessarius. Ita Angelicus: « Quamvis ex naturali inclinatione voluntas habeat ut in beatitudinem feratur, secundum communem rationem, tamen quod feratur in beatitudinem talem vel talem, hoc non est ex inclinatione naturae, sed per discretionem rationis, quae adinvenit in hoc vel illo summum bonum hominis; et ideo quandocumque aliquis beatitudinem appetit actualiter, coniungitur ibi appetitus naturalis et appetitus rationalis. Quandoque est ibi rectitudo, quando scilicet appetitur ibi beatitudo ubi vere est; quandoque autem perversitas, quando appetitur ubi vere non est: et sic in appetitu beatitudinis potest aliquis vel mereri adiuncta gratia, vel demereri ». (1) Unde nullus datur actus liber qui simul non sit naturalis.

M. — Sed saltem ubi urget praeceptum aliquid faciendi propter finem illum, tunc omne iudicium verum debet proponere obiectum determinate ut unicum medium necessarium et adhibendum: unde voluntas ex eo procedens, non potest aliud libere eligere, quia medium illud non proponitur cum indifferentia ad libertatem requisita.

T. — Potest tamen finem illum negligere et dimittere, et alium sibi proponere, aliaque proinde media. Ita homo, postquam per plures annos intenderit ad finem suum ultimum, perverti potest, in oblivionem mittendo finem ultimum, reponendo finem in voluptatibus mundanis, inhiando divitiis, concupiscentiis et aliis huiusmodi. Ratio est quia perceptio ultimi finis non est eiusdem ipsa possessio, neque omnem capacitatem felicitatis in terris implet.

M. — Nonne tamen sibi contradicunt Thomistae ubi mox contendunt iudicium proponere obiectum cum indifferentia, mox vero voluntatem non determinari nisi iudicio determinato ad unum prae ceteris eligendum?

T. — Contradictio mihi nuspiam apparet, si omnia

(1) Cfr. num. sup., ubi in pag. 101 col. 1, lin. 45 et 50 legendum est: « stat » pro « sedet ».

(1) *Sent. IV*, dist. 49, q. 1, n. 3, quaestiunc. 3.

recte percipiantur. Iudicium quidem practicum determinatum est ad unum prae ceteris eligendum: attamen est contingenter determinatum, atque conscientiam comitatur quae dictat huiusmodi iudicium esse de bono aliquo particulari, proinde immutari posse, tum ex parte intellectus, qui res sub alio respectu considerare, primumque iudicium interrumpere potest, tum ex parte voluntatis, quae ad alia proinde sese convertendi facultatem retinet.

M. — Nonne vero certum est hominem non ita esse rerum dominum ut in potestate eius sit quid voluerit proponere intellectui proprio? Ubi autem intellectus sufficienter ab obiectis tangatur, inde statim in actum proprium exit. Si autem voluntas non potest velle contrarium eius quod dictat intellectus, inde sequitur hominem esse determinatum a rebus, proindeque libertate destitui.

T. — Sed tamen falsum est non posse componi malam electionem in agendis cum illa cognitione speculativa, ut supra diximus: negamus enim id solum, nempe componi posse cum iudicio practico electionem contrariam, manente illo iudicio, sed contendimus haberi posse divisim, interrupto scilicet praedicto iudicio.

M. — Quid igitur respondes iis qui de doctrina thomistica colligunt nullum posse ex malitia aut contemptu peccare, si concedatur voluntatem semper id appetere quod appetendum demonstrat intellectus aut ratio?

T. — Respondeo, illos parum se doctrinae thomisticae gnaros ostendere. Illi quippe qui peccant ex malitia aut contemptu, scientia speculativa sciunt se male agere, cum qua tamen scientia speculativa componere sane possunt iudicium practicum oppositum et electionem pessimam, nempe legem sic cognitam infringendi.

M. — Nihil ergo remanet quod amplius explicari cupiam. Gratias igitur accipe quam maximas pro omnibus expositis et explanatis.

T. — Concludam igitur argumentum hisce verbis brevioribus, scilicet: Potentia liberi arbitrii ad opposita, quamvis sit potentia compositionis et simultatis, respectu ad omnia illa ad «velle» requisita quae antecedunt usum libertatis, attamen respectu eorum quae requiruntur ut voluntas determinate velit unum prae alio, et quae non antecedunt usum libertatis, non est potentia simultatis, seu compositionis, sed simultas potentiae et sensus divisi, ideoque salva libertate, iudicium practicum, ultimum, absolutum et determinatum, determinat voluntatem ad specificationem actus, ita ut ex iudicio durante et non reiecto, ubi voluntas in actum exit, velit infallibiliter, non tamen necessario, illud quod praedicto iudicio approbatum est.

I. I. B.

Stili lapidarii elementa[1]

Sit itaque inscriptio sacelli privati:

SACRVM
CAELESTI . REGINAE . MARIAE . OPIFERAE
ET . STEPHANO . ARCHIMARTYRI
AC . LAVRENTIO . MARTYRI
CUSTODIBUS . DOMUS

Exemplum inscriptionis sacelli publici:

VIRGINI . MAGNAE
MARIAE . PERDOLENTI
SACRVM
IOANNES . PATRITIVS
DE . MUNERE . EIVS . SOSPES
DEDICAVIT
QUOD
ANNO . MDCCCIII
NONIS . APRILIBUS
VIM . IGNIS . INNOCUAM . EXPERTVS
CONTRA . AETERNI . IGNIS . INCENDIA
SIBI . PROPITIAM . POLLICETUR

Inscriptio sacelli cuiusdam in Ecclesia Ferrariensi existentis:

HONORI
NICOLAI . SANCTI
PRAESTITIS . SOSPITATORIS
IGNATIVS . FANANVS . ARCHIT.
PRAEP . SODALIVM . EIVS
QUOD
ANNO . MDCCLXXXV
XII . KAL . IVN.
DE . SVMMO . AEDIS . PEGMATE
LAPSVS . IN PRAECEPS
OPE . IMPLORATA
EXTREMVM . DISCRIMEN . PEDE . ALTERO . SVSPENSVS
EVASERIT
VOTVM . MERITO . SOLVIT

II. De inscriptionibus honorariis.

Exempla dictionis simplicis:

C . IVLIO . C . F . CAESARI
IMP . TRIVMVIRO . R . P . C.
PATRONO
D . D.

R. P. C. — rei publicae constituendae — *D. D.* decreto Decurionum.

Patronus, cui respondet Cliens, est qui alterum tuetur, ac defendit. Patroni deinde dicti sunt, qui provinciarum, et nationum Romae subditarum res et negotia Romae defendebant. Hinc mos de quo Cicero *(De offic.* lib. I, cap. II) ut qui civitates, vel nationes devictas

(1) Cfr. num. sup.

bello in fidem recepissent, earum patroni essent more maiorum. Quoniam vero patronorum officia fuerunt ut clientes tuerentur, his incognita iura traderent, causamque eorum defenderent, hinc Patronus idem ac Orator qui causam dicit (1); translate vero pro quolibet defensore. Est etiam patronus relativus liberti.

SENATVS . POPVLVS . QVE . ROMANVS
IMP . CAESARI . DIVI . F . COS . QVINCT.
COS . DESIGN . SEX . IMP . SEPT.
REPVBLICA . CONSERVATA

Statua, quae hunc titulum habet, post Actiacum bellum et captam Alexandriam C. Caesari Octaviano posita est.

NERONI . CLAVDIO . DRVSO . GER . COS . DESIG.
EQVESTER . ORDO . PRINCIPI . IVVENT.

Princeps iuventutis sub libera civitate fuit iuvenis inter aequales excellens et nondum honores adeptus. Sub Imperatoribus haesit hoc nomen eorum filiis. Hic iuventutis nomine equestrem ordinem intelligi oportere Norisius auctor est.

Addo exemplum dictionis ornatae:

SENATVS . POPVLVSQVE . ROMANVS
IMP . CAES . DIVI . NERVAE . F . NERVAE
TRAIANO . AVG . GERM . DACICO . PONTIF.
MAXIMO . TRIB . POT . XVII . IMP . VI . COS . VI . P.P.
AD . DECLARANDVM . QVANTAE . ALTITVDINIS
MONS . ET . LOCVS . TANTIS . OPERIBVS . SIT . EGESTVS

Ita inscriptum est in basi columnae Traiani, quam Dio, et Xiphilinus ab ipso Imperatore, inscriptio vero ipsa ab Senatu, et Pop. Rom. collocatam docet. Illa *tanta opera* forum ipsum erat cum porticibus, templum, triumphalis arcus, bibliotheca, basilica, quibus Traiani operibus quantum areae opus erat tantum egesta terra, et complanata Quirinalis montis parte factum est. Aliud exemplum in arcu Septimii Severi.

Sint denique exempla dictionis singularis:

IMPERATORI . CAESARI . DIVI
TRAIANI . PARTHICI . FILIO
DIVI . NERVAE . NEPOTI
TRAIANO . HADRIANO
AVG . PONT . MAXIMO
TRIB . POT . XVII . COS . III . P . P.
COLONIA . HOSTIA
CONSERVATA . ET . AVCTA
OMNI . INDVLGENTIA . ET
LIBERALITATE . EIVS

Hostiam in ore Tiberis ab Anco conditam, salinasque circa factas tradit Plinius. Quid ea Colonia Hadriano debuerit non facile reperies.

FLAVIO . FVRIO . FAVSTO . V . C . TRIBVNO
AB . ORIGINE . PATRONO
OB . MERITA , LABORVM . SVORVM . VNIVERSVS . ORDO
ET . POPVLVS . SVRRENTINORVM
STATVAM . NOBILITATI . EIVS
FACIENDAM . CVRAVIMVS

Tribunus supra numerum, ideo legio non additur, in qua tribunatum gesserit. - *Ab origine* idem quod alibi ab avo, et maioribus, vel ab atavis Patronus.

Quoniam inscriptiones honorariae foeminis positae aliquid peculiare habent, eas separatim addit Morcellius, ad quem lectorem delegamus.

(*Ad proximum numerum*)

(1) Italice *Avvocato.*

SCENA MARITIMA

Omnes pisces maris manui vestrae traditi sunt.
(GEN. IX, 2).

Mite sub aurora findit mare cymbulae carina
Rorantis aurae spiritu propulsa;
Laetior audaci, quam Thessalus argonauta remex
Ad auferendos Colchidos capillos
Trusit in Oceanum, conducitur: e mari ad penates
Opes frementi gestitabit alno.
Navita iam coepit submittere piscibus gravandum,
Magna levis spe, rete: densa carpat
Agmina, queis soboles cum coniuge garrulis patella
Domi fruentur hortuli sub umbra!
Delius interea ortu se extulit aureus, iubarque
Littus petenti e carbaso reflectit.
Cara tori consors sabulo sedet, adiicitque fixos
Nunc filiis, nunc caerulis ocellos;
Dum puer, infestus cancris, cito quos adindit algis,
Pedes tenellos recreat quieti
Undis Neptuni, permollibus exciti susurris,
Udas puella dum venusta arenas
Fluctu se eripiens fodicat, breve fertque gestiendo
Salum parenti in fulgurante concha.
Cymbula fit propior; cophinos vigil aptat uxor; ora
Sinum tumentis anxie pererrant...
Qualiter exiliunt pisces! quot et ecce cymbulam implent!
Salmo, reflexus conger, atque lautus
Emicat hic rhombus!... Plausum edite, gratias agentes
Deo, qui iniquas comprimat procellas,
Delphinasque vagos, ne retia distrahant rapina,
Non ulli in oras pellat hospitales.

Romae.

THOMAS VIGNAS, Sch. P.

EX ITALIS URBIBUS

De Maria Chlotilde e Sabaudica gente, Victorii Emmanuelis II regis filia, vita functa.

In regalibus aedibus apud Montem Calerium, in agro Taurinensi, septimo kal. Iulias anno labente in suorum complexu, quum sanctissimis religionibus rite esset saepius perfuncta, vitam placide finivit Maria Chlotildes e Sabaudica gente, Victorii Emmanuelis II, regis, filia.

Pene puella, amissa matre, sanctissima disciplina exculta, domesticas virtutes ita arripuit, ut in omnium exemplum elucesceret. Percrebrescente eius virtutum fama, vixdum quindecim annos nata, difficillimis excandescentibus temporibus, in foederis pignus atque in spem regni, nupsit Hieronymo principi, qui erat Napoleonis Tertii consobrinus, rerum omnium tunc temporis arbitri atque patroni. Lutetiae Parisiorum, in illa urbe totius Europae capite ac praesidio, christianae virtutis miraculo clarior, antiquae sanctitatis imaginem omnibus admirantibus expressit. Benignitate, suaviloquentia, religione, vel inter multas vitae difficultates ita Eugeniae imperatrici Augustae placuit, ut ob ingenii quoque cultum ei unice esset dilecta.

Exactis a Gallia imperatoribus, postquam miserrime debellatum est ad Sedunum a Gallis, volens et sine vi, e regno illo tot aerumnis cooperto atque in servile pistrinum detruso, ad suos tandem rediit. Tunc ipse pater, ut eius maerorem aliquantisper levaret, Castrum regium ei suisque obtulit, quod domus Augusta apud Montem Calerium amplissimis viridariis exstruxerat, operibusque udo illitis signisque marmoreis, sibi, feriis autumnalibus, animi causa, decoraverat. Ibi, curis publicis vacua, miram in familia regunda providentiam et sedulitatem exhibuit. Benigna, innocens, comis tanta fuit in egenos humanitate, ut se ipsam ultro negligere videretur. Dei amorem et religionis studium cum perpetua in infirmos liberalitate coniunxit. Nullius infortunium a se alienum putavit. Passim per compita uno ore salutabatur: *En domus Regiae sancta,* vel conceptissimis verbis: *Nostra en sancta.*

Amisso viro, quocum vixit coniunctissime, quemque moriturum ad christianos mores perduxit, unicum orbitatis solatium putavit, vel aere exiguo, mortales benefactis demereri, pueros in re angusta impense fovere, ludos iuventuti tutandae atque instituendae aperire, Ecclesiam novis semper muneribus augere. Integrae vero naturae nulla in re nimia esse quam videri bona maluit.

Extremo vitae suae tempore, labante in dies valetudine, diuturnis doloribus adflictata, mirabilis constantiae exemplum omnibus reliquit.

Vixit annos octo ac sexaginta.

Eius funus acerbum fuit patriae, grave bonis omnibus, luctuosum suis tam cari capitis desiderio infelicissimis.

SUBALPINUS.

PAROEMIAE SIVE ADAGIA

Quid distent aera lupinis.

Proverbii faciem habet, quod est apud Horatium:

Non tamen ignorat quid distent aera lupinis.

Id est: novit discrimen rerum vilium et pretiosarum. Agit autem Horatius de iis, qui beneficia non ita conferunt in quosvis, veluti abiiciant, sed ita collocant ut expendant, et eius meritum ac dignitatem, cui praestant, et pretium muneris quod largiuntur. Porro lupini utilitatem proverbialiter notavit et Iuvenalis:

Tunicam mihi malo lupini,
Quam si me toto laudet vicinia pago.

Notat etiam Lucianus in libello *De mercede servientibus*, quum rogat, num usque adeo defuerit lupini et aquae fontanae copia, ut in eam sese coniiceret servitutem.

Procul a pedibus equinis.

Vulgo dicitur quum significant fugiendum esse periculum. Hac voce: « Extra pedes equinos » Graeci monere consueverunt, ut quisque sibi caveret in certaminibus equestribus. Ea deinde proverbii vice usurpata.

Fenestram aperire.

Idem est atque occasionem ac veluti ansam ministrare. Terentius *(Eautontimorumenos):* « Hui quantam fenestram ad nequitiam patefeceris! » Verum hoc non nisi in malam partem, illud etiam in bonam: « Aperire ianuam ». Plinius Suetonio Tranquillo: « Atque adeo illa actio mihi aures hominum, illa ianuam famae patefecit ». Plutarchus in libro de *Osiride:* « Magna impiae plebi repagula aperuerunt ». Eiusdem formae et illud Ciceronis pro Planco: « Quamquam qua nolui ianua in causam ingressus sum ». Item illa: Aperire viam — Praestruere viam — Praecludere viam — Iacere fundamenta, etc.

Mordere frenum.

« Mordere frenum » D. Brutus (lib. *Epistol. Fam.* XI) posuisse videtur pro eo quod est vel leviter repugnare servituti: « Si frenum momorderis, peream, si te omnes, quotquot sunt, conantem loqui ferre poterunt ». Hoc est, si utcumque significaveris te servitutem iniquo animo ferre. Ad hanc sententiam faciunt quae respondet Cicero: « Si timidus - inquit - essem, tamen ista epistola omnem mihi

metum abstersisses; sed ut mones, frenum momordi. Etenim qui te incluso, omnem spem habuerim in te, quid nunc putas?» Quamquam Papirius in *Epithalamio Stellae et Violantillae* in diversum sensum usurpavit, nempe pro eo quod est servitutem accipere, frenumque recipere:

Fama tace, subiit leges et frena momordit.

Id est, admisit vincula matrimonii.

Ceterum proverbium sumptum videtur e fabula Aeschyli, quae inscribitur *Prometheus*, in qua haec loquitur Mercurius, quae latine sonant: «Nihil mitescis precibus inflexus meis; sed frena mordens, velut indomitus pullus ferociens, habenas vincere pugnas».

DE OBITU BEATAE VIRGINIS

Filios, Mater, moritura linques?
Virgo! peccati macula remota,
Laeta tu metam properas amari
Tangere Leti?

Integrae! diras tibi non paravit
Eva letales; neque te coegit
Tarda membrorum macies, Adami
Solvere poenam.

Flamma te toto, fugiente vita,
Corde succendit vehemens amoris.
Aestuas inter tua iam fovere
Brachia natum.

Ocius tergens oculos madentes
Audiet Iesus gemitum doloris;
Spiritum carae Genitricis Ipse
Excipit ulnis.

Ipse te mortis rigidis ab oris
Aureo ducet solio triumphi,
Unde materno miseros sereno
Respice vultu!

Prairie du Chien, Wisconsis, U. S. A.

OWEN L. LEWIS.



B. Mariae Virginis obitus. — Tabula NICOLAI PHILOTHESII (vulgo *Cola della Matrice*) in pinacotheca Capitolina asservata. (Photographice expresserunt Fratres Alinari, Florentiae).

COLLOQUIA LATINA

Petitio lusus (1)

PHILIPPUS. — Memoriter memini, Praeceptor, dixisse te aliquando nobis necessariam esse in rebus vicissitudinem, nec durare posse quod alterna requie careat.

MAGISTER. — Quid tum postea? Quam ob causam tu id mihi nunc subiicis?

PH. — Haud sane inconsulto ac temere tuam usurpavi sententiam.

M. — Ergo cur usurpas? Dic.

PH. — Quoniam res quaedam est, quam me a benignitate tua impetratam auferre volo.

M. — Memora, puer.

PH. — Si moleste non es laturus.

M. — Nisi tu iniustum quid a me petas, indigne non feram, quidquid petiveris. Nam ut iusta ab iniustis petere insipientia est, sic iniusta a iustis impetrari non decet.

(1) Ex IACOBI PONTANI opere, cui titulus *Progymnasmata latinitatis* passim retractavit I. F.

PH. — Ne tibi lubeat sinistrum suspicari. Iusti ab iustis iustus sum orator datus, et advenio omnibus lubentibus, ut quod in rem nostram communem sit, hoc a tua lenitate obtineam.

M. — Eloquere, quid est quod obtinere gestis?

PH. — Paulum est.

M. — Quin tu uno verbo dic, quid est?

PH. — Iam dies effluxere complures, ex quo libris semper affixi fuimus.

M. — Trabalibus clavis opinor. Subolet quorsum eversurus sit. Bene habent tibi principia. Pertexe telam, sed apte, ut ne compellam te retexere.

PH. — Et exercitationibus auditionum, scriptionum, recitationum, concertationum pene exhausti sumus.

M. — Itane vero? Exhausti? O me in discipulos atrocem, o crudelem!

PH. — Nec unquam nobis vel ad momentum respirare, viresque fessas reparare datum est.

M. — Ut res suas exaggerat!... Quodque contritum est vetustate proverbium: «Ex musca elephantum»!

PH. — Quare vehementer etiam atque etiam te rogamus, Praeceptor, pomeridianis horis ad lusum remissionemque animi descendere tuo concessu licitum sit.

M. — Aequissimum postulas. Verum ego his conditionibus potestatem largior. Ut absque tumultu ludatis, neve quis alteri turbas ciere insistat. Ut ante horam quintam ad libellos redeatis. Ut deinceps manibus pedibusque, cum hasta, cum scuto, quod aiunt, ad vestra studia incumbatis.

PH. — Iustae conditiones. Accipimus, ut pro tota schola respondeam.

M. Capesse itaque cursum; condiscipulos affice tam bono nuncio.

PH. — Heus, heus, pueri!...

PUERORUM TURBA. — Num quidnam apportas novi? Frontem exporrexisti; hoc omen placet.

PH. — Oneratum laetitia pectus apporto. Ego vester hodie orator et exorator fui apud Magistrum.

P. T. — In quo?

PH. — In ludendi venia.

P. T. — Voluptatem magnam nuncias. Habemus ergo rem factam.

PH. — Bene, factum est, et volup' est.

P. T. — Dii te bene ament! Ludemus igitur.

PH. — Nisi mavultis inhaerere libris.

P. T. — Valeant libri. Ludamus, socii; euge, ludamus!

PH. — Silete; non permittit gratis ludere.

P. T. — Qua mercede?

PH. — Ut absque inconditis clamoribus, absque strepitu, crepitu, fremitu.

P. T. — Fiet.

PH. — Ut ante horam quintam nos ad libros recipiamus.

P. T. — Fiet.

PH. — Ut deinceps nervis omnibus discamus. Et hic melius est respondere «fiat», quam «fiet»; optare quam promittere.

ACTA PONTIFICIA

SSmi. D. N. Pii PP. X Motu proprio de diebus festis.

Supremi Disciplinae Ecclesiasticae custodes et Moderatores Pontifices Romani, si quando christiani populi bonum id Ipsis suaderet, sacrorum Canonum sanctiones relaxare benigne consueverunt. Nos quidem Ipsi, quemadmodum iam alia, ob mutatas temporum et civilis societatis conditiones, immutanda existimavimus, ita etiam in praesens ecclesiasticam legem de festis diebus ex praecepto servandis, ob peculiaria aetatis adiuncta, opportune temperandam censemus. Lata enim terrarum marisque spatia, mira nunc celeritate homines percurrunt, facilioremque per expeditiora itinera aditum ad eas nationes nanciscuntur, quibus minor est festivitatum de praecepto numerus. Aucta etiam commercia, et citatae negotiorum tractationes videntur ex interposita frequentium festorum dierum mora aliquid pati. Succrescens denique in dies rerum ad vitam necessariarum pretium stimulos addit, ne saepius servilia opera ab illis intermittantur quibus est victus labore comparandus.

His de causis iteratae preces, praesertim postremis hisce temporibus, Sanctae Sedi adhibitae sunt ut festivitatum de praecepto numerus minueretur.

Haec omnia Nobis animo repetentibus, qui unam christiani populi salutem cordi habemus, opportunum maxime consilium visum est festos dies ex Ecclesiae mandato servandos imminuere.

Itaque, Motu Proprio et matura deliberatione Nostra, adhibitoque consilio Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium qui ad Ecclesiae leges in Codicem redigendas incumbunt, haec quae sequuntur de festis diebus edicimus observanda:

I. Ecclesiastico praecepto audiendi Sacri et abstinendi ab operibus servilibus hi tantum, qui sequuntur, dies subiecti manebunt: Omnes et singuli dies dominici, festa Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniae et Ascensionis Domini Nostri Iesu Christi, Immaculatae Conceptionis et Assumptionis Almae Genitricis Dei Mariae, Beatorum Petri et Pauli Apostolorum, Omnium denique Sanctorum.

II. Dies festi Sancti Ioseph, Sponsi Beatae Mariae Virginis, et Nativitatis Sancti Ioannis Baptistae, uterque cum octava, celebrabuntur, tamquam in

sede propria, prior, Dominica insequente diem XIX Martii, immoto permanente festo si dies XIX in Dominicam incidat; alter, Dominica quae festum Sanctorum Petri et Pauli Apostolorum antecedat. Festum vero Sanctissimi Corporis Christi, idemque cum octava privilegiata, Dominica post Sanctissimam Trinitatem, tamquam in sede propria, celebrabitur, statuta pro festo Sanctissimi Cordis Iesu feria VI intra octavam.

III. Ecclesiastico praecepto, quod supra diximus, dies festi Patronorum non subiacent. Locorum autem Ordinarii possunt solemnitatem exteriorem transferre ad Dominicam proxime sequentem.

IV. Sicubi aliquod festum ex enumeratis legitime sit abolitum vel translatum, nihil inconsulta Sede Apostolica innovetur. Si qua vero in natione vel regione aliquod ex abrogatis festis Episcopi conservandum censuerint, Sanctae Sedi rem deferant.

V. Quod si in aliquod ex festis quae servata volumus, dies incidat abstinentiae vel ieiunio consecratus, ab utroque dispensamus; eamdemque dispensationem etiam pro Patronorum festis, hac Nostra lege abolitis, concedimus, si tamen solemniter et cum magno populi concursu ea celebrari contingat.

Novum Apostolicae sollicitudinis argumentum huiusmodi praebentes, spem Nos certam fovemus, fideles universos iis etiam diebus, quos nunc de numero festivitatum praecepto obstrictarum expungimus, suam in Deum pietatem et in Sanctos venerationem, non minus quam antea, fore testaturos, ceterisque diebus festis, qui in Ecclesia servandi supersunt, diligentiore, quam antehac, studio observandum praeceptum curaturos.

Contrariis quibusvis, licet speciali et individua mentione dignis, non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die XI mensis Iulii MCMXI, Pontificatus Nostri anno octavo.

PIVS PP. X.

EX SACRIS CONGREGATIONIBUS ROMANIS

SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE

Ex Congregatione de Religiosis.

Dubia de manuscriptis religiosorum typis edendis.

I. An Religiosi pertinentes ad Instituta votorum simplicium iisdem teneantur legibus ac Regulares votorum solemnium, quoad *Imprimatur* seu beneplacitum a suis Superioribus expostulandum, quoties aliquod suum manuscriptum in lucem edere cupiant? — *Resp.* Affirmative.

II. An Religiosi, quoties eis a suis Moderatoribus publicatio alicuius manuscripti fuerit interdicta, vel *Imprimatur* denegatum, possint idem manuscriptum alicui typographo tradere, qui illud publicet cum *Imprimatur* Ordinarii loci, suppresso auctoris nomine? — *Resp.* Negative.

Ex Congregatione Rituum.

Dubia circa expositionem et benedictionem SSmi. Sacramenti.

I. Defectu ministrorum et cantorum licetne Missam Votivam SSmi. Sacramenti, in expositione vel repositione pro Oratione XL Horarum, celebrare sine cantu; et totam functionem sine cantu peragere simili modo quo fit Feria V in Coena Domini, secundum Memoriale Rituum?

II. Licetne legere aut omittere missam Votivam celebrandam secunda die in Oratione XL Horarum?

III. Est ne necessarium Indultum, ut in Oratione XL Horarum expositio ac adoratio suspendatur horis nocturnis? — *Resp.* (ad I-II-III): Ad effectum Indulgentiarum et privilegii Altarium necessarium esse Indultum a S. Congregatione S. Officii expetendum, ut derogetur formae Clementinae Instructionis. Alias Episcopus utatur iure suo, sed circa Missas Votivas serventur Rubricae et Decreta, nisi exstet vel obtineatur speciale Indultum.

IV. Quum difficile sit habere thronum expositionis inamovibile, nisi Crux ponatur in eo; quaeritur: Utrum liceat super tabernaculum erigere inamovibile thronum, seu parvum ciborium fixum pro expositione SSmi. Sacramenti; an debeat erigi thronus tantummodo propter expositionem et amoveri post expositionem? — *Resp.* Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.

V. Num liceat thronum expositionis construere in muro paucis metris ab altari seiuncto? — *Resp.* Affirmative, dummodo thronus expositionis haud nimis distet ab altari, cum quo debet quid unum efficere.

VI. Utrum alio throno, seu baldachino parvo, opus sit ad expositionem SSmi. Sacramenti, ubi magnum baldachinum, seu ciborium invenitur? — *Resp.* In casu servari potest consuetudo quae viget.

VII. Licetne laicis tangere Ostensorium sine privilegio Apostolico, quod requiritur ad tangenda vasa sacra? — *Resp.* Serventur decreta.

VIII. Debetne Ostensorium cooperiri velo albo, quando stat in altari ante et post expositionem SSmi. Sacramenti? — *Resp.* Affirmative.

IX. Cuiusnam coloris debet esse stola presbyteri exponentis, quando benedictio SSmi. Sacramenti immediate sequitur Vesperas solemnes, nec celebrans cum pluvialistis secedit a choro? — *Resp.* Eiusdem coloris ac paramenta celebrantis.

X. Utrum cuilibet celebranti, an soli Episcopo vel Praelato, liceat genuflexo manere super pulvinari in infimo gradu altaris? — *Resp.* Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.

XI. An Ordinarius, in medio sanctuario benedictioni SSmi. Sacramenti assistens cum cappa, debeat adorare

utroque genu, quando ad incensandum accedit ad altare, vel ab eo recedit? — *Resp.* Affirmative in casu.

(Ex decr. *Westmonasterien.* d. XXVII mens. Maii MCMXI).

Dubia varia.

I. Utrum Decreto 8 Maii 1899, *Augustodunen. seu Galliarum,* extendente Officium et Missam S. Odilonis, Abbatis Cluniacensis, sub ritu duplici minori, ad cunctas Galliarum Ecclesias, obligatio facta fuerit omnibus Galliarum dioecesibus illud adoptandi, vel simpliciter haec extensio non sit nisi facultas? — *Resp.* Singulis petentibus S. Congregatio reservavit sibi concessionem, iuxta Decretum citatum.

II. Utrum dies 7 Iulii sit quasi-natalitia pro SS. Cyrillo et Methodio, Epp. Conf. iuxta Martyrologium Romanum? — *Resp.* Affirmative.

III. Si in tertio Nocturno alicuius sancti vel Mysterii, Lectiones de Homilia excerptae sunt ex operibus eiusdem Sancti, aut sunt historicae circa Mysterium, utrum tres Lectiones debeant in duas redigi, ut fit in festo S. Hilarii, Ep. Conf. Doct., in casu quo nona Lectio legi debeat de alio officio eodem die commemorato? — *Resp.* Decernendum in casibus particularibus.

IV. Ubi S. Silvester est Patronus vel Titularis, utrum secundae eius Vesperae sumendae sint de Communi Confessoris Pontificis, vel usque ad Capitulum dicendae sint de Nativitate ut in aliis diebus infra Octavam? — *Resp.* Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.

V. Quum nuptiae celebratae fuerint tempore prohibito, et sponsi postea benedictionem nuptialem petierint, iuxta decretum S. C. U. I. diei 31 Augusti 1881, utrum eligendus sit dies in quo Missa votiva pro sponsis dici possit, ut praetendunt aliqui, innixi super Decretum Generale de Missis votivis diei 30 Ianuarii 1896, vel in casu benedictio nuptialis impertiri possit infra Missam, puta de festo duplici 2 classis cum commemoratione pro sponsis, iuxta rubricam in capite Missae pro sponsis positam? — *Resp.* Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.

VI. Utrum ad impertiendam benedictionem nuptialem post tempus feriatum coniugibus antea matrimonio iunctis, necessaria sit praesentia amborum, vel sufficiat solius sponsae? — *Resp.* Affirmative ad primam partem; negative ad secundam.

VII. Utrum in Ecclesiis parochialibus unam tantum Missam habentibus, parochi debeant ad normam decreti n. 3887 diei 21 Februarii 1896, Missam pro populo applicandam iuxta officium diei celebrare, etiam in Dominicis ad quas iussu Card. Caprara transferuntur solemnitates Epiphaniae Domini, SS. Corporis Christi, SS. Apostolorum Petri et Pauli, ad praecipui Patroni loci, atque etiam quorumdam aliorum festorum ex peculiaribus Indultis, vel possint per Missam dictarum solemnitatum oneri suo satisfacere? — *Resp.* Affirmative ad primam partem; negative ad secundam.

VIII. Utrum solemnitates iussu Card. Caprara ad Dominicam proxime sequentem translatae, ceteraeque ex Indulto particulari similiter faciendae, celebrari debeant an possint etiam in Oratoriis semipublicis, ubi singulis Dominicis solet Missa cantari? — *Resp.* Solemnitates enunciatas celebrari posse in Oratoriis semipublicis de quibus agitur in decreto n. 4007, diei 23 Ianuarii 1899.

IX. Si extra expositionem XL Horarum, et Festum SS. Corporis Christi, fieri contingat expositio SS. Sacramenti immediate post Missam, Hostia debeatne intra hanc Missam consecrari, vel accipi possit Hostia iam prius consecrata? — *Resp.* Negative ad primam partem: affirmative ad secundam.

X. Quatenus affirmative ad secundam partem; utrum Hostia iam antea consecrata poni possit in Ostensorio ante purificationem et ablutionem, vel exspectari debeat usque ad expletum ultimum Evangelium? — *Resp.* Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.

XI. Utrum celebrans in Vesperis solemnibus possit stolam induere sub pluviali a principio Officii, quum immediate post Vesperas, quin ipse recedat a Presbyterio, fiat expositio cum benedictione SS. Sacramenti? — *Resp.* Affirmative.

XII. Utrum Processio cum SSmo. Eucharistiae Sacramento, quae immediate ut supra subsequitur Vesperas cum paramentis rubris vel viridibus cantatas, cum iisdem fieri debeat, vel albi coloris assumi debeant paramenta? — *Resp.* Affirmative ad primam partem; negative ad secundam.

XIII. In benedictione olei Catechumenorum, feria V Coenae Domini, Rubrica Pontificalis statuit: « Duodecim sacerdotes reverenter salutant oleum ipsum dicentes: Ave sanctum oleum ». Haec verba: « reverenter salutant » suntne ita interpretanda ut debeat fieri genuflexio, sicut ad Sanctum Chrisma, vel simplex inclinatio capitis? — *Resp.* Affirmative ad primam partem; negative ad secundam.

(Ex decr. *Baionen.* d. XXVII mens. Maii MCMXI).

XIV. Ubi festum Titularis ex longaeva consuetudine celebratur ad instar Patronorum, Dominica infra Octavam eiusdem cum concursu populi, per unam Missam solemnem de Festo cum commemoratione Dominicae, utrum solemnitas SS. Apostolorum Petri et Pauli in Galliis praeceptiva, debeat huic praeferri, vel in aliam subsequentem Dominicam reponi, utpote non praeceptiva, sed tantum permissa? — *Resp.* In casu praeferatur solemnitas SS. Apostolorum Petri et Pauli in Galliis praeceptiva.

XV. Utrum laico Missae inservienti ministrari possit Sacra Communio intra presbyterium et in ora suppedanei altaris, etiamsi non sit indutus habitu clericali? — *Resp.* Affirmative.

XVI. Utrum preces post Missam privatam iussu Leonis XIII dicendae, omitti debeant post Missam votivam lectam de SS. Corde Iesu, prima cuiusque mensis feria VI celebratam cum privilegiis Missae votivae solemnis pro re gravi? — *Resp.* Missa de qua in precibus habeatur uti solemnis, eique applicare potest decretum num. 3697, *Ordinis Minorum Capuccinorum S. Francisci,* 7 Decembris 1888, ad VII.

XVII. Quando celebrans ad Vesperas coram SSmo. Sacramento exposito Officium facit ad scamnum, debetne, quum accedit ad medium altaris ad « Magnificat », genuflectere unico genu super infimum gradum, vel utroque genu in plano? — *Resp.* Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.

XVIII. Quum cantantur Vesperae coram SSmo. Sacramento exposito, utrum celebrans possit a principio amictu, alba, stola et pluviali indutus Officium facere, eique Diaconus et Subdiaconus alba, dalmatica et tunica induti assistere a principio Vesperarum, ratione Processionis immediate post Vesperas instituendae, praesertim in ecclesiis quae pluribus carent pluvialibus pro assistentibus? — *Resp.* Negative.

XIX. Utrum in Quadragesima, quando Vesperae immediate post Missam solemnem cantantur, celebrans possit pluviali super albam et stolam indutus Officium facere cum assistentia Diaconi et Subdiaconi dalmatica et tunica indutorum? — *Resp.* Negative.

XX. Utrum iuxta Decreta 23 Novembris 1906, *Dubia* ad XI, et Februarii 1907, Eremitarum Camaldulensium Montis Coronae ad X, Oratio *Deus cuius misericordiae non est numerus* in functione Tridui vel Octidui intra annum post Beatificationem vel Canonizationem, cantari debeat ante *Tantum ergo,* vel in hoc casu servari debeat specialis dispositio Decreti 16 Decembris 1902, ad VI, super privilegiis Octidui vel Tridui concedi solitis? — *Resp.* Satis provisum in decreto citato.

XXI. Utrum novendialis supplicatio, quae ex litteris Encyclicis Leonis PP. XIII, *Divinum illud munus,* diei 9 Maii 1897 Festum Pentecostes praecedere debet, incipi debeat feria VI infra Octavam Ascensionis Domini, ut terminetur in ipsa Vigilia Pentecostes, vel possit iuxta praxim huius dioeceseos incipi tantum Sabbato, ita ut finem habeat novendialis supplicatio ipso die festo Pentecostes? — *Resp.* Affirmative ad primam partem; negative ad secundam.

(Ex altero decr. *Baion n.* d. VIII mens. Iunii MCMXI).

Dubium circa interpretationem Motus Proprii « Inter Multiplices ».

An Canonicus rite adscriptus Capitulo, quod collegialiter gaudet privilegiis seu insignibus et iuribus ad Protonotarios Apostolicos, vel supranumerarios, vel ad instar participantium pertinentibus, ius aliquod acquisierit, quo inter Praelatos Domesticos cum expeditione Brevis recenseatur? — *Resp.* Negative, et adscriptionem coetui Praelatorum Domesticorum unice pendere ex benigna liberalitate Summi Pontificis, attentis, in singulis casibus, omnibus circumstantiis et specialibus meritis personae.

(Ex decr. d. XXIV mens. Maii MCMXI).

DIARIUM VATICANUM

(Mense Iulio MCMXI).

Coram SSmo. admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites aliosque viros, qui sui quisque muneris gratia Pontificem de more adiverunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: Aloisius Barberini, Urbanus Princeps; Sublacense Municipium grates agens Pontifici ob munificas largitiones civitati suae factas; Ioannes Schönburg-Hartenstein, Princeps, legatus extraordinarius atque administer cum omni potestate Austrorum Hungarorumque apud Apostolicam Sedem; Ottho Von Muehlberg, doctor, eodem munere fungens pro Borussicis; De Leiningen-Billigheim, Comes; D'Erp, dynasta, legatus extraordinarius atque administer cum omni potestate Belgarum apud Apostolicam Sedem.

Pontificiae electiones.

Nominationes episcoporum. — Per decreta S. Congregationis Consistorialis SSmus. D. N. Pius X quae sequuntur ecclesias de proprio pastore providit, scilicet: Tit. eccl. arch. Cianae praefecit revmum. Ioannem Keane, hactenus archiepiscopum Dubuquensem; Cath. eccl. Atrebatensi revmum. Aemilium Ludovicum Cornelium Lobbedey, hactenus episcopum Molinensem; Cath. eccl. Molinensi sac. Ioan. Bapt. Senon, parochum decanum S. Mariae Magdalenae in archidioecesi Aquensi; Cath. eccl. Lincolnensi revmum. Ioannem Henricum Tihen, vicarium generalem episcopi Wichitensis; Cath. eccl. S. Georgii Terrae Novae sac. Michaelem Franciscum Power, archidioecesis S. Ioannis Terrae Novae; Cath. eccl. Pelotensi sac. Franciscum de Campos Barreto, parochum S. Crucis in urbe Campinensi; Cath. eccl. Aracajuensi sac. Iosephum Thomam Gomes de Silva, secretarium diocesis Parahybensis; Cath. eccl. Florestensi sac. Alvarum Augustum de Silva, parochum S. Iosephi loci vulgo *Recife*, in archidioecesi Olindensi; Cath. eccl. S. Aloisii de Caceres sacerdotem Modestum Augustum Vieira, parochum loci vulgo *Caratinga*, in archidioecesi Mariannensi; Cath. eccl. Uruguayanensi sacerdotem Hermetem Iosephum Pinheiro, parochum in civitate loci vulgo *Recife,* archidioecesis Olindensis; Metropolitanae eccl. Philadelphiensi revmum. Edmundum Franciscum Prendergast, hactenus episcopum tit. Scillitanum et administratorem eiusdem archidioecesis.

— RR. dd. Franciscus Parrillo, Vinculi Defensor apud S. Romanae Rotae tribunal, et Aloisius Copéré, Procurator Generalis Societatis Mariae, inter Consultores S. Congregationis Concilii adleguntur.

Varia.

Die XX mensis Iulii, in Xystino Sacello, adstante Pontifice iusta funebria Leoni PP. XIII persolvuntur, octavo recurrente anno ab eius obitu.

ANNALES

Mauritanae res.

Mauritana res novis indesinenter argumentis Europaeorum mentes occupat, alio aliud subsequente. Ecce enim ex improviso vox diffunditur bellicam Germanorum navem ad Agadir, Mauritanum portum oceani Atlantici, appulisse, militesque expositos loco potitos esse. Graves inde in Germaniam incusationes, quae necessitatem suam exponit subditos suos illic habitantes Mauritanorum in liberam potestatem relictos defendendi.

Dum haec inter Germaniam et Galliam perpenduntur atque concordi animo explanantur, dissensiones aliae exoriuntur inter Gallos ipsos et Hispanos, qui ad El Ksar oppidum descendunt, et dicuntur Gallicum consulem cônviciis corripuisse. Hispanicum gubernium Gallico satisfacere conatur, consulique suo deposito, cui illa (merito an immerito nihil refert) tribuuntur, novum sufficit; at...., centurio quidam Gallicus in vincula ab Hispanis coniicitur. Quid? Utraque pars se defendit ac sua iura tuetur; garritur interim, blateratur, ac... teritur aestivum tempus.

Ex Orientalibus Europae regionibus.

Orientales eventus narramus, siquidem non de unica Albanensi seditione iam agitur, sed de incerto aliarum etiam regionum statu. Heic enim Turcicum gubernium, auxilio etiam Scodrensis episcopi fultum, frustra Melissores ad pacem suadet; inde Montis Nigri exercitus in armis ponitur. Id equidem Turcarum suspiciones excitat, quas ii quibus prodest tenuare contendunt, necessitatem sibi adducentes Turcicas copias ad fines suos effuse congregatas librandi. Interim certum est seditionem ex Albania ad Epirum usque pervenisse, et Chefket Turgut Pachae missionem in incassum omnino cessisse.

Ex Perside.

At Persis quoque his diebus exagitatur. Dicunt enim, quum imperii rector auctoritatem suam et pueri regis extra urbem imperii ipsius caput servare non valuisset, Mohamed Alì, Caesarem illum solio depulsum an. MCMXI, nullo homine ei aditum litoris adimente, in Persidem revertisse, et copias nunc colligere, quibus thronum sit recuperaturus.

Si rosae erunt florebunt... heu vero cum spinis suis!

Qui corpus exercent et negligunt animam imprudenter agunt, principem partem negligentes, ut subiectam et infimam excolant.

PLATO, *in Chyrophonte.*

PUBLICI PER ORBEM COETUS
legibus ferendis

In **Anglia** dissensio inter populares oratores et proceres perdurat, neque lex de utriusque coetus iuribus finiendis ferri licet.

In **Austria** novum administrorum collegium constitutum, praeside Gautich dynasta; novaeque coetus publici sessiones regali oratione inchoatae.

In **Gallia** de iure suffragii innovando disceptatio perdurat; rationes acceptorum et expensarum non sine difficultate ratae habitae.

In **Hungaria** in legem de militaribus expensis augendis acerrimae contradictiones aguntur a factionibus, quibus Iusth atque Kossuth praesunt.

In **Italia** ob aestivas ferias lex monopolium civitatis constituens circa vitam parsimonia defendendam ad Novembrem mensem dilata, post legis êiusdem fundamentum positum.

In **Lusitania** «constituens» coetus de novo civitatis regimine principia agit adhuc.

In **Serbia** Milovanovits novum administrorum collegium composuit ex «radicalium» factione.

PER ORBEM

Die II mens. Iunii MCMXI, Iussuf Igzedine, Turcarum princeps imperii haeres, Romam advenit.

— d. III aviatores quinque Britannicum fretum feliciter transmittunt.

— d. V in regali italico castro Stupinigi rapido morbo absumitur Maria Pia e Sabaudica gente princeps foemina, Aloisii, Lusitani regis, vidua, cui nupserat an. MDCCCLXII. Nata erat Augustae Taurinorum die XVI mens. Oclobris MDCCCXLVII.

— d. VII Lutetiae Parisiorum aëreo certamini, cui Europaeo nomen inditum, finis imponitur. Beaumont, Gallicae classis centurio, victor salutatur.

— d. VIII vehemens terrae motus per Hungariam fit, plurima damna afferens.

— d. IX per Germaniam omnem regalis stirpis de Hohenzollern V centenaria sollemnitas fauste agitur.

— d. XI Parisiis moritur Aemilius Lavasseur, inter sapientes viros nostrae aetatis late celebratus.

— d. XIII immane incendium Detroit, in oppido Americanae regionis Michigan, exortum, plura alia oppida solo aequat. Ignis via ad ducenta millia passuum usque extenditur.

— d. XV Erie in Americis, Ioannes Mars; et Iuliae Caesareae, Paillon, aviatores, tristi fato occumbunt. Sic aviationis victimae ad centum et viginti numerantur!

— d. XVI nunciatur historicum castrum S. Angeli ad Laudensem urbem flammis absumptum.

— d. XVIII Aethiopica legatio Europae nationes invisens, in Italiam pervenit.

— d. XX Carrariae in marmoreis fodinis saxi magna moles, ex improviso decerpta et in fundum praecipitans, opifices quindecim misere sepelit.

— d. XXIII, dolo an malo fato ignoratur, Stamboul vicus Constantinopolitanae civitatis, et proximi circum, succenduntur.

— d. XXIV similia Fontainebleau, nemori illi apud Lutetiam Parisiorum notissimo, accidunt.

— d. XXV Iaderae, inter moniales S. Francisci, placide obit Catharina Tommaseo, filia clarissimi Nicolai illius Italorum philosophi et viri multarum litterarum.

— d. XXVII ex Iaponia nunciant atram procellam in Tokium et Iokoamam urbes saevisse centum et ultra incolarum caede.

— d. XXVIII inundationes Yang-Tse regionem in Sinis vastant uberemque messem omnino disperdunt.

— d. XXIX Lutetiae Parisiorum, Nassum Pacha, Turcarum legatus apud Gallos, improvisa morte extinguitur.

LIBRORUM RECENSIO

Historia Ecclesiastica, auctore D, ANTONIO WEISS, Prof. in Universitate Graecensi I. et II. Graecii (Graz). Styria, 1907, 1910 (XII et 798, VIII et 693, pp.)

Hodiernis diebus inter cetera ecclesiastica studia forsitan maxime historiae sacrae operam dant docti et eruditi. Magnus numerus compendiorum et «manualium» cuiusque linguae ultimis decenniis in lucem prodierunt, quae aliis et aliis virtutibus laudibusque excellunt. Inter quae doctissimi Professoris Graecensis historia ecclesiastica locum praecipuum obtinet. Duo volumina iam edita historiam antiquitatis et medii aevi continent.

Raro fortasse tanta principiorum veritas et soliditas, tanta in Ecclesiam fidelitas cum pari investigandi libertate ingenuitateque concorditer iunguntur. Lucidissima perspicuitate auctor personas et eventus describit, quae in res et fata temporum maxime influebant. Inter quae pauca solum adducam capita: Originem et evolutiones Arianorum, problema Honorii Papae, donationem Patrimonii S. Petri, reformationem tempore Gregorii VII, gravissimas contentiones inter potestatem civilem et ecclesiasticam tempore Alexandri III, Innocentii III, et Bonifacii VIII, gravissima pericula et diversissimos casus et eventus schismatis occidentalis et captivitatis Avenionensis. Quasi sculptoris manu eximia arte auctor celeberrimos Pontifices plastice et corporaliter nobis ob oculos ponit. Nemo certe negabit res gestas in omnibus paginis operis sine ira et studio, remota omni iniusta benevolentia et aversione, esse expositas, ita ut quivis veritatis amans verissimam tum antiquorum tum medioaevalium temporum imaginem et conspectum abunde inde acquirere possit.

Experientia magistra docet, quanta subsidia ad docendum et discendum afferat bona dispositio; id quod etiam hoc opus optime praestat, et res graviores et minores suo loco ponendo et distinguendo, ita ut omnia pro suo merito facile animis infigantur et tenaciter memoria teneantur. Quo fit, ut haec historia ecclesiastica et magistrorum et discipulorum indigentiis mire videatur accommodata. Praeter principiorum rationem et sententiarum luciditatem quamquam grata simplicitas nusquam desit, congruens nitor stili moderatusque ornatus orationis iucunditatem legentibus parat; quare non dubitandum, quin praestabile hoc opus, omnibus numeris absolutum, optimi cuiusque laudem approbationemque assequatur et uberrimo fructu non careat.

P. FRIDOLINUS O. S. B.

AENIGMATA

I.

Si *prius* imbre volat conspersum, *posterius* fit.
Ominis et ipsa volat saepe sub aethera res.

II.

Non *prius;* ipse etenim haud habeo tibi, amice, *secundum.*
Sacra Iovi *totum* urbs Hellade in occidua.

M. I. S.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Doctorem IOSEPHUM FORNARI, Commentarii moderatorem *(Roma, via del Governo Vecchio, 96)* miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet opus, cui titulus:

PLINII EPISTOLAE

(Edid. KEIL)

Aenigmata an. XIV, n. V proposita his respondent:

1) **Avis**; 2) **Ros-a**

Ea rite soluta miserunt:

Fr. Baturewicz, *Zytomiria.* — Guil. Schenz, *Ratisbona.* — Ant. Faverzani, *Merato.* — Luc. Rhaetus, *Bucarestino.* — A. Renevey, *Estavayer-le-Lac.* — Ioan. Biava. *Bergomo.* — Greg. Cleary, *Roma.* — Alex. P. Gest, *Trentonio.* — Petrus Tergestinus. — Eug. Dolmar, *Neo-Eboraco.* — Vinc. Starace; Alex. Pintauro, *Neapoli.* — F. Guerra, *Aletio.* — Lud. Goux, *Bituricis.* — Alb. Kain, *Dublino.* — Lud. Dubois, *Massilia.* — Georg. Archambeault, *Quebeco.* — F. Wawer, *Marianopoli,* — F. X. M., *Drepano.* — P. Prado, *Venetiis.* — A. Bounin, *Aureliano.* — Rich. Brondel, *Brugis.* — Alb. Perraud, *Lutetia Parisiorum.* — Ad. Kozlowski, *Petricovia.* — Frid. Horwath, *Vindobona.* — Paulinus a S. Iosepho, *Barcinone.* — St. Pini, *Mediolano.* — St. Kempa, *Agrodiuia.* — Fr. Xav. Ghion, *Ostunio.* — Barth. Ferraris, *Augusta Taurinorum.* — Iac. Menendez, *Madrito.*

Sortitus est praemium:

IACOBUS MENENDEZ,

ad quem missum est PETRI ANGELINI opus, cui titulus:

LOLLIUS
sive
DE PROVECTA LATINITATE

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus

ROMAE — Ex officina *Societatis Editricis Romanae.*

EUPLIUS (9

Actio dramatica a I. B. Francesia versibus senariis exarata.

FELIX.

Is?

OCRIS.

Ipse! Nec possum quidquam confidere;
Res urget tempus....

FELIX.

At tempus tu redimes
Postea cursu, vales namque cruribus.
Veni nunc in aedes, falernum dabo
Tibi quod amissas vires restituat.

OCRIS.

Dabis?

FELIX.

Sic me... Nec addam verbum in posterum.

OCRIS.

Eamus intro! Bibam... Sic fortifico
Iecur meum lorica falerni triplici,
Et aptius feriam! Tibi, Mercuri,
Grates quod dederis patronum splendidum (*signat Felicem*).

FELIX.

Eamus! [1] Veritas per vinum dicitur.
Quid sint moliti perfidi per ordinem
Sciam, probe! Puer loquetur rusticus,
Loquens hic non modo, sed prorsus eloquens...
Sic felix postea nominabor optime. (*introit*)

SCENA VI.

NONNULLI CIVES.

I CIVIS.

Scis quod per urbem nuper effunditur?

II CIVIS.

Quid?

I CIVIS.

Nescis?

II CIVIS.

Admodum!

I CIVIS.

Volusius dicitur
Fuisse a servis potionatus callide!

II CIVIS.

Sed cur? Mali quid fecerit Volusius?
Bonus, lenis, comis, dulcis alloquio...
In medium pingue fundit patrimonium...
Et ipsi servi pergraecantur saepius,
Viventes more libêrum quotidie!

I CIVIS.

Christiana dicunt fateri dogmata.

II CIVIS.

Quid hinc?

III CIVIS.

In Caesarem crimen esse creditur.

IV CIVIS.

In ipsis aedibus mors ei traditur,
Quodque crudelius, suis a famulis,
Habet quos filios uti carissimos.

I CIVIS.

Boni datique fructus sunt mixti toxico.

II. CIVIS.

Movet quis pessimus culparum seriem!
Quis est hic?

III CIVIS.

Dicam, probe si taceas?

I CIVIS.

Iuvat quid amplius tenere silentium?
Loquentur ipsi mox viarum lapides.

IV CIVIS.

Unus occultus adhibet qui machinas...

II CIVIS.

Quis ergo?

III CIVIS.

Est Calvisianus.

I CIVIS.

Ipse! En venit.

SCENA VII.

CALVISIANUS et CIVES.

CALVISIANUS.

Quid ore, cives, mussitatis, pessimi?
Quid hic confertis subdolis rumoribus?

I. CIVIS.

Nobis hunc locum dixerant spectaculis!

II. CIVIS.

Ad hoc venimus!

CALVISIANUS.

Haud licet!

I. CIVIS.

Quid prohibet?

CALVISIANUS.

Spectaculum dicitis? Redite serius!
Nunc hinc abite!

I. CIVIS.

Cur?

CALVISIANUS.

Ita mihi placet.

II. CIVIS.

Sed.....

CALVISIANUS.

Vultis hinc me furca vos repellere?
Abite vos recto, abite in malam crucem! (*exeunt*).

(Ad proximum numerum).

(1) *Quasi alio versus.*

Ann. XIV. Romae, Mense Septembri MCMXI Num. IX.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Rerum index:

QUAESTIO EXEGETICA:

" FILIUS HOMINIS ,, - " FILIUS DEI ,,

Dum neque in S. Pauli Epistolis, neque in ceteris Novi Testamenti scriptis, *Actibus Apostolorum* exceptis, ubi (VII, 55) legitur: «Ecce! video caelos apertos, et Filium hominis stantem a dextris Dei», nunquam expressio «Filius hominis» invenitur, in praedicatione Christi qualis ab Evangelistis refertur, Iesus Christus innumeris vicibus «Filium hominis» sese nominat. Quandoque expressio «Filius hominis» ad vitam terrestrem Iesu Christi relationem includit: (Marc. II, 10) «Ut autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata»; (Matth. VIII, 20) «Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet»; (Luc. XIX, 10) «Venit enim Filius hominis quaerere, et salvum facere quod perierat». Quandoque expressio «Filius hominis» ad passionem mortemque Iesu Christi relationem includit: (Marc. VIII, 31) «Et coepit docere eos quoniam oportet Filium hominis pati multa ...et occidi»; (Marc. IX, 30) «Quoniam Filius hominis tradetur in manus hominum, et occident eum»; (Marc. XIV, 21) «Et Filius quidem hominis vadit sicut scriptum est de eo». Quandoque expressio «Filius hominis» ad Iesu Christi parusiam relationem includit: (Matth. XXIV, 30) «Et tunc parebit signum Filii hominis in caelo: et tunc plangent omnes tribus terrae: et videbunt Filium hominis venientem in nubibus caeli cum virtute multa, et maiestate». Quandoque expressio «Filius hominis ad regnum Dei relationem includit: (Matth. XVI, 28) «Amen dico vobis, sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in regno suo».

Propterea quaestio valde complexa, atque pro «*Critica*» quasi aenigmatica (1) oritur, quaenam videlicet

(1) Cfr. Batiffol. *L'enseignement de Jésus - VI. Jésus lui-même.*

significatio expressioni «Filius hominis» a Christo adhibitae insit. Hoc opus, hic labor noster est.

***

In Veteri Testamento, sub expressione «Filius hominis» modus quidam poeticus «hominem» indicandi latet: (Is. II, 12) «Quis tu, ut timeres ab homine mortali, et a filio hominis, qui quasi foenum, ita arescet?»; Ierem. (XLIX, 18) «Sicut subversa est Sodoma, et Gomorha, et vicinae eius, ait Dominus; non habitabit ibi vir, et non incolet eam filius hominis»; (Psal. VIII, 5) «Quid est homo, quod memor es eius? aut filius hominis, quoniam visitas eum?» Propter Danielis verba (VIII, 15-17): «Intellige fili hominis, quoniam in tempore finis complebitur visio», existimant quidam, expressionem «Filium hominis» idipsum ac «prophetam» significare, dum alii in recensito testimonio, nonnisi dignitatem, humilitatemque prophetae coram Deo stantis vident.

Iuxta Novi Testamenti exegetas, expressio «Filius hominis» in Novo Testamento multiplicem praefert significationem. Iuxta quosdam, quum expressio illa neque penes Apostolos neque S. S. Patres inveniatur, Christum nunquam tali modo se nominasse retinendum est. Vox illa «Filius hominis» a Danielis verbis (VII, 13): «Aspiciebam ergo in visione noctis et ecce! cum nubibus caeli quasi filius hominis veniebat» originem ducit. (1)

(1) En quid contra affirmationem hanc Revmus Batiffol *(L'enseignement de Jésus,* VI in nota*)* scribit: «*Nous nous séparons aussi du R. P. Rose «(Études sur les Évangiles, p. 169-182)» qui, après Holtzmann et Dalman entre autres, cherche l'origine du titre «fils de l'homme» dans Daniel (VII, 13). Jésus âurait pris ce titre pour caractériser son oeuvre de fondateur du royaume de Dieu, en se reportant á la vision de Daniel où le fondateur du royaume des saints est nommé fils de l'homme. En rigueur, le passage de Daniel favorise plutôt l'idée du Messie inaugurant le royaume eschatologique, et nous retombons ainsi, dans le messianisme le plus juif. Mais la difficulté radicale, elle a été faite par M. Driver entre autres, consiste en ceci que l'être qui est «comme un fils d'homme»* (Daniel, *VII, 13) est un être purement symbolique, mais symbolique de gloire et de victoire, et qu'il n'est pas possible d'identifier avec le serviteur souffrant et crucifié que Jésus désigne sous le titre de «fils de l'homme».*

Nonnisi postea in Evangelium introducta fuit, atque personali pronomini « Ego » substituta.

Pro quibusdam aliis, Christus voce « Filius hominis » utens, naturam sensibilem atque visibilem qua indutus erat, indicare voluit, vel significavit se « esse hominem idealem » vel « esse iudicem » vel « caput et fundatorem regni caelorum » vel « servum humilem ac subiectum »; denique nonnulli existimant, expressionem « Filium hominis » idem valere ac Messiam, et Christum tali modo se nominasse, propter regnum Dei, cuius fundatio praecipuum vitae Christi opus fuit. (1)

Afferamus tres ex praecipuis sententiis earumdemque argumenta.

***

In prima sententia, expressio « Filius hominis » servum humilem ac subiectum designat, atque cum idea servitutis, paupertatis, humilitatis, laboris, necnon passionis et mortis connexa est. Cum idea « *servitutis et humilitatis* »: (Marc. X, 45) « Nam et Filius hominis non venit ut ministraretur ei, sed ut ministraret » ; cum idea « *paupertatis* » : (Matth. VIII, 20) « Dicit ei Iesus: Vulpes foveas habent, et volucres caeli nidos : Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet ». Cum idea « *laboris* » : (Matth. XIII, 37) « Qui respondens ait illis : Qui seminat bonum semen, est Filius hominis »; (Luc. XIX, 10) « Venit enim Filius hominis quaerere, et salvum facere quod perierat ». Cum idea « *passionis* »: (Marc. VIII, 31) « Et coepit docere eos quoniam oportet Filium hominis pati multa » ; (Marc. X, 33-34) « Filius hominis tradetur principibus Sacerdotum, et Scribis, et senioribus, et damnabunt eum morte, et tradent eum gentibus. Et illudent ei, et conspuent eum, et flagellabunt eum ». Ex hisce textibus « Filius hominis » nonnisi « servus » in humilitatis ac subiectionis statu apparet. (2)

In secunda sententia asseritur, expressionem « Filium hominis » neque unicam neque determinatam, neque immobilem significationem, sed variam multiplicemque significationem praebere. Expressio enim « Filius hominis » in semetipsa inspecta, determinatam et unicam significationem non possidet, sensumque determinatum et unicum eiusdem nonnisi a circumstantiis necnon a momentis in quibus a Iesu Christi adhibetur dependet. Rursus, varietate hac et multiplicitate huiusmodi significationis asserta, sententiae omnes exegetarum ac SS. Patrum conciliantur. (3)

In tertia sententia existimatur expressionem « Filium hominis » idem ac Messiam valere, et Christum Iesum tali modo se nominasse, propter regnum Dei, cùius fundatio opus vitae Christi praecipuum fuit. Hoc apparet :

a) ex muneribus quae per Evangelia « Filio hominis » tribuuntur, quaeque nonnisi Messiae convenire possunt. Ita Matth. (xxvi, 45) « Filius hominis tradetur in manus peccatorum » ; Marc. (II, 10,28) « Ut autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem, in terra dimittendi peccata, itaque Dominus est Filius hominis etiam Sabbati »; Luc. (IX, 22) « Oportet Filium hominis multa pati, et reprobari a Senioribus, et principibus Sacerdotum, et Scribis, et occidi, et tertia die resurgere »; Luc. (XIX, 10) « Venit enim Filius hominis quaerere et salvum facere, quod perierat ».

b) Ex verbis Iesu Christi. - Matth. (XXVI, 63-64) « Princeps Sacerdotum ait illi : Adiuro te per Deum vivum ! ut dicas nobis, si tu es Christus filius Dei. Dicit illi Iesus: Tu dixisti ! veruntamen dico vobis : Amodo videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, et venientem in nubibus caeli »; Luc. (XXII, 66, 67, 69, 71) « Si tu es Christus, dic nobis ! Et ait illis : Si vobis dixero, non credetis mihi... Ex hoc autem erit Filius hominis sedens a dextris virtutis Dei. Dixerunt autem omnes : Tu ergo es Filius Dei ? Qui ait : Vos dicitis quia ego sum ! At illi dixerunt : Quid adhuc desideramus testimonium ? ipsi enim audivimus de ore eius ».

In harum sententiarum conflictu, Theologi innixi patrum auctoritate (1) generatim expressionem « Filium hominis » accipiunt prouti oppositionem facit ad expressionem « Filium Dei ». Et quemadmodum expressio « Filius Dei » importat in Christo veram naturam divinam, ita expressio « Filius hominis » importat veram naturam humanam; ambae dogmati de duabus naturis in Christo fundamentum praebent. Christus enim est « Filius hominis » quia ex homine Adam secundum naturam humanam carnem assumpsit, quamvis virtute supernaturali conceptus ; est « Filius Dei » quia ex Deo natus est.

***

Iesus Christus vocavit se « Filium hominis » simulque « Filium Dei ». - Matth. (XIV, 33 ; XVI, 16) « Adoraverunt eum, dicentes : Vere Filius Dei est ». Respondens Simon Petrus dixit : Tu es Christus, Filius Dei vivi ! » ; Luc. (IV, 3; IV, 41) « Dixit autem illi diabolus : Si Filius Dei es, dic lapidi huic, ut panis fiat... Exibant autem daemonia a multis, clamantia et dicentia: Quia tu es Filius Dei ». Quaenam igitur est significatio quae sub expressione « Filius Dei » latet ? Summa varietas in opinando penes exegetas.

Christus, inquit Renan, (2) dicitur « Filius Dei » non secus ac omnes homines « Filii Dei » sunt, vel esse possunt, iuxta S. Matthaeum (V, 9) : « Beati pacifici !

(1) Cfr. *Revue Biblique 1906*. « *L'avènement du Fils de l'Homme* ». Ibi legitur : « *Le Fils de l'homme, signifie d'abord le royaume des Saints du Très-Haut, et en même temps son fondateur, le Messie* ».

(2) Cfr. Batiffol, l. c.

(3) Cfr. P. Mariano Sardi, *Il Figlio dell' Uomo*.

(1) Cfr. *Revue Biblique* Avril 1908, p. 280. Ibi de hac sententia contra Dr. Tillmann legitur : « *C'est un critique libéral de premier rang, M. Holtzmann, qui reconnait que ces textes (F. H.) surtout d'après saint Matthieu, posent les bases du dogme de deux natures ; et puisque cette interprétation est celle des Pères, il faut s'y tenir* ».

(2) *Vie de Jésus* chap. XV.

quoniam *Filii Dei* vocabuntur». Nonne in Veteri Testamento multis divina tribuitur filiatio, quin aequales Deo inveniantur? - GEN. (VI, 7): «Videntes Filii Dei filios hominum». IOB. (I, 6): «Quadam autem die cum venissent Filii Dei». Iesus Christus, scribit A. Harnack (1), quare, quove sensu «Filium Dei» se nominavit, in sermone quodam significavit nobis; dum (MATTH. II) 27 ait: «Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare». Sphaera *(die Sphäre)* Filiationis divinae, cognitio Dei est; ideoque conscientia qua Christus Filium Dei se esse putabat, consequentia practica cognitionis Dei Patris atque Patris sui est. Bene intellecta, cognitio Dei, in expressione «Filius Dei» continetur, modus vero quo Christus ad conscientiam huiusmodi sibi efformandam pervenit, mysterium quoddam est, cuilibet scientiae psychologicae ininvestigabile».

Plures textus, scribit Loisy (2), in Evangeliis synopticis inveniri possunt, ex quibus titulus «Filius Dei» penes Iudaeos, Salvatoris discipulos, Ipsumque Salvatorem titulo *Messiae* aequivalere apparet. (MARC. VIII, 29; MATTH, XVI, 16; LUC. IX, 20; MARC. XIV, 61; MATTH. XXVI, 63; LUC. XXII, 70). Christus, «Filium Dei» se dicit in ea mensura, qua Messiam se dicit; filiationisque divinae conceptus, regni Dei conceptui alligatus est; si quid respectu Iesu Christi significat, nonnisi ad regni Dei fundationem referendus est.

In formula «Filius Dei», asserunt alii (3), si ad Vetus, Novumque Testamentum respiciamus, tituli *Messiae* et *Filii Dei* aequivalentia in dubium verti nequit, *talis est Messias, talis est Filius Dei.* Propter vero adiuncta quibus huiusmodi filiatio Christi a Christo ipso enuntiatur, expressio «Filius Dei» consortium in eadem natura Patris importat; Christus enim non modo quocumque «Filius Dei» vocatur, sed speciali modo, idest Filius unicus, haeres universorum, eadem iura, eamdemque potestatem Patris, necnon idem mundi gubernium possidens.

Cardinalis Capecelatro (4) sententia est, formulam «Filium Dei» Christo Iesu tributam, Divinitatem includere, ita ut significet: Christum esse verum Deum sicut per formulam «Filius hominis» significatur: Christum esse verum hominem. Sententiae huic adhaeremus propter *modum* quo Christo denominatio «Filius Dei» tribuitur, ac propter *traditionis* tum christianae tum iudaicae auctoritatem.

a) Ex modo quo titulus «Filius Dei» Iesu Christo tribuitur. — Christus Iesus dicitur «Filius Dei» non sicut ceteri homines, sed modo speciali, idest «*Dei vivi, unigenitus, verus, verus Deus, proprius, primogenitus, haeres universorum*». MATTH. (XVI, 16): «Simon Petrus dixit: Tu es Christus, Filius Dei vivi». IOA. (III, 16): «Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret». I IOA. (V. 20): «Et scimus, quoniam Filius Dei venit, et dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum et simus in vero Filio eius. Hic est verus Deus». *Rom.* (VIII, 32); *Coloss.* (I, 15); *Hebr.* (I, 2): «Qui etiam proprio Filio suo non pepercit,... Qui est primogenitus omnis creaturae... Diebus istis loquutus est nobis in Filio, quem constituit haeredem universorum per quem fecit et saecula».

b) Ex auctoritate Traditionis tum christianae, tum iudaicae, significatio quae titulo «Filius Dei» subest, non ex philologia ad hoc insufficienti, diudicandum est. Traditio vero christiana titulum «Filium Dei» Christo tributum prouti consortium atque identitatem cum Patre et Spiritu Sancto includit, semper continuoque accepit. Non aliter traditio iudaica. Iudaei enim verba Iesu Christi se dicentis «Filium Dei» prouti veram divinam naturam includunt, intellexerunt; quam ob causam rursus ad mortem Iesum Christum damnarunt. — IOA. (XIX, 7): «Nos legem habemus, et secundum legem debet mori, quia Filium Dei se fecit». MATTH. (XXVI, 63-65): «Et princeps Sacerdotum ait illi: Adiuro te per Deum vivum! ut dicas nobis, si tu es Christus Filius Dei. Dicit illi Iesus: Tu dixisti!... Tunc princeps Sacerdotum scidit vestimenta sua, dicens: blasphemavit!».

***

Propter quae omnia, merito Pius X *(Syllabo suo)* damnavit propositionem trigesimam, quae sonat: «In omnibus textibus evangelicis nomen *Filius Dei* aequivalet tantum nomini *Messias,* minime vero significat Christum esse verum et naturalem Dei Filium». (1)

Friburgi Helvetiorum.

P. REGINALDUS M. FEI O. P.

(1) *Das Wesen d. Christentums*, p. 81.
(2) « *L'Évangile et l'Église* » III, *le fils de Dieu, I*, p. 76.
(3) Cfr. BATIFFOL *Enseignement de Jésus:* VI, — *Revue Biblique*, 1907, Oct. p. 551.
(4) *Errori del Renan nella vita di Gesù*, c. XIII.

(1) Propositio desumpta fuit a LOISY *(L'Évangile et l'Église, 76)*. *«L'on trouverait sans peine dans les Évangiles plus d'un passage d'où il résulte que le titre de Fils de Dieu était pour les Juifs, pour les disciples, et pour le Sauveur même, l'équivalent de Messie».* Cfr. *Simples réflexions* XXX.

DE PUGNA
inter veritatem et errorem in rebus theologicis

EPISTOLA (1)

III.

« Si quidquam novi, peream! Rabbinica verba,
« Sic nostrum memini quondam mihi dicere Pappum,
« Congeries rerum rudis indigestaque! Crudum
« Si quid edas stomacho, solventia pharmaca sorbes;
« Talibus at quaenam valide medicina paretur?

(1) Cfr. num. sup.

« Laudarique volunt! et ne sim laudis avarus
« Annuo, Crispini vafros imitatus alumnos,
« Qui cum non ferrent fatui male clara magistri,
« Atque illum frustra verbis superaddere verba,
« Certatim unanimes dicenti plaudere. Laetus
« Dimisit doctor iuvenes, et talia secum
« Excedens, alios docui quae nosco nec ipse!
« Sic ego si cessent nebulosa effundere dicta.
« Lux sequitur verum, tenebrisque involvitur error ».
Res valde obscuras exemplo clarius audi.
Natura et sophia in Christo nil iure capessunt
Ultra hominem: delenda igitur queis ante putatus
Numen ab aeterno genitum; removenda proinde
Credulitas quae vana dedit, quae plurima gessit
Prodigia, et quaecumque aevoque locoque repugnant,
Moribus atque obstant eius populique coaevi.
Irrumpit tunc corde Fides quam diximus ortam,
Et iam nudatum donis caelestibus ornat,
Progenies ut vera Dei, Deus atque putetur.
« Quid? Christus duplex - instabat Pappus ad ista -
« Inspice et agnosces: alter male sanus homullus,
« Qui officium sibi commissum sero et male novit,
« Ut docet historia; atque insignis dotibus alter,
« Portentis mirus, venerabilis ipse Deusque,
« Ut monet interior sensus. Quis talia credat?
« Aut toleret patiens? Dure gens furfuris huius
« Tractanda, atque acri a cunctis sermone premenda;
« In Christum credis? - Credo. - Cur? - Me cor ad istud
« Urget. - At hoc ultra? - Nihilum. - Quid denique [Christus?
« Re nihil ultra hominem: mihi nam quid credere sensu
« Interiore iuvat quod re contemnere cogor?
« Aut periit ratio, sunt ista aut consona rebus,
« Olim quas docuit nebulosus Kantius. At si
« De Christo haec fatue, quid de mage mente remotis,
« De Triade augusta atque una, Christoque per orbem
« Sub specie panis vivo? quid sensus ad ista?
« Numquid in ignotum se fert humana voluntas? »
Optima, sed praestat sermonem absolvere nostrum.
Quo iure historiam contracto claudere sulco
Audacter tentant, prorsusque expungere ab illa
Figmentis quodcumque suis non convenit? Atqui haec
Latius extendens fines, sibi vindicat omne
Revera gestum, seu res evenerit intra
Naturae vires, seu prodigialiter ultra. -
« Tam recta ut nequeant ulla ratione revelli, -
Acrius hic noster permiscens aspera nugis, -
« Sed genus amphibium speras ratione tenere?
« Piscator quidam lustrans de more paludem
« Ut caperet pisces, urget namque ardor edendi,
« Miram pro pisce anguillam detraxit ab undis.
« Insueta exsultans praeda, iam gaudia mensae
« Praegustat, captamque tenet; sed protinus illa
« Lubrica se solvit vinclis, stagnoque refugit.
« Quae praedae utilitas? Longe spectare natantem,
« Et gemere incassum vacui ieiunia ventris.
« Tu valide pugnas, permulta et congeris apte,
« Sed dum iure putas hostem constringere captum,
« Is verba invertens, alios trahit illico sensus
« Forcipe distortos; quae res non ardua, namque
« Illorum quisquis, ventoso inflatior utre,
« Dum sublime petit, nubes et inania captat;
« Haec ego non dixi; nescis mea pendere dicta,
» Talia Iansenius fallendi callidus arte.
« Hanc aiunt iniisse viam fraugantur ut illi
« Qui supera abiiciunt, atque illos iure refellant
« Qui ob cultum Fidei naturae iuribus obstant.
« Antiquas nosco vulpes sub pellibus agni.
« Cur non candidius meliusque ut plurima dudum
» Abiecta in scrutis renovent, figmenta serentes
« Multa per ambages, peregrinae et praedita luxu
« Doctrinae ut stultos capiant? Sed ponere larvam
« Fucatam iam tempus adest, clareque fateri
« Se nullam sibi velle Fidem ratione magistra.
« Plaudite buccones, nebulones, en sonat illud
« Quod Bayles olim malefida voce rudebat:
« Porta patens esto; nulli claudatur honesto.
« Religio quaecumque siet Brahamae, Mahometi,
« Confucii, Budhae pariterque ac iure probanda.
« Hoc caput, haec summa est rerum, mihi crede, no- [varum:
« Non foret ipse Deus, Fichtes ni forte creasset. »
Haec ait atque ira buccas inflavit utrasque,
Dicturus plura, excedens ni terga dedissem.
Quis non ista probet, duris licet edita verbis?
Quid namque his melius? Si stirpes caedere summas
Sic olim nocuit, crudele ut nunc quoque vulnus
Acriter indoleat, steterint licet integra multa,
Quid modo qui exercent ima ab radice securim?
Omnia pessumdant, sanique haud permanet hilum.

IV.

Vere inter densas cautes et inhospita tescua
Durum iter arripui: me ignarum obscura fefellit
Rerum colluvies? Sapiens me vera docebis.

Quare non ultra incedam re firmus in ista
Quam iactant non esse Fidem, quae caelitus orta
Nos superis auget meritis. Ut parturit arbor
Quaeque suos fructus, proprios sic elicit actus
Natura, adscriptos impar transcendere fines.
Horum igitur larvata Fides cum corde oriatur
Quis neget angusto naturae in limite claudi?
Non istam; sed iure Fidem nos quaerimus illam,
Caelesti quae voce oritur, documenque supernum
Pandit et assensum mentis sibi vindicat. - Aiunt:
« Non ego sum mundi civis? quae denique causa
« Cogit ut invitus menti non pervia secter?
« Nil statuit Christus nostro cum viveret orbe;
« Quaeque sua a saeclis circum praecepta feruntur,
« Paullatim exorta et placitis accepta bonorum.
« Omnia si debent meliorem tangere metam,
« Cur immota manens, legi se subtrahet isti
« Unica Religio rebus sophiaeque rebellis?» -
Nil statuit Christus? Sed quis nova dogmata regni
Ultra naturam posuit sortemque creatam?
Cur unus Petrus bis seno ex agmine princeps
Lectus, dux ovium, caelestis claviger axis?
Munere cur fungens primis in caetibus ipse
Praefuit, atque omnes eius paruere loquelae?
Nil eius socii scriptis docuere, nec ordo
Patrum, qui unanimes doctrinae haesere vetustae?
Non secus atque arbor, commisso semine terrae,
Germinat, extendit ramos, dat tempore fructus,
Sic praeter quae firma forent fundamina regni
Immissum semen variis tunc fructibus uber
Cum vellent rerumque vices et mobilis actas.
Hinc alia invenies sensim mutata per annos,
Atque alia haud ullis vicibus subiecta nec aevo.
« Expertem erroris romana in sede locatum
« Saltem quis credat, sophiae cum lumine ducta,
« Mens sibi sufficiat? » - Naturae si foret uni,
Et tumulo servatus homo, tua cuncta probarem;
Sed cum sit caeli superas addictus ad oras,
Quid si quae nostram superent mysteria mentem, et
Sit datus haud errans caelesti munere iudex?
Ast audi et ride. Celebratum iure magistrum
Discendi cupidus quaeris; tentatus acerbo
Morbo praeclarum medicum. Cur? - Absit ut error,
Et sis vel sapiens, aegro vel corpore sanus. -
At fugis errorem si parvis non male cautus,
Cur non hunc pariter morem secteris in illis,
Quae meliora hominis spectant, vitamque futuram?
Tot nigra errores inter caligine mersos
Quae mentes novitate tenent, iuvenumque superba
Pectora pelliciunt, quae nobis tuta sequenda
Semita? Quo propius fonti devolvitur amnis,
Hoc mage candidior; veterum sententia patrum
Purior hoc longe, Christo quo proxima. Quare
Traditio quaecumque docet veneranda tenendum,
Quae prius a Christo lectisque sodalibus orta,
Tradita mox populis in scriptis pene coaevis,
Huc venere tenus; quae si mendacia, nemo
Cur, saltem invidia male visae Religionis,
Detexit fraudes Christi ex aetate superstes?
Omnes compositi? sed rerum lumine solis
Gestarum rumor late compleverat orbem.
Curet Aquinatis quisquis documenta tenere,
Cuius lux tantum, tantum penetravit acumen,
Ut vix mortali videatur stirpe creatus,
Quem bene si noscas, magno correptus amore,
Res alias cernes aliis clarescere rebus.
Non error te decipiet, non caeca tenebris
Nox fallet. Te subde PIO cui talia Christus:
« Confirma fratres, sacrae via tuta salutis
« His per te pateat », primos atque effuge lapsus,
Ne in graviora ruens, praeceps volvaris ad imum,
Et valle extrema, fracta cervice, recumbas.
At satis haec leviter lusisse in cortice rerum:
Te huc ubi contuleris, plura et magis intima voce.
Non desit Pappus, festivae gaudia mensae,
Ut bene tu nosti. Pingues vos igne voluti
Expectant turdi, quos salvia reddet olentes,
Et teneros immixtus adeps: duo iure palumbes
Innabunt lento: dulci lepus inde sapore
Acrique exacuet ventrem. Non mitia poma,
Non deerunt uvae, validi nec pocula vini,
Qualia Pappus amat nugis cum laxat habenas:
Coenula Luculli non contemnenda palato.

Auximi.

P. Recanatesi.

Quibus de rei summa periculum imminet, stultum est alia curare.

Procop., *de bello Vandal.*, I.

Vir est, qui contra biformes fortunae eventus uniformi mentis constantia militat praemunitus.

Cicero.

Frustra exteriores inimicos vincimus, si interioribus parcimus.

S. Greg., *Moral.*

Stili lapidarii elementa[1]

III. — De epitaphiis.

Exempla dictionis simplicis:

D. M. S.
Q . SENTIVS
MARTIANVS
PIVS . VIXIT . ANNIS
XLVIIII . MEN . IIII
DIEBVS . XIIII
H. S. E. O. T. B. Q.

Hoc est: hic situs est; ossa tua bene quiescant.

D . M .
L . COMINIO . SABINO
PATRONO . OPTIMO
FECERVNT
LIBERTI . ET . LIBERTAE
B . M
QVI . VIXIT . ANN . P . M . LXXX

B. M. Bene Merenti. — — *P. M.* Plus Minus. — Quum diem natalem, vel quo Cominius obierat, ignorarent, nec de more annos, menses, dies possent adscribere, adscripserunt: Plus Minus Octoginta.

D . M
PASSERI
RET .
AELIA . CONIVX
BENE . MERENTI

Ret = Retiario, quod erat Gladiatorum genus. Sic autem dicti sunt, quod retia gestarent; nam arma eorum rete, et fuscina quibus piscatorium quemdam in morem contra Mirmillones pugnabant. Mirmillones autem dicti sunt quod in galea piscis effigiem haberent, cui nomen ΜΙΡΜΙΡΟ; et dicti etiam Galli, nam Gallica armatura utebantur, unde Retiarius aiebat: « Non te peto, piscem peto: quo me fugis, Galle? »

Exemplum dictionis ornatae:

GENIO
COETI . HERODIANI
PRAEGVSTATOR.
DIVI . AVGVSTI
IDEM . POSTEA . VILLICVS . IN
HORTIS . SALLVSTIANIS
DECESSIT . NONIS . AVGVSTIS
M . COCCEIO . NERVA
C . VIBIO . RVFINO . COS.
IVLIA . PRIMA . PATRONO . SUO

Verisimile est hic Genium Herodiani pro ipsius anima positum esse. *Praegustator,* idem Praegustatoris. Servis habere praegustatores, qui cibum potumque gustu explorarent Persae primum, et Graeci instituerunt, quo sibi a veneno caverent. Inter Romanos fortasse primus Antonius Triumvir praegustatore usus est.

Exempla dictionis singularis:

D . M .
BENE . OSSIBVS
CINERIBVS . QVE
Q . CANINI
MARTIALIS
CANINIVS
EVTYCHES
FRATRI
B . M.

—

D . M.
SVLPITIO
NOTO
ADESTE
SVPERI

——

DECRETO . DECVRION.
LOCVS . SEPVLTVRAE
PVBLICE . DATVS
L . AVFIDIO . L . F . HOR . MONTAN.
COMITI . C . CALVISI . SABINI

Comites eo tempore appellabantur custodes Adolescentium.

IV. — De inscriptionibus historicis.

Multa ex historicis deperdita compensare quodam modo videntur inscriptiones illae, quas historicas appellamus, quae nec a Religione, nec ab honoribus nomen habere possunt, sed ad posterûm maxime cognitionem praepositae subiectas res historiae more produnt.

Exempla dictionis simplicis:

SENATVS
POPVLVS . QVE
ROMANVS
CLIVOM
MARTIS
PECVNIA . PVBLICA
IN . PLANITIAM
REDIGENDVM
CVRAVIT

Clivom vox antiqua pro clivum — Clivus Martis extra *Portam Capenam* fuit ad dexteram, ubi et lapis cum hoc titulo inventus *A Porta Capena incipiebat Via Appia.* — *Planitiam* scribit et Caesar, et Vitruvius pro planitiem.

P . LENTVLVS . CN . F . SCIPIO
T . QVINCTIVS . CRISPINVS . VALERIANVS . COS
EX . S . C.
FACIVNDVM . CVRAVERE . IIDEMQVE
COMPROBAVERE

Pertinebat ad Magistratus de iis cognoscere quae Redemptoribus facienda locassent, ac, si quae receperant, praestitissent, comprobare: id autem in eorum gratiam adscribebatur actum esse; ne si opus vitium faceret, id redemptorum periculo esse videretur.

Exempla dictionis ornatae:

IMP . CAESAR . DIVI . F . AVG.
PARENS . COLONIAE . MVRVM

(1) Cfr. num. sup.

ET . TVRRES . DEDIT
S . IVLIVS . OPTATVS . TVRRES . VETVSTATE
CONSVMPTAS . IMPENSA . SUA . RESTITVIT

Colonia hic inscripta Maffeio est Iadera. Primos quidem tres versus Augusti iussu ingenti illi marmori inscriptos fuisse putamus. Quartum vero, et quintum minutioribus literis tum adiectos quum Optatus turres refecit.

IMP . CAESAR . DIVI . HADRIANI . F.
DIVI . TRAIANI.
PARTHICI . NEPOS . DIVI . NERVAE , PRONEP.
T . AELIVS . HADRIAN . ANTON . AVG.
PIVS . PONT . MAX.
TRIB . POT . II . COS . II . DESIGNAT . III . P. P.
OPVS . PILARVM . VI . MARIS . COLLAPSVM
A . DIVO . PATRE . SVO . PROMISSVM
RESTITVIT

Exstat haec Puteolis prope portam, qua itur Neapolim.

Exemplum dictionis singularis:

IMP . CAES . DIVI . TRAIANI
PARTHICI . F . DIVI . NERVAE . NEP.
TRAIAN . HADRIAN . AVG . PONT.
MAXIMO . TRIB . POT . XVI . COS . II . P . P.
AQVA . INDVCTA . COLON . DACIC . SARMIZ.
PER . CNEVM . PAPIRIVM . AELIANVM.
LEGAT . EIVS
PR . PR.

Coloniae Dacicae Sarmizegetusae, quae Urbs sita erat ad flumen Sargetiam in Dacia, olim Decebali Regia, deinde Traiani Colonia.

(Ad proximum numerum).

DE SAADIO PERSICO POETA (1)

Saadius Sciranensis. Est autem Sciras (2) urbs in persicis nobilissima, ob nativas opes caelique clementiam incolis, convenis, praesertim autem mercatoribus, frequens. In ore Persarum saepissime carmen sonat, cuius sententia est, cunctis ubicumque sitis urbibus nomen urbium abrogandum fore, easque ad infimam usque sortem vicorum esse deprimendas, si illarum cum Scira contentio fiat. Tam ampla in urbe natus est Saadius anno ab *Hegira* DLXXI, qui incidit in annum Christianae supputationis MCLXXV.

Hic regia in aula, quod claro parente ortum prodit, altus a puero, et a magni nominis doctore Scheabbeddino institutus, quum adeo in litteris profecisset, neutrum ut collocatae operae poeniteret, longe ab aula ac regno persico abductus est temporum asperitate. Nam barbari e regionibus ultra mare Caspium sitis in Persidem irrupere. Quare dum illos ingenita animo feritas, Persas vero in iras acuit iniuria, armis cuncta personare, et cadaveribus solum insterni. Quarum rerum quum hominem bene doctum eductumque pigeret, ad mitiora studia, infesto caedibus solo relicto, in longa se dedit itinera.

Sumpta igitur *Dervisiorum* veste, qua quicumque amiciuntur sine probro de stipe vivunt, diu multumque peregrinatus est, nunc urbes visens ac colens, nunc vastas solitudines et hominibus inaccessas petens. Nam qui cuperet contemplationi vacare et in animum suum descendere, quique fortunas suas prostratas et obviam ubique nequitiam hominum indignaretur, illorum frequentiam atque congressum diu ferre non poterat, malarum artium, quibus sibi invicem insidiantur, non solum insolens, verum etiam impatiens.

Sunt qui huc illuc discurrentem Saadium Italiam etiam attigisse ferant (1), edoctumque latinas litteras Senecae scripta prae ceteris adamasse, delectatum fortasse *dulcibus vitiis* (2) orationi eius adspersis, et perpetua gravitate doctrinae. Verum enimvero orientales praecipue regiones pervagatus est, et orientales plurimas linguas didicit, usque ad penitas earum origines ac proprietates. In illis per Orientem discursibus res accidit Saadio, quae scitu non iniucunda. Quum is aliquando nescio qua in urbe introiisset ad balneum, *Tabrizius,* qui etiam in claris poetis tunc censebatur, prope illum lavit. Orto inter poetas sermone, prodidit Saadio Tabrizius ortum se Tauris, vicissim vero Tabrizio Saadius se oriundum Scira. Quumque posito, ut in balneo, capitis velo, calvam Saadius ostenderet (quod Sciracensibus comune est, qui crinium defluvio cuncti laborant) protinus in illum morbum iocari Tabrizius: arreptaque patera, extimamque et convexam illius partem ostendens, percontatus est Saadium, cur Sciracensium capita imaginem paterae illius referrent? Tunc Saadius, aliam in manus pateram sumens, digitoque extento, intimam et cavam illius partem ostendens, rogavit a Tabrizio, cur qui Tauris orti, capite essent vacuae illi paterae quam simillimo? Qui ioci, licet amariores, quam inter urbanos decet, generosos poetarum animos non efferarunt, no-

(1) Scriptum hoc ex postumis clarissimi viri FRANCISCI GUADAGNI, Romani, eximii tum iuris tum litterarum cultoris, ultra nobis oblatum una cum aliquot Saadii carminibus in latinum ab ipso conversis, libenti animo edimus, pro certo habentes id gratissimum sociis et lectoribus *Vox Urbis* commentarii futurum.

(2) Quoties in Scirae nomen Gentius incidit, toties *Cyropolim* interpres usurpat. Ego in consultationem adhibito *Strabone, lib. 11, Geograph.* ac *Stephano de Urb. et Pop.* Gentii opinionem video maximis difficultatibus impediri. Accedit, quod Scirasenses de urbe sua a Cyro condita ne suspicantur quidem. Excitatam dicunt anno ab Hegira LXXIV (vide quam a Cyri aetate distantem faciunt!) per *Muhamedem Kasemi filium*, quo tempore Babyloniae Caliphis rerum in Perside potiri improviso terrore armorum contigit; Sciramque appellatam ferunt a nomine eius nepotis, cognomento *Sciras,* quae vox arabice *ventrem leonis* sonat. Fuit enim, ut mira corporis proceritate, ita etiam eximio artuum vigore ille adolescens. Haec habeo ex *Chardino (Voyages, en Perse tom. 3 pag. 146);* qui etiam addit, alios a *Chir*, alios a *Cherab* Scirae nomen ducere, quarum vocum prima *lac*, altera *vinum* latine redditur. Ager sane, qui Sciram circumiacet, ob fruticum herbarumque luxuriem alendis gregibus, ideoque et lacti suppeditando est idoneus. Vitium quoque apprime est ferax, e quibus vinum maximae ac sumptuosae nobilitatis exprimitur.

(1) KAEMFERUS *Amoenit. Exoticar*, Fascicul. II. Relat. 7, § 3.
(2) QUINTILIAN. *Instit. Orat.* lib. X, 1.

minibusque invicem patefactis, maximo se in honore alter alterum habuerunt.

***

Sed haec ludicra, et exitu sane laeta. Gravis deinde Saadium invasit calamitas. Dum enim, ex indole sua, pertaesus hominum, saltuosa ac silvosa Palaestinae loca pererrat, seque tutum ab iniuria, quod in neminem iniurius esset, putat, dedit poenas confidentiae suae: captusque a Francis, qui eas regiones habebant, postquam, duce Gothofrido Bullionaeo, bene res gesta contra Turcas est, vinculis constringitur, ac mittitur Tripolim. Ibi Saadius duro sub imperio ad urbem fossa muniendam, ut vile servitium, terram fodit, egessit. Ita quod Musis italis facinus bene vertit, illisque Torquati Tassi epos peperit, dato in servitutem Saadio, persicas Musas moerore prostravit.

Poetae ab hac deinceps servitute levato in duriorem casus fuit. Nam quum evasisset vincula liberalitate hominis inter Haleppenses primarii, qui aurum pro capite illius dederat, recusare non potuit, quin hoc vicissim daret homini de se tam benemerito, ut cum illius filia connubium iniret. Etenim Haleppensis eum ab ingenii praestantia probatum optavit sibi non beneficio solum, sed etiam affinitate conciliari. Sed tantus erat in muliere fastus, garrulitas, et contumacia, tantusque angor Saadio, dum eiusmodi cum ingenio conflictaretur, plane ut constet hoc ei coniugium Francorum vinculis fuisse acerbius.

At enim ex ingrati etiam connubii laqueo evolavit, sive demortua uxore, sive relicta. Non enim in hoc habeo quid sequar. Hoc unum ex eius scriptis comperio, tranquillatis rebus, eum in Persidem remigrasse, plurimique a Persarum rege Abubekero fuisse habitum. Neque eo secius frequentiam hominum poeta fastidire, aut minus adamare ab illis remota latibula. Ac siquidem molesti homines intervenirent, solebat eos sine verbo dimittere, et loquacitatem incommodam taciturna obstinatione frangere. Ex illis recessibus prodiit eius *Gulistanus*, quem a Saadio elicuit importunitas unius ex illis, quos capitali odio prosequebatur, interpellatoribus. Nam quum homo permolestus, per diuturnum licet silentium a Saadio reiectus, minime discessisset; tundendo atque odio denique effecit ut ab eo in colloquium admitteretur. Versati igitur simul sunt verba facientes, et amoeno in hortulo spatia fecerunt. E cuius areolis sibi rosas aliquot interpellator legit, quas in urbem referret. Tunc illum poeta monuit, nimium cito eiusmodi flores arescere, sed rosas esse alias, quibus haud tempus officiat; praecepta nimirum moribus regendis, vitaeque a periculis arcendae idonea. Quorum praeceptorum, abiectis statim ex horto rosis, quum se homo percupidum prodidisset, salubria huiusmodi monita Saadius coniecit in librum, eumque *Gulistanum* dixit, quae vox latine *Rosetum* sonat. Nempe titulum lucubrationi suae factum voluit ex occasione moliendi operis sibi a rosis exorta, et a quadam praeceptorum suorum cum illis floribus affinitate.

Hunc praeter librum, tum *Bostan,* sive *Pometum,* tum *Molamaat,* sive *Scintillas,* tum in alia argumenta edidit Saadius carmina plura, quorum tam iucunda est lectio, ut supremi Orientis reges et proximi regibus proceres iis ad punctum temporis carere non possint, eosque in sinu gerant aureis descriptos litteris, et appictis iconibus exornatus (1).

***

Natura fuit Saadius tristi atque recondita. Sed quoniam vergentia nimis unam in partem, nisi bruta sint et inanima, in aliam plerumque reflectuntur, idcirco fiebat ut ille aliquando iocis animum solveret. Decessit Saadius maximo natu. Sunt enim qui ad annum vicesimum et centesimum vitam protraxisse narrent. Alii non ita multis annis saeculum dicunt esse transgressum. Omnes tamen ei vivacitatem saeculo maiorem tribuunt. Nec pompa sepulcri caruit, illam quamvis poeta despiceret. Scirae mons imminet, quem Persae *montem vestigiorum prophetae* sua lingua vocitant. Impressa putant ab Elia, cui mira religione persicum nomen obstringitur (2). Ibi conditur Saadius: sepulcroque adiacet hortus, piscosis aquis irriguus, in quibus porrecta saepe a convenis esca saginati pisces tuto ac beatissime per homines quidem Persas degunt. Captare enim, aut quavis ratione laedere innantes lacum Saadio attributum, id illi nefas esse arbitrantur, eorumque piscium in violatores, ut sacrilegii compertos, poenas asperrimas statuunt (3).

(1) Haec de honore, in quo apud reges ac proceres Saadii est liber, a Gentio traduntur. Quid homines sortis minus excelsae?

Illi quidem, de Persis loquor, in calidae potionis tabernis Saadii et *Hafesii*, qui persicae poeseos alterum lumen est, intento animo carmina meditantur. *Considentium is, qui libro* (Saadii aut Hafesii) *instructus est, epiphonema attentis sociis praelegit, mox librum claudit, ut meditandi spatium indulgeat: tum lectionem iterat, interposita subinde ad meditandum mora; donec interveniat, quod lectionem interrumpat, vel dissolvat consessum.* Ita Kaempherus *Amoenit. Exoticar.* Fascic. 2, Relat. 7, § 3.

(2) Non haec (teste *Chardino, Voyag. en Perse tom. 3, pag. 143)*, de vestigis Eliae eo loci impressis increbuit opinio apud Persas, quod ibi sacrum vatem moratum esse, aut morari arbitrentur; sed quod vita functus, sic enim putant, interdum se illo ex monte miraculo attonitis videndum praebuerit.

(3) Poena capitis interdictum esse, ne quis ex eo lacu pisces attingat, deque hoc valde sollicitos esse Dervisios, quibus assurgit prope Saadii sepulcrum domus, narrat Thevenotius *Suite de Voyage au Levant Part* L. 1 C. 2. Qui tamen soluti animum religione erga Saadium ex aliis illuc regionibus accedunt, ferocem Dervisiorum sollicitudinem aliquando fallunt; corruptoque per pecuniam villico, qui horto ac lacui a Dervisiis praeficitur, gratum sibi ex illis piscibus obsonium parant. Bene ac lepide techna eiusmodi successit *Chardinio* ut ipse meminit *loco cit.*, sed valde infeliciter, ut idem testatur, cuidam Armeno, qui haud conciliato sibi nummis villico suffurari clanculum eos pisces est ausus. Deprehensus enim in ipso flagitio, totaque usque ad tribunal via fustibus insequentium contusus ac lacer, a Praetore irarum ac cupidatis pleno, poenam duplicem tulit. Coactus nimirum est illico nummos ei scutatos centum solvere; eiusdemque iussu postero die in pedum plantis, unde sensus doloris toto corpore acerrimus excitatur, verberibus est trecentis affectus. Tam magno ibi stat saadianos pisciculos concupiscere!

SAADII PERSICI POETAE FABULAE

(LATINE VERTIT F. GUADAGNI)

I.

LYNX PERSICA.

Subiecti monent versus, ira turgidum
Ne adire sit cupido summatem virum.
Persidem colit Lyncis pusillae genus,
Quadrupedantum quae belluarum arbitro
Leoni officium solers impendit. Suo
Namque ei labore praedam vestigat cava
Per antra et lucos; mox deprensam, potest
Quo utcumque indicio, regi demonstrat, canum
Vis fida ut nobis assolet venantibus.
Ast ea Lynx intervallis quam longissimis
Praecurrit dominum. Rogavit quidam: obsecro,
Quid regem non accedis, ut in intimis
Is te habeat, ac pro meritis, perspecta et fide,
Aulae inter comptos administros niteas?
Lynx contra: Ni colligeret facile iram Leo
Corde aestuante, ac protinus effunderet,
Dentibus obterendo quicumque minus
Vel nutu quodam, quodam vel facto placent,
Adirem, circumstarem lubentissume.

II.

TAPETUM ET VEXILLUM MILITARE.

Hoc etiam discas, cura graviore affici
Qui summa petunt, quam qui in imo resident.
Tapeti quem premebant substratum pedes,
Vexillum invidit militare (Adrepere
Queis non pectoribus audeat invidia,
Si vel inanimis virus inspirat suum?)
Ille quod certo domi maneret loco
Puellas inter, bellos inter pueros,
Nulli calcandus unquam impuris soleis;
Haud ferret pluviam, haud solem, haud ventos turbines,
Haud iras bellatorum furentum; sibi
Quae assidue perpetienda dolebat. Luis,
Tunc Tapes inquit, poenas arrogantiae,
Qua tete iactas. Nempe gaudes frivolis
Auris, turgentem laxas atque illis sinum,
Et vertice lacessis erecto polum.
Ast ego iacere humi non duco probrum,
Nil posco mihi; mihi nihil arrogo.
Moribus istis empta haec est securitas.

III.

MAGNIFICENTIA SEPULCRI RES INANIS.

Inter pueros, quorum alter dives opibus,
Alter erat in pannis et inopia,
Decesserat mature quibusque pater,
Ortum est iurgium, ut solet illi aetatulae.
Dives sic increpare: Tun'mecum? At vide
Quam secus iacent nostri parentes. Meo
Marmora sunt advecta ex oris ultimis;
Excisaeque columnae. Sepulcro decus
Opera tessellata addunt, et aureae,
Quae viri nomen, gesta et produnt, litterae.
Estne honor patri adsimilis impensus tuo?
Adspersus iacet vix pugillo pulveris.
Aemuli fastum ioco contundens puer
Pauperculus haec contra: Longe est melius
Parenti meo, cui, in caelum ut evadere
Cito contingat, nil moram ingratam facit,
Dum levissimum quid sustinet tegminis,
Quam patri tuo, grave qui pondus sustinet,
Mole et tardatur tanta, ne Olympum petat.

IV.

VULPIS FUGIENS.

Calamitosa est res criminis argui,
Iniustam dicam licet impingant. - Gravi
Exanimata metu vulpis celerabat fugam.
Quo ruis? Cor praetrepidum cur salit tibi?
Sic percontanti vulpis: Circum omnia boant
Vasto tumultu, dum servitii laqueos
Agresti venatores camelo parant.
Inde mihi timor iste meus ac praeceps fuga.
— O te minorem cerebro! O vulpeculam
Blennorumque et bucconum stolidissimam!
Quid tibi cum camelo? Quam non geminae!
Quam tu distantis formae, molis, indolis!
— Tace, inquit sagax animal: mî infestus homo
Si falsam rem distulerit de industria,
Nocendi et studio, me camelum dixerit,
Insiliet in me statim venantum globus;
Et, credo, aut nunquam me dimittent cavea,
Aut sero nimium reserabunt ostium.

EX ITALIS URBIBUS

Antonio Manno historico tributi honores.

Augusta Taurinorum tota est in honoribus decernendis **Antonio Manno,** viro clarissimo inter Regni senatores adlecto, ob eius quinquagesimum matrimonii annum cum Heleonora Cordero ex comitibus de Vonzo in Subalpinis.

Ipse enim, Iosephi filius, paternis vestigiis insistens, multa praeclaris virtutibus nitentia volumina edidit, quae ad illustrandam Subalpinorum praesertim historiam spectant. Mirum sane qua arte, qua caritate in suos quid in eorum decus cerneret, nullo intermisso labore, in unum corpus collegit, una animis voluntate, ut suus honor cuique foret. Si pater inclaruit historia *de Sardis*, atque sapido illo volumine *De verborum fortuna* conscripto, filius haud morituram sibi gloriam comparavit plurimis libris, quos ad enucleandam hanc vel illam Subalpinorum rerum notitiam, data occasione, composuit. Eius volumina, gravitate iudicii atque acerrimo documentorum studio inquisita, magnis doctorum laudibus accepta, unicuique sapienti maxime semper adprobata fuerunt.

Quapropter omnes huiusce clarissimi viri amici audatoresque hanc faustam quinquagesimi anniversarii eius coniugii nacti, ut in communem familiarium laetitiam quod intimius in aedibus inter filios atque nepotes fieri consuevit, una simul convenerunt ut complura ederent in eius laudem et coniugis, quae, tot virtutibus praedita, hilaritatem semper domi obtinuit filiosque mirum in modum ad patriae decus ornamentumque educavit et aluit.

Cum multis illis, qui clarissimum virum amoris gratia honorisque scriptis his diebus decoraverunt, *Vocis Urbis* scriptores, laeti et ipsi atque alacres, Ei, cum coniuge eius prudentissima, omnia fausta in aevum ominantur.

SUBALPINUS.

PAROEMIAE SIVE ADAGIA

Equis albis procedere

Ubi quem aliis quapiam in re longe superiorem significabant, longoque anteire intervallo, eum albis equis procedere Latini dicebant, vel quod antiquitus equi albi meliores haberentur, vel quod victores in triumpho albis equis vectari solerent, vel quod albi equi fortunatiores et auspicatiores esse crederentur, ut ad equestre certamen referamus metaphoram. Quod quidem indicat Appuleius, quum ait: « Postquam ardua montium et rorida cespitum et glebosa camporum emersi, me equo indigena peralbo vehens, iam eo quoque admodum fesso». Neque enim temere addit: «vel indigena»; id est «Thessalico vel albo»; nam utrumque pertinet ad emphasim pernicitatis. Horatius in *Sermonibus*, de Persio quodam:

Durus homo, atque odio qui possit vincere regem
Confidens, tumidusque adeo sermonis amari,
Sisennas, Barros ut equis praecurreret albis.

Erant autem Sisenna et Barrus homines quidam insigni maledicentia; etiam si Acron barros legit ut sit epitheton. Neque dissimile huic Plautinum illud in *Asinaria:* « Nam, si huic occasioni tempus sese subterduxerit, nunquam aedepol albis quadrigis indipiscet poeta ».

EX SACRIS CONGREGATIONIBUS ROMANIS

SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE

Ex Congregatione Rituum.

Circa « Motum Proprium » SSmi. « De diebus festis » (1).

SSmus. D. N. Pius PP. X, nonnullorum Antistitum votis clementer deferens, per decretum *Urbis et Orbis* a S. Rituum Congregatione vulgatum d. XXIV mens. Iulii MCMXI, valiturum etiam pro Familiis Regularibus et Ecclesiis, ritu latino a Romano diverso utentibus, et firmo remanenti *Motu proprio* de quo supra quoad reliqua Festa, statuere et decernere dignatus est, ut:

I. Festum Natale S. Ioseph, die 19 Martii, sine feriatione et sine Octava, sub ritu duplici primae classis recolatur, adhibito titulo: *Commemoratio Solemnis S. Ioseph Sponsi B. M. V., Confessoris.*

II. Festum Patrocinii eiusdem S. Ioseph Dominica III post Pascha, sub ritu duplici I classis cum Octava, addita Festi primarii qualitate, recolatur sub titulo: *Solemnitas S. Ioseph, Sponsi B. M. V., Confessoris, Ecclesiae Universalis Patroni.*

III. Diebus infra Octavam et die Octava Solemnitatis S. Ioseph adhibeatur Officium, uti prostat in Appendice Octavarii Romani.

IV. Festum Sanctissimae Trinitatis, Dominicae I post Pentecosten affixum, amodo sub ritu duplici primae classis recolatur.

V. Festum SSmi. Corporis Christi celebretur, absque feriatione, sub ritu duplici primae classis et cum Octava privilegiata, ad instar Octavae Epiphaniae, feria V post Dominicam SSmae. Trinitatis, adhibito titulo: *Commemoratio Solemnis Sanctissimi Corporis Domini Nostri Iesu Christi.*

VI. Dominica infra Octavam huius festivitatis, in Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis, recitato Officio

(1) Cfr. num. sup.

cum relativa Missa de eadem Dominica, unica Missa solemnis cani potest, uti in festo, cum *Gloria*, unica Oratione, Sequentia, *Credo* et Evangelio S. Ioannis in fine. Ubi vero non adsit Missae Conventualis obligatio, addatur sola commemoratio Dominicae sub distincta conclusione, eiusque Evangelium in fine. Hac vero Dominica peragatur solemnis Processio cum SSmo. Sacramento praescripta in Caeremoniali Episcoporum, lib. II, cap. XXXIII.

VII. Feria VI post Octavam celebretur, ut antea, Festum Sacratissimi Cordis Iesu, sub ritu duplici primae classis.

— Per decretum d. XXVIII eiusdem mens. Iulii eadem S. Congregatio haec insuper statuit et declaravit:

I. Quum Festum Nativitatis S. Ioannis Baptistae in posterum celebrandum sit Dominica immediate antecedente festum Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, ac proinde duae Octavae simul occurrere possint; hoc in casu agatur Officium de Octava Navitatis S. Ioannis cum commemoratione Octavae SS. Apostolorum.

II. Vigilia Nativitatis S. Ioannis Baptistae affigatur Sabbato ante Dominicam quae praecedit Festum SS. Apostolorum Petri et Pauli. Quando in hoc Sabbato simul occurrant Vigilia Nativitatis S. Ioannis et Vigilia SS. Apostolorum, fiat Officium de prima cum commemoratione alterius in Missa tantum. Si vero in hoc Sabbato incidat Festum sive Officium ritus duplicis aut semiduplicis, nona lectio erit de Vigilia Nativitatis S. Ioannis, et in Missa fiat commemoratio utriusque Vigiliae.

III. In Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis, in casu praecedenti, dicatur post Nonam Missa da Vigilia Nativitatis S. Ioannis cum commemoratione Vigiliae SS. Apostolorum. Si vero occurrat festum IX lectionum, dicantur duae Missae Conventuales, una de Officio currenti post Tertiam, altera de Vigilia Nativitatis S. Ioannis post Nonam, cum commemoratione Vigiliae SS. Apostolorum.

IV. Si Festum Nativitatis S. Ioannis Baptistae incidat in diem 28 Iunii, secundae Vesperae integrae erunt de hac solemnitate, cum commemoratione sequentis festi SS. Apostolorum, iuxta Rubricas.

V. Quum ex Decreto *Urbis et Orbis* diei 24 Iulii 1911 ad instar Octavae Epiphaniae sit privilegiata Octava Commemorationis solemnis Sanctissimi Corporis D. N. I. C., infra hanc Octavam prohibentur etiam tum Missae votivae pro sponsis, tum Missae cum cantu de Requie pro prima vice post obitum, vel eius acceptum nuntium; die vero Octava prohibentur Missae privatae de Requie, quae die, vel pro die obitus alias cum exequiali Missa permittuntur.

VI. Missa cum cantu de Requie die, vel pro die obitus, aut depositionis, praesente, insepulto, vel etiam sepulto, non ultra biduum, cadavere, vetita est in sequentibus Festis nuper suppressis, nempe Commemorationis solemnis Sanctissimi Corporis Christi, Annuntiationis B. M. V., Commemorationis solemnis S. Ioseph, et Patroni loci.

VII. Item praedicta Missa inhibetur in Festis Solemnitatis S. Ioseph, Sanctissimae Trinitatis, et in Dominica in quam transfertur solemnitas externa Commemorationis SSmi. Sacramenti.

Ex Commissione Pontificia de Re Biblica.

De auctore, de tempore compositionis et de historica veritate Evangelii secundum Matthaeum.

Propositis sequentibus dubiis Commissio Pontificia « de Re Biblica » ita respondendum decrevit die XIX mens. Iunii MCMXI:

I. Utrum, attento universali et a primis saeculis constanti Ecclesiae consensu, quem luculenter ostendunt diserta Patrum testimonia, codicum Evangeliorum inscriptiones, sacrorum librorum versiones vel antiquissimae et catalogi a Sanctis Patribus, ab ecclesiasticis scriptoribus, a Summis Pontificibus et a Conciliis traditi, ac tandem usus liturgicus Ecclesiae orientalis et occidentalis, affirmari certo possit et debeat Matthaeum, Christi Apostolum, revera Evangelii sub eius nomine vulgati esse auctorem? — *Resp.* Affirmative.

II. Utrum traditionis suffragio satis fulciri censenda sit sententia quae tenet Matthaeum et ceteros Evangelistas in scribendo praecessisse, et primum Evangelium patrio sermone a Iudaeis palaestinensibus tunc usitato, quibus opus illud erat directum, conscripsisse? — *Resp.* Affirmative ad utramque partem.

III. Utrum redactio huius originalis textus differri possit ultra tempus eversionis Hierusalem, ita ut vaticinia quae de eadem eversione ibi leguntur, scripta fuerint post eventum; aut, quod allegari solet Irenaei testimonium (*Advers. haeres.*, lib. III, cap. I, n. 2), incertae et controversae interpretationis, tanti ponderis sit existimandum, ut cogat reiicere eorum sententiam qui congruentius traditioni censent eamdem redactionem etiam ante Pauli in Urbem adventum fuisse confectam? — *Resp.* Negative ad utramque partem.

IV. Utrum sustineri vel probabiliter possit illa modernorum quorumdam opinio, iuxta quam Matthaeus non proprie et stricte Evangelium composuisset, quale nobis est traditum, sed tantummodo collectionem aliquam dictorum seu sermonum Christi, quibus tamquam fontibus usus esset alius auctor anonymus, quem Evangelii ipsius redactorem faciunt? — *Resp.* Negative.

V. Utrum ex eo quod Patres et ecclesiastici scriptores omnes, imo Ecclesia ipsa iam a suis incunabulis, unice usi sunt, tamquam canonico, graeco textu Evangelii sub Matthaei nomine cogniti, ne iis quidem exceptis, qui Matthaeum Apostolum patrio scripsisse sermone expresse tradiderunt, certo probari possit ipsum Evangelium graecum identicum esse quoad substantiam cum Evangelio illo, patrio sermone ab eodem Apostolo exarato? — *Resp.* Affirmative.

VI. Utrum ex eo quod auctor primi Evangelii scopum prosequitur praecipue dogmaticum et apologeticum, demonstrandi nempe Iudaeis Iesum esse Messiam a prophetis praenuntiatum et a davidica stirpe progenitum, et quod insuper in disponendis factis et dictis quae narrat et refert, non semper ordinem chronologicum tenet, deduci inde liceat ea non esse ut vera recipienda; aut etiam affirmari possit narrationes gestorum et sermonum Christi, quae in ipso Evangelio leguntur, alterationem quamdam et adaptationem sub influxu prophetiarum Veteris Testamenti et adultioris Ecclesiae status subiisse, ac proinde historicae veritati haud esse conformes? — *Resp.* Negative ad utramque partem.

VII. Utrum, speciatim solido fundamento destitutae censeri iure debeant opiniones eorum, qui in dubium revocant authenticitatem historicam duorum priorum capitum, in quibus genealogia et infantia Christi narrantur, sicut et quarumdam in re dogmatica magni momenti sententiarum, uti sunt illae, quae respiciunt primatum Petri (Matth., XVI, 17-19), formam baptizandi cum universali missione praedicandi Apostolis traditam (Matth. XXVIII, 19-20), professionem fidei Apostolorum in divinitatem Christi (Matth. XIV, 33), et alia huiusmodi, quae apud Matthaeum peculiari modo enuntiata occurrrunt? — *Resp.* Affirmative.

Rationis periclitandae doctrinae Candidatorum ad Academicos Gradus in Sacra Scriptura, pars altera (1).

DE IPSIS EXPERIMENTIS

1) AD CONFERENDUM PROLYTATUM

Art. I. — De periculorum tempore deque petitione a Candidatis facienda.

1. — Candidatis ad Prolytatum, itemque ad Lauream, probandis duplex habetur iudicum sessio, mense Novembri et mense Iunio, id est ineunte et exeunte anno scholastico.

2. — Candidati petitionem Rmo. Consultori ab Actis exhibeant et quidem ante finem mensis Iunii, qui volunt in sessione prima periculum doctrinae facere; ante finem Aprilis, qui in altera.

3. — In petitione Candidatus, praeter nomen, cognomen, domicilium suum, indicet etiam ubi et quo die ad sacerdotium sit promotus, atque ubi et quo die sacrae Theologiae lauream consecutus. Idem petitioni litteras commendatitias adiungat Ordinarii sui vel, si e religioso ordine institutove sit, antistitis manu subscriptas. Horum autem documentorum inspectionem sibi Pontificia Commissio reservat.

4. — De diebus periculorum destinatis Candidati tempestive certiores fiunt.

Art. II. — De lingua in experimentis adhibenda. Experimenta iis, qui Prolytatum petunt — item qui Lauream — latine danda sunt; nisi cui alia lingua permittatur uti.

(1) De parte I cfr. *Vox Urbis* an. XIV (MCMXI) n. IV pag. 59 et seq.

Art. III. — De experimentis scriptis.

1. — Experimentum scriptum complectitur: *a*) Dissertationem exegeticam de textu aliquo Evangeliorum vel Actuum; — *b*) Scriptionem de quopiam argumento ex historia biblica iuxta materiarum indicem in adnexo folio descriptum; — *c*) Scriptionem de aliquo argumento Introductionis generalis vel specialis ibidem pariter assignato. Ad hanc geminam scriptionem conficiendam bis tres horae conceduntur; sex autem ad dissertationem, cui propterea duplex tribuitur valor.

2. — Dissertatio et scriptiones sunt sine cuiusvis libri adminiculo conficiendae, praeter Scripturae textum et concordantias, quorum exemplar cuivis Candidato ab ipsa Commissione, sed pro dissertatione exegetica dumtaxat, traditur.

3. — Quod attinet ad modum argumentum exegeticum tractandi, magna relinquitur Candidatis libertas. Sciant tamen ab iis non requiri oratoriam quamdam amplificationem; sed tractationem scientia et ratione confectam, quae litteralem scilicet expositionem propositi textus exhibeat, cum conclusionibus doctrinalibus, comparatione locorum consimilium, interpretatione praecipuarum variarum lectionum, explanatione antilogiarum, quae vel inter textum et versiones, vel inter eiusdem textus locutiones occurrant.

Art. IV. — De experimentis quae viva voce fiunt.

1. — Verbis Candidatus unum pluresve locos Evangeliorum, Actuum, Epist. ad Romanos et II Epist. ad Corinthios graece, atque unum pluresve locos librorum Regum hebraice ex tempore interpretari debet.

Praeterea de historia Antiqui et Novi Testamenti; de Instructione speciali; de quaestionibus Introductionis generalis in memorato indice assignatis; demum ad iudicum arbitrium, de argumento in scriptionibus evoluto, interrogatur.

2. — Experimentum quod voce fit duas complectitur horas, id est bis semihoram pro parte graeca et hebraica, et ter viginti momenta pro altera.

Art. V. — De notis seu punctis deque conditionibus ad successum requisitis.

1. — Singulis utriusque experimenti partibus aequalis tribuitur punctorum numerus, id est viginti, quae tamen puncta in experimento linguae hebraicae et graecae, necnon dissertationis exegeticae duplum valorem habent.

2. — In qua materia Candidatus duodecim puncta tulerit, in ea se satis iudicibus probasse sciat.

3. — Ad felicem exitum utriusque experimenti requiritur, ut Candidatus ad mensuram modo descriptam in singulis materiis bene responderit.

4. — Qui eam mensuram in singulis materiis experimenti scripti non attigerit, ad tentandum orale experimentum non admittitur.

5. — Qui vero felicem exitum in scriptis habuit, etsi in experimento verbali deficiat, ei experimentum scriptum iterandum non est.

6. — Nemo experimentum eius materiae iterare debet, in qua sedecim puncta tulit, nisi in materiis plus duabus ceciderit, aut in duabus, quae ad eamdem experimenti partem pertineant, scilicet ad utramque linguam hebraicam et graecam, vel ad alias experimenti materias.

7. — Qui iterato experimento, sive scripto sive verbali, iterum cecidit, pericula nunquam postea tentare sinitur. Iterare autem experimentum nisi in sequenti aliqua sessione non licet, salva speciali venia ab Eminentissimo Cardinali Praeside impetranda.

8. — Qui in utroque experimento sic se probavit, ut, partitione punctorum facta, tres quartas summae partes retulerit, is ius ad honorificam sui mentionem acquirit.

Art. VI. — De expensis a Candidatis faciendis.

1. — Candidati ante experimentum summam centum et viginti libellarum solvere tenentur, centum scilicet pro ipso experimento et viginti pro diplomate aliisque necessariis sumptibus.

2. — Candidatis quibus experimentum haud bene successit, summa septuaginta libellarum restituetur, quod si in scriptis satis fecerint iudicibus, non eis restituentur nisi libellae viginti.

3. — Qui experimentum verbale iterum tentant, sive ex integro, sive ex parte, solvant viginti libellas pro diplomate aliisque expensis et insuper libellas decem pro singulis experimenti materiis.

(Ad proximum numerum).

DIARIUM VATICANUM

(Mense Augusto MCMXI).

Coram SSmo. admissiones.

Nimio tempestatis aestu defatigatus, atque podagrae doloribus in genu dextero cruciatus, SS. D. N. Pius PP. X, per fere omnem Augustum mensem, medicorum et intimorum suorum consilio, admissiones coram se intermisit.

Pontificiae electiones.

Provisio ecclesiarum. — Per decreta S. Congregationis Consistorialis SSmus. has quae sequuntur ecclesias de proprio pastore providit, scilicet: Cathedrali ecclesiae Achadensi praefecit sacerdotem Patritium Morrisroe, decanum disciplinae in collegio Maynoothiano; Cathedrali ecclesiae Dallassensi sacerdotem Iosephum Patritium Lynch, eiusdem dioecesis, rectorem ecclesiae S. Eduardi in urbe Dallas; Cathedrali ecclesiae S. Agathae Gothorum rmum. Alexium Ascalesi, hactenus episcopum Muranum; Cathedrali ecclesiae Zamboangensi sacerdotem Michaelem O' Doherty, dioecesis Achadensis, rectorem collegii Hibernorum penes urbem Salamanticam; Cathedrali ecclesiae Natchetensi sacerdotem Ioannem E. Gunn, Societatis Mariae, rectorem ecclesiae sanctissimi Cordis Iesu in civitate Atlanta, dioecesis Savannensis; Titulari ecclesiae episcopali Comanensi rmum. Raphaelem Sandrelli, hactenus episcopum Burgi S. Sepulchri; Titulari ecclesiae episcopali Scillitanae sacerdotem Ramirum Fernandez y Valbueno, archidioecesis Toletanae, ibidem canonicum poenitentiarium metropolitanae ecclesiae, quem constituit Auxiliarem Emi. Cardinalis Iosephi Maria Martin de Herrera y de la Iglesia, archiepiscopi Compostellani.

Brevi autem Apostolico r. d. Ioseph Maria Aloysius Henricus Bigolet e Seminario Parisiensi pro Missionibus ad exteras gentes, Episcopus titularis Antiphrarum et Coadiutor cum iure successionis r. p. d. Petro Mariae Gendreau, Vicario Apostolico Tom-kim occidentalis, electus est.

Nominationes Praefectorum Apostolicorum. — Decreto S. Congregationis de Propaganda Fide nominati sunt: r. p. Fulgentius a Gerardo Montes, ex Ordine Minorum S. Francisci Capulatorum, Praefectus Apostolicus de Ubanghi Belgico, et r. p. Aemilius Callawaert, e Congregatione S. Spiritus, Praefectus Apostolicus de Katanga Septemtrionali.

Vita functi viri clariores.

Die VI mens. Augusti in castro Kranichberg ad Gloggnitz, Eminentissimus **Antonius Iosephus Gruscha,** Archiepiscopus Vindobonensis, Sacri Purpuratorum Patrum Senatus Nestor. Humili genere natus erat Vindobonae an. MDCCCXX, fuitque vir magni animi et consilii, scientia atque industria caritate insignis.

— d. XV Sydney in Australia Purpuratus Pater **Franciscus Patritius Moran,** illius Metropolitanae Ecclesiae Archiepiscopus, Leighlinbridge in oppido natus an. MDCCCXXX. Romae in Hybernorum collegio institutus fuit et Hebraicam linguam in Urbano collegio de Propaganda Fide docuit. Albensis episcopus electus an. MDCCCLXXI et ad Australiae metropolitanam promotus an. MDCCCLXXXIV, Cardinalis S.R.E. dictus est in Concistorio d. XXVII mens. Iulii MDCCCLXXXV, titulo S. Susannae ad Thermas.

ANNALES

Mauritanae res.

Inter dubia, quae Mauritana quaestio, ad aeternitatem spectans, quotidie obiicit, id etiam fuit, fore ut alius «internationalis» conventus congregaretur, qui profecto eius solutionem retardaret, immo difficiliorem redderet. Huiusmodi vox ex obstaculis proficere videbatur unde discriminis inter Germaniam et Galliam directa compositio impediretur, et timore etiam, ne ipsa compositio Algecirense foedus ita immutaret, ut ad eam confirmandam omnium civitatum, quae foederis eiusdem participes fuere, interventus requireretur. Novissimi vero nuncii contrariam fidem induxerunt: quamvis enim lata ora, ut ita dicam, intercedat adhuc inter privilegia a Germania petita et ea quae Galliae mens est concedere, de praecipuis tamen ex compacto agitur; quod si utrinque bona voluntas accesserit, partes non sine magna difficultate in omnibus denique convenient.

***

Balkanicum discrimen.

Turcarum imperium superatam omnino putat atque declarat Albanensium seditionem ob Melissores tandem spon'e subiectos, et perfugas ex Nigro Monte, quo confugerant, in patriam reversos. Non timet equidem Myrditarum rebellionem nondum sedatam neque crabrones a se proximis hisce diebus irritatos; Cretenses incolas dicimus, quos ipsa publice atque inconsulto de novis conatibus accusavit ad optatam cum Graecia matre unionem tandem aliquando assequendam. Prudentia tamen civitatum insulae tutelam habentium aquam igni extinguendo parem statim induxit.

***

Ex Lusitania.

Nova in Lusitania constitutione rata habita, in qua, inter multa inter se contradicentia et cum aequitate palam pugnantia, capitis poena omnesque aliae, quae corpus affligerent, abrogata sunt, vetitumque tum opificibus ius ab operibus ex condicto recedendi, tum dominis contra operariorum arrogantiam concludendi ex consulto officinas, ac denique statutum ut reipublicae praeses quarto quoque anno plenis publicorum legatorum comitiis eligeretur, ad hoc munere fungendum vocatus est Emmanuel de Arriaga, vir antiquae fidei popularis, iuris peritus insignis et probabilis poeta. Aequo etiam animo eum esse affirmant, quod tamen ex eius gestis comperiemus.

PUBLICI PER ORBEM COETUS
legibus ferendis

In **Anglia** lex de finibus circa iura populi legatorum et procerum definienda tertio adprobata, discrimenque inter utrumque coetum tandem compositum.

In **Bulgaria** ad mensem Octobrem nova comitia indicta.

In **Hungaria** lex de re militari adhuc agitatur, frustra adversariis administrorum collegium omni ratione provocantibus.

In **Perside** non humana profecto lege, merces ei decreta, qui caput Mahamed Ali, Caesaris quondam ad imperium recuperandum nunc satagentis, abscissum sit allaturus.

PER ORBEM

Die II mens. Augusti MCMXI Germanorum iuvenum globus, in athenaeis studiis vacantium, Italiam peregre profectorum, Romam advenit a collegis Urbani athenaei festive acceptus.

— d. III Annecii, a duobus Purpuratis Patribus, Episcopis viginti atque advenarum viginti millibus in novum cathedrale templum reliquiae Sanctorum Francisci Salesii et Ioannae de Chantal sollemni pompa transferuntur.

— d. IV Reinold Begas, Teutonum sculptorum Nestor, Berolini obit.

— d. V Frey aviator, a collapsu in Ciminis montibus sanitati restitutus, Ronciglione oppidum, ovantibus civibus et gratulantibus, relinquit, et in Galliam suam redit.

— d. VI Valentiae castrum corruit, domus aliquot circum earumque habitatores nonnullos misere sepeliens.

— d. VIII ad Tarentum ignescentis pulveris depositum ex improviso incenditur, immenso quidem fragore, at nulla hominum iactura.

— d. IX Teutonum catholicorum annuus conventus Moguntiae congregatur, cuius in partem quingenta millia hominum veniunt.

— d. XI La Vallène, in oppido Alpium maritimarum, vita fungitur Henricus von Poschinger historicus, Bismarckii, viri illius civili prudentia ornatissimi, familiaris.

— d. XII loricata Italorum navis, cui nomen a S. Georgio, in submarinos scopulos Neapolitani sinus offendit lateque diffinditur.

— d. XIII Basileae ferriviarum statio incendio diruitur.

— d. XIV incendia pariter nunciantur per Belgarum lucos violenter saevire.

— d. XV ad Haghia Triada, Cretensis insulae oppidum, pervetustam Minoicae aetatis urbem archaelogica Italorum missio reperit, eiusque vestigia luci restituit.

— d. XVI Edmundus Rostand, Gallicus ille poeta valde celebratus, in automobilis currus fortuito casu graviter ad Cambo oppidum vulneratur.

— d. XVII in Anglia operariorum magnae turbae ex condicto a laboribus se abstinentium tumultus passim excitant, quos militari manu cohibere oportet.

— d. XVIII Chicagine ex urbe nuntium pervenit Badger et Iohnstone aviatores mortem infelici fato obiisse.

— d. XIX Italica speculatoria navis *Quarto* prospere in mare Venetiis immittitur.

— d. XX quies, ab opificum desertionibus turbata, per Angliam omnem restituitur.

— d. XXII Leonardi da V nci praeclarum opus, *Iucundae* sive *Elisae matronae* nomine cognitum, ex Louvre museo ad Lutetiam Parisiorum, ubi asservabatur, furto subripitur.

— d. XXIII noctu coorta tempestas ac caeli ruina per Longobardos lacus et vallem Tellinam immensam tum rerum, tum hominum ruinam apportat.

— d. XXIV «internationalis» lingua et auribus captorum conventus Romae habetur.

— d. XXV Bienen, in oppido ad Posen, dum sacrae supplicationes habentur, templi pars delabitur octoginta circiter fideles in ruinas trahens, quorum viginti tres cadavera extrahuntur, sexaginta vulne a passi.

— d. XXVI ad Schgvalleg oppidum curruum series vapore actorum, ferreis axibus suo loco improviso semotis, e ponte quodam in praeruptum praecipitat cum multa viatorum caede.

— d. XXVII novae ex opificum desertionibus rebelliones ex Anglia nunciantur.

LIBRORUM RECENSIO

FRANCISCI XAV. REUSS, Sac. e Congr. SS. Redemptoris, *Tentamina poetica*. Romae, typis Cuggiani, MCMXI. — (Vol. in 12, pag. 368. — Pret. lib. 2, 50).

Auctor ille, lectoribus nostris iamdiu cognitus, nuperrime sub hoc titulo in unum collegit volumen carmina centum, quae varias per occasiones separatim ediderat. Quo in libro non aliena refert poemata, latine tantum a se reddita — uti fecerat ante in *Carminibus S. Alfonsi M. de Ligorio*, et in *Fabulis selectis Ioannis La Fontaine* — sed fructus exhibet suomet in horto satos atque enatos.

Quae quidem carmina « Vox Urbis » fere omnia in suis iam vulgavit columnis. Nunc tamen emendatiora prodeunt passimque retractata, ac praeterea certo ordine disposita: divisa nempe in partes quatuor, quarum prima complectitur *Carmi a praem'o vel laude ornata;* secunda, *Carmina sacra,* ceteris frequentiora; tertia, *Ca mina gratulatoria;* postrema tandem, *Carmina de variis argumentis.*

Hunc librum auctor, habita prius venia, Pio X Pontifici Maximo versibus hisce Catullianis dedicavit:

I nunc, parve liber, meosque versus,
quos (tironis opus) sinu recondis,
offer, munus inops, Patri benigno,
orbis quem DECIMUM PIUM *salutat.*
Dices: « Ecce Tibi corolla florum,
quos non texuit ars, nec educavit
hortus nobilior, sed imperitus
carpsit de mediis viator agris ».
Supplex inde Patrem rogabis ut te,
ut me salvificae Crucis notare
signo ne renuat, pieque nobis
quidquid laetificum sit, adpr cetur.

Christi autem Vicario acceptum fuisse oblatum volumen, Pontificia significat Epistola auctori remissa, quae quidem sic sonat:

Dilecte Fili,

Redditum est Nobis sane libentibus volumen, quo tu conclusisti TENTAMINA POETICA: *sic enim placuit modestiae tuae latina poematia inscribi, quae tu multa et varia per occasionem edideras. Equidem novimus horum carminum magnam partem: plura enim in dies Nobis faustos condidisti; alia, ut condideras, Nobis muneri mittebas: ex eis vero non te tironem aut rudem esse in hoc genere intelleximus, sed limatulum politumque ac probe vel facultate ingenii vel doctrinae elegantia instructum. Itaque haud aegre a Nobis impetrasti, ut id vulgando volumen nomini Nostro dedicares. Iam, quod rogas, ut et operi et auctori bene precemur, utrumque facimus ex animo: ac primum longe lateque cupimus hic vagetur liber, et religionis sanctae, qua flagrat omnis, igniculos iaciat. Tum tibi optamus, ut in multos annos liceat, ut consuevisti, severiores curas studio interpellare poeticae sacrae, cuius quidem laude te florere, alumnum Alfonsi Patris, admodum decet. Auspicem autem divinorum munerum, tibi apostolicam benedictionem, dilecte Fili, amant ssime impertimus.*

Datum ex aedibus Vaticanis IX cal. sextiles an. MCMXI.

PIUS PP. X.

Nos vero dum auctori socioque nostro acceptum honorem ex animo gratulamur, nostra facimus verba, quibus ille suam praefatiunculam concludit, ita scribens: « In his autem elucubrationibus id mihi potissimum proposui, ut pro mea exigua parte operam darem, ne sermonis latini usus, olim litteratis hominibus cuiusque nationis familiaris, magis magisque in desuetudinem abeat: non sine magno detrimento ipsarum, quae hodie vigent, linguarum, earum praesertim, quae a latina suam ducunt originem ». Nec absonum nobis videtur consilium, a quodam gymnasii moderatore conceptum, non excludendi haec « Tentamina poetica » e delectu librorum, qui alumnis diligentioribus dono dari solent, ceu praemia anni scholastici bene peracti. Hoc enim in libro discipuli et iucunda reperient et honestissima argumenta, eaque stilo facili venustoque tractata, qui legentium animos ad amandam et colendam puram et castigatam latinitatem sponte alliciat.

AENIGMATA

I.

Arcanum volitat; *caudam* si demeris, altus
Tunc iam vi entum pectora somnus habet.

II.

Vox eadem signo leporem callemque latentem,
Viscera telluris qui tenebrosa secat.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Doctorem IOSEPHUM FORNARI, Commentarii moderatorem *(Roma, via del Governo Vecchio, 96)* miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet opus, cui titulus:

T. VALLAURI
HISTORIA CRITICA LITTERARUM LATINARUM.

Aenigmata an. XIV, n. VI proposita his respondent:

1) **Bellum; 2) Sal-Sol.**

Ea rite soluta miserunt:
Ioan. M. Meunier, *Corbiniaco.* — A. C. Peltenburg, *So t'wouds ad Leidam.* — Aug. Scriban, *Iassiis.* — Fr. Baturewicz, *Zytomiria.* — Ios. Wabner, *Varsaria Polon.* — Iac. Menendez, *Madrito.* — Barth. Ferraris, *Augusta Taurinorum.* — Petrus Tergestinus. — Fr. Xav. Ghion. *Ostunio.* — Alex. Pintauro; Vinc. Starace, *Neapoli.* — Alb. Perraud, *Lutetia Parisiorum.* — Fr. Guerra, *Aletio.* — Lud. Dubois, *Massilia.* — Rich. Broudel, *Brugis.* — St. Pini; F. Arnori, *Mediolano.* — A. Bonnin, *Aureliano.* — Paolinus a S. Iosepho, *Barcinone.* — Lud. Goux, *Bituricis.* — F. Wawer, *Marianopoli.* — Alb. Kain, *Dublino.* — F. X. M., *Dr'pano.* — Ad. Kozlowski, *Petricovia.* — Frid. Horwath, *Vindobona.* — P. Prado, *Venetiis.*

Sortitus est praemium:

PETRUS TERGESTINUS,

ad quem missum est opus, cui titulus:

ÉLÉMENTS D'ICONOGRAPHIE CHRÉTIENNE
par
LOUIS CLOQUET.

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus

ROMAE — Ex officina *Societatis Editricis Romanae.*

EUPLIUS

(10

Actio dramatica a I. B. Francesia versibus senariis exarata.

SCENA VIII.

FELIX et CALVISIANUS.

FELIX (*qui exit lente et observans*).

Calvisianus! Cur venit frugis haec bona?
Hic occultabo; olfaciam cur venerit.
Boni refert nil, mala semper alite.
Fugit hinc Ocris per posticum rapidus,
Necem daturus... Amplius non retulit...
Dolet nescire... Salvet Euplium Deus.
Audiamus.

CALVISIANUS.

Modo dixerunt obiter
Ocrim transisse, pessimum servorum genus.
Ei concreditam quid si rem dixerit?
Iuvat prudenter percunctari... Forsitan
Eum si viderit... Quid expilaverit.

FELIX (*qui se se profert*).

Tibi res prosperas deprecor a Superis.

CALVISIANUS.

Vir probe, honeste, quomodo vales?

FELIX.

Bene!
(*intra se*) Felix, adverte, se serpens insinuat!

CALVISIANUS.

Vidisti quemdam transeuntem propius
Ocrim, servum pessimum, vinoque deditum?

FELIX.

Is est! (*inter se*). Vidi. (*Clara voce*) Nunc, indulge-[bat genio!
Tulisse, aiebat, magnam vim pecuniae.

CALVISIANUS.

Sed unde dixit carpsisse pecuniam?

FELIX.

Quid ex ore ebrii scit quidpiam expiscarier?

CALVISIANUS.

Sed...

FELIX.

Is probe est!

CALVISIANUS.

Quot viros adpetentes video!
Quot clamores!

FELIX (*intra se*)

Quid secum murmurat gravis?

CALVISIANUS.

Heic nollem habere sermonis arbitros,
Ipsi ne possint aliquid praesumere,
Ex mei pectoris moti imprudentia.
Scio quot corrupti vivant istoc saeculo.
Res arguunt me rectum in perniciem (*seorsum com-[motus.*).

FELIX (*inter se*)

Hic est qui duxit Ocrim procul dubio!
Sed illum forte adhuc per tempus distuli... (*voces [civium audiuntur*).

CALVISIANUS

Quot audio voces intus adclamantium!
Quid est? (*Intus exauditur:* Io imperatori! Io Cae-[sari!
Facit qui salvam gladio rempublicam).

SCENA IX.

(*Cives ingrediuntur grassantes scenam et clamantes*).

I CIVIS.

Suis sit hostibus mors, exterminium!
Vivat imperator! Vivat in saeculum!

MAXIMUS.

(*Qui turbam civium agitat, in medium prolapsus ait*):
Ad vos lubens alloquor, cives Catanae,
Semper fuistis fulcimen imperii...
Adest nunc civibus grande periculum,
Nam nostro Caesari adsunt adversarii,
Movent qui cuncta, caelum scandunt et nubila...
Hi sunt christiani, homines turpissimi!
Adorant hominem, damnatum capitis...
Diis sed omnibus sint actae gratiae,
Quod ille nuper qui ducebat agmina,
Linebat affabre civibus labia,
(Peius ne proferam contra demortuum)
Huius reus criminis fassus est omnia.

CIVES.

Quis? Euplius? (*una simul inter se colloquentes*).

MAXIMUS.

Recte dixistis. Euplius!
Et ipse tradidit libros ad iudices,
Ab illis pronus postulavit gratiam...
Poenae sed morsibus pulsus disparuit.

I CIVIS.

Proh dolor! Ipse? Clarus tot virtutibus?

II CIVIS.

Pius, medebatur semper inopiae...

III CIVIS.

Data succurrebat nobis pecunia.

CALVISIANUS.

Christi doctrina, tandem sic cognoscitur!

MAXIMUS.

Adhuc quid ei fidem vos servabitis?

CALVISIANUS.

Iugum quod ipse vobis olim imposuit,
Quod ipse rupit, et cur vos portabitis?
Indignabundi, Catanenses, rumpite!
Quid prohibet? Nihil. Sic datis obsequium
Imperatori, donis qui nos cumulat.
Erit sic civitas denuo Catana
Suo prae ceteris cordi dulcissima.

MAXIMUS.

Vobis quid videtur?

CALVISIANUS.

Quod est consilium?

MAXIMUS.

Cadat odiosa Christi religio,
Rumpatur barbarum servitutis iugum!

(*Ad proximum numerum*).

Ann. XIV. Romae, Mense Octobri MCMXI Num. X.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Rerum index:

DISPUTATIONES PHILOSOPHICAE

MODERNISTAM INTER ET THOMISTAM

Praeter iudicium examinis seu consilii requiritur in agenti homine iudicium executionis seu electionis, sub quo continetur imperium.

Modernista. — In colloquio nostro ultimo (1), amice carissime, tu in iudicio practico asserebas, quod nempe bifariam dividebas, scilicet in iudicium consilii et iudicium executionis.

Quum igitur de hoc argumento nonnisi verbum obiter feceris, a te plura, ut a magistro meo, requirere mihi discipulo tuo liceat: siquidem quaestio huiusmodi nonnullas consequentias, et quidem egregias parere mihi visa est.

Thomista. — Ita sit prorsus, carissime. Id tamen praemoneo non de vocibus quidem, sed de rebus ipsis me acturum esse, eaque plenitudine quae sufficiens visa mihi fuerit ad argumenti enucleationem. Quapropter hic nihil disputabo de imperii natura, utrum videlicet voluntatis sit actus an vero rationis; an comprehendat electionem, vel executionem, et ita deinceps. Haec omnia dimittam, ita ut nonnisi post disputationem adhibeantur haec vocabula, quae proinde hinc significatum perspicuum sortientur.

Argumentum igitur enixo animo ineamus.

Id imprimis notandum quod passim tenent omnes, primum finis ultimi amorem nulli imperio hominis subesse, sed tantum instinctui naturae ipsius. Cuius ratio haec est, quia potentia nullo indiget imperio sive impulsu alieno ut moveatur, ubi ex natura ad proprium inclinatur obiectum; quum nempe ad praesentiam obiecti proprii sponte sua eidem adhaereat, atque in idem feratur, sicque instinctus vices imperii cuiuscumque aut praecepti suppleat. Haud secus voluntas natura propria determinatur ad ultimi finis amorem, neque proinde vi aliqua impulsiva indiget, ut in ipsum reapse tendat et feratur: sed ubicumque finis ille apparebit, ipsa proprio quasi pondere trahitur: ex qua voluntate nulli imperio subiecta vim habebunt omnia proinde alia et imperia et praecepta.

Ubi autem de electione agitur, tenendum est requiri, praeter illud iudicium consilii, quo decernitur de elegibili unius prae alio, iudicium executionis, quo praescribatur executio eius quod per consilium fuit determinatum.

Ratio autem potior asserti haec est, quod nempe iudicium consilii circa aliquid agendum supponit quidem nonnullum amorem finis, nullatenus tamen amorem finis absolutum et efficacem, qui natura propria pariat motivum sufficiens eligendi media. Hinc fit quod homo prudens, saepe saepius, ex suamet prudentia, inquirit de mediorum sufficientia priusquam determinet intendendum absolute per media finem, seu, ut ait Christus, non determinet turrim aedificandam, priusquam computaverit sumptus necessarios ad perficiendum; quin imo desistet nonnunquam ab huiusmodi concepta intentione, ubi adverterit media esse ad finem insufficientia. Unde transitus ad electionem et actum non fit nisi per iudicium executionis, additum iudicio consilii.

Quae electio sane non potest esse nisi libera. Hinc habes totius rei processum et nexum. Amor quidem finis ultimi, seu boni in communi non cadit sub imperio, quum sit ab ipsamet natura inditus, neque ulla vi impulsiva indigeat extrinseca, sed vi propria atque ex instinctu feratur naturaliter et ex se in obiectum.

Ex illo autem amore non imperato omnes alii amores imperati enascuntur. Omnia quippe bona particularia aut singularia continentur ut quaedam partes in illo bono in communi: sed quia non sunt necessario ama-

(1) Cfr. n. viii, mense Augusto mcmxi.

bilia, amores exinde enati, atque eodem modo in illo primo amore quasi virtualiter contenti, non sunt necessarii et determinati efficaciter, sed determinandi sunt aliquo iudicio, ita ut nempe homo exercite eligat medium, et dum eligit sit sui ipsius iudex, arbiter et interpres, et ita quidem ut ad ipsum pertineat non solum eligere, sed et iudicare ipsam electionem, iudicium ipsum, discernere aliquid esse eligendum prae alio simul eligibili, rescire propter quid iudicet et eligat, qua ratione unum prae ceteris eligat.

M. — Quod bene paucis verbis contraxit Angelicus tuus, hominem videlicet esse liberum quia in proprias actiones reflectere potest, easque pro merito iudicare.

T. — Bene concludis, amice dilectissime.

Quare igitur distingui probe oporteat inter iudicium examinis aut consilii, et iudicium electionis, iam nunc ex praedictis clarius ostendendum videtur.

Ratio distinctionis huius potissima est, quod nempe iudicium diversum occurrere debet pro diversitate obiecti formalis. Aliud porro est obiectum bonum ut amabile, aliud bonum ut reapse amandum et amatum. Illud enim est bonum amatum sub conditione, in quantum nempe ad finem proderit, de cuius utilitate decernitur per iudicium consilii, ut ipsamet verba prae se ferunt; istud vero est bonum absolute et exercite amandum et amatum, quia ad finem utile vel utilius declaratur ex iudicio nempe electionis.

Ex qua distinctione habes, utrumque et consilii et electionis iudicium differre. Hinc autem sponte et aliae diversitates profluunt, paucis enumerandae verbis.

Quod nempe iudicium consilii decernat de dignitate unius amabilis prae ceteris: iudicium vero electionis de debito amoris actualis et exerciti;

quod iudicium consilii potest esse obiective indeterminatum, ubi v. gr. media vel sint vel appareant aequalis vel quasi aequalis utilitatis, unde inquisitio prius necessaria est: iudicium vero electionis, quum sit de actione hic et nunc exercenda, nihil indeterminati patitur, dictatque unam numero actionem;

quod iudicium consilii medium approbet: iudicium vero electionis medium sic approbatum executioni mandet;

quod iudicium consilii retractabile est, atque de eodem appellari potest; imo potest esse sine voluntatis actu quem dictat, siquidem potest voluntas intellectum avertere ab uno iudicio, et propter alia motiva ad aliud iudicium convertere: iudicium vero electionis electionem inseparabiliter unitam habeat, ut alias in proximo scilicet colloquio fusius explanaturi sumus, si Deus dederit;

quod iudicium consilii electionem antecedit prioritate naturae, imo et prioritate durationis, ut experientia non infrequenti patet: dum e contra iudicium electionis nullimode electionem duratione praecedit, sed solum natura;

quod iudicium consilii non supponit actualem et absolutum finis amorem: dum e contra iudicium electionis supponit finem actu et absolute amatum;

quod iudicium consilii antecedit electionem: iudicium vero electionis complectitur ipsam electionem, una cum actuali cognitione;

quod denique iudicium consilii sit pura cognitio et in linea cognitionis per se sistat: quum e contra iudicium electionis inferat impetum quemdam, seu defert amorem finis ad electionem mediorum: unde voluntas sese determinat intelligibiliter ad exercitium actus.

M. — Quae omnia egregii sane momenti esse mihi videntur; sed tamen aliquatenus explananda fusius, quum vel quaedam obscura, vel saltem minus intellecta appareant propter sermonis brevitatem.

T. — Sed omnia ista inferius redibunt melius explananda, atque amplius patebunt: hic solum utriusque iudicii tum consilii, tum electionis interim naturam statuere et enuntiare intendo.

Hoc rursus additum volo, ipsum electionis iudicium duplex reapse dari: aliud nempe ex instinctu naturae, seu superioris causae. Quae distinctio necessaria prorsus est ad discernendum quid sit reipsa imperium.

Quandoque videlicet homo movetur ad actum extrinsecus, quin praesupponatur in ipso iudicante actus voluntatis, a quo procedat in actum: et tunc habetur instinctus; quandoque autem voluntas vel quaelibet alia potentia exit in actum ex actu priori voluntatis, et tunc datur imperium. Quae doctrina Angelici est, ita pronuntiantis: « Quum imperium sit actus rationis, ille actus imperatur qui rationi subditur. Primus autem voluntatis actus ex rationis ordinatione non est, sed ex instinctu naturae aut superioris causae ». (1)

Unde primum iudicium executivum non est imperium, sed instinctus.

Ubi igitur intentio finis absoluta non praecessit consilium, tum iudicium dictans intentionis actum non est imperium, sed instinctus; ubi autem absoluta finis intentio ante consilium praecessit, tunc iudicium inde sequens imperatur, et datur imperium: quia iudicium executionis reapse voluntatem ordinat ut eligat.

M. — Attamen, nonne actus intentionis liber est, proindeque colligendum est illum non posse non esse imperium, siquidem voluntas libera non applicatur nisi per rationem? Instinctus ceterum non est nisi iudicium a natura determinatum ad unum, a quo proinde procedere actus liber nequit?

T. — Cui exceptioni duplex responsio plerumque fit. Quarum prima haec est quod primus actus, nempe amor finis, est quidem a natura ipsa, seu naturalis, hincque liber dici nequit: ut autem respicit media quae varia sunt, et ex quibus nonnulla prae ceteris possunt eligi, liber erit, dicique imperium potest.

(1) I - 2ae, q. 17.

Altera autem responsio, doctrinae Angelici conformior, (1) haec est, quod scilicet primus actus, supponens primum actum intellectus id est cognitionem finis, et primum inde sequutum actum voluntatis, nempe amorem finis absolute, sit ab ipso Deo ut auctore vel naturae vel gratiae, neque ad haec homo se movet, sed a Deo movetur et applicatur, indeque actus ille vocatur instinctus; ceteri vero actus tum intellectus tum voluntatis inde sequuti, sunt ab homine sese per proprium iudicium et voluntatem determinante, proindeque imperati dicuntur, unde habetur et imperium.

Ille prior actus est totum quid a Deo ut a causa efficiente, nihil ab homine: ceteri vero sunt totum quid a Deo, totum quid ab homine, iuxta auream Angelici doctrinam, non autem partim a Deo, partim ab homine.

Imperium igitur non occurrit nisi respectu electionis, seu ut iudicium illud quo homo libere, et seipsum realiter et actualiter se movet ad eligendum, quando nempe, sese, mediante ratione, applicat ad alium voluntatis actum.

Alia adduci possunt, quae hic omittuntur, sed postea fusius explananda erunt. Hic nobis id probasse sufficiat, imperium neque esse neque dici nisi respectu electionis, nullimode autem respectu primi ad finem motus, seu instinctus; atque imprimis voluntatem non posse in actum electionis liberum prodire, nisi ex iudicio electionis praevio, prorsus distincto a consilii iudicio; iudicium electionis rursus esse ex ratione determinatum proindeque simul liberum; idem denique enuntiare debitum et exigentiam τοῦ velle, atque inde prae se ferre electionem adiunctam, non quidem necessario, sed infallibiliter.

Quod iudicium non dat posse velle, sed actu velle; neque ut causa τοῦ velle, nisi in quantum infert ipsammet motionem impulsivam et actualem applicationem ad τὸ velle.

M. — Postquam, amice carissime, fusiores quas antea promisisti explanationes exhibueris, nonnulla obiecto mihi occurrentia proponam, non quod doctrinae non arrideant, sed quod penitius intelligere in desideriis habeam.

T. — Bene opinaris fusiori sermone indigere argumentum, propter gravitatem quaestionis: quae tamen omnia, si tibi libuerit, ad proxime sequens colloquium remittemus.

I. I. B.

(1) I - 2ae, q. 111, a. 2.

Mores primum, mox sapientiam disce, quae sine moribus maledicitur.

Senec., *Epist.* 76.

Ut aerugo ferrum, sic invidia quem infecit animum consumit.

S. Basilius.

Idem esse debet finis discendi, qui et vivendi.

Senec., *Proverb.*

Stili lapidarii elementa (1)

V. — De elogiis.

Quae proferuntur elogia, ea Maffcio, et Muratorio novitatis nomine suspecta prope singula sunt, sed iniuria, ut Morcellius pluribus ostendit lib. I, cap. 5. Cave ne honorarios titulos cum Elogiis confundas: illi enim honoris, et monumenti auctorem saepe et curatorem praeferunt, haec cient neminem; illi causam honoris saepe declarant, haec nullam indicant; illi denique vivis fere honoris causa constituti putantur, haec mortuis memoriae caussa posita perhibentur. Nominandi casus in elogiis adhibetur siquidem nulla in his dedicatio, nulla Senatus, aut Civitatis, aut Magistratuum mentio fieri debebat.

Nemo autem putet elogia omnia ad aetatem eam referenda, qua ipsi Duces, quos laudant, floruerunt. Nam viris etiam iamdiu defunctis elogia posita sunt. Sunt qui sub Traiano potissimum Principe illa omnia exstitisse arbitrantur.

Vocem ipsam elogium duplici « l » scribit Morcellius, Graecos secutus, qui *ellogia* efferunt, quod et Latini diu fecere, ut tradit Casaubonus: elogium una « l » scribit Gifanius, eamque scribendi rationem alteri praeferre videtur Forcellinius. Utramvis scribendi rationem sequere. Quoniam autem Elogiorum omnium una fere est dictionis ratio, eaque plerumque simplex, nulla erit quod ad dictionem pertinet distributio. Sed ratione personarum primo magistratuum, deinde privatorum, tum foeminarum elogia describemus.

a) Elogia Magistratuum.

M . VALERIVS
VOLVSI . F .
MAXIMVS
DICTATOR . AVGVR . PRIMVS . QVAM
VLLVM . MAGISTRATVM . GERERET
DICTATOR . DICTVS . EST . TRIVMPHAVIT
DE . SABINIS . ET . MEDVLLINIS . PLEBEM
DE . SACRO . MONTE . DEDVXIT . GRATIAM
CVM . PATRIBVS . RECONCILIAVIT . FOE
NORE . GRAVI . POPVLVM . SENATVS . HOC
EIVS . REI . AVCTORE . LIBERAVIT . SELLAE
CVRVLIS . LOCVS . IPSI . POSTERISQVE
AD . MVRCIAE . SPECTANDI . CAVSA . DATVS
EST . PRINCEPS . IN . SENATVM . SEMEL
LECTVS . EST.

Plebem a Moenenio Agrippa in Urbem reductam tradidit Livius (I, XVII, 32). Cicero autem auctor est a Manio Valerio eas discordias esse sedatas: de claro Oratore, num. 54. — *Ad Murciae;* id est apud aram

(1) Cfr. num. sup.

Veneris Mureiae. — *Lectus in Senatum* pro « in Senatu », ut habet Tullius *(Pro domo sua,* cap. XXXI, 82).

L . MVNATIVS . L . F . L . N . L . P . PLANCVS
COS . CENS . IMP . ITER . VII . VIR
EPVL . TRIVMPH . EX . RHAETIS . AEDEM
SATVRNI . FECIT . DE . MANVBIIS
AGROS . DIVISIT . IN . ITALIA . BENE
VENTI . IN GALLIA . COLONIAS . DE
DVXIT . LVGDVNVM . ET . RAVRICAM

Tresviri Epulones, qui deinde septemviri facti sunt, iidem erant, qui potestatem habebant epulas Iovi, ceterisque Diis indicendi; mensas enim in ipsis templis Diis Maiorum Gentium tamquam epulaturis exstruebant.

b) Elogia hominum privatorum.

L . BAEBIVS . L . F .
GAL . IVNCINVS
PRAEF . FABR . PRAEF.
COH . IIII . RAETHORVM
TRIB . MIL . LEG . XXII
DEIOTARIANAE
PRAEF . ALAE . ASTYRVM
PRAEF . VEHICVLORVM
IVRIDICVS . AEGYPTI

Gal. = Galeria Abl. Casu, quo tribus efferebatur a Latinis una ex tribubus rusticis. — *Fab.* Fabrum scilicet Fabrorum. — *Praefectus Cohortis Quartae Raethorum. Tribunus Militum Legionis XXII. Deiotarianae.* Legiones Deiotarianas memorat Hirtius, quas scilicet Rex Deiotarus disciplina, et armatura Romana complures annos constitutas habebat. — *Astyrum.* Scilicet ex Asturia Regione Hispaniae Tarraconensis. — *Praefectus Vehiculorum* ille fortasse, qui vehicula a Provincialibus in expeditionibus Imperatorum exigebat, et impedimenta castrorum convehenda curabat. In Aegypti provinciam Praefectus mittebatur, qui Praefecturam, et Imperium ad similitudinem Proconsulis habebat, sed iuris dicendi causa in eam Provinciam praeter Praefectum, Iuridicus mittebatur.

c) Elogia foeminarum.

ATHENAIS ∴ MATER
PHILADELPHI
I . CAESARIS . AVG . ET . IVLIAE . AVG.
SERVI . SCALLIANI . TABVLARI
VIXIT . ANNOS . XXCIII.

Celebratur Athenais quod Philadelphum Scallianum genuerit, Servum Tabularium Tiberio, et Liviae, quodque vitam ad annum octogesimum tertium produxerit.

Tabularius erat is, qui rationum tabulas praescribebat, acceptique et expensi rationem conficiebat: interdum etiam Custos Tabularum.

(*Ad proximum numerum*)

Quid Latinorum doctrina ac scientia ad Italorum mediae quae dicitur aetatis cultum humanitatemque contulerit.

Quum nostra aetate antiquis bonis litteris bellum atrox nonnulli, nimis quidem audacter, inferant, ut in quasdam umbratiles paene dicam scholas ipsae migrent, ubi rari lectique cultores iis delectentur tantum earumque mira ac singulari laude gloriaque decorentur; haud vanum neque irritum meum inceptum erit, si Graecorum, ac praesertim Romanorum cultum atque humanitatem, illis quoque temporibus quae plerumque obscurissima habentur, non omnino esse abiecta atque oblivione obruta ostenderim; quaeque de hac re ab eruditissimis viris investigata ac disputata sint, quam paucissimis quidem, sed quam apertissimis verbis adstricta exhibuerim. Quae enim illi antiquissimi Graeci et Romani tot aetatum cursu senserint, cognoverint atque egerint, a nostris accepta et voce vel scriptis prodita, nunquam de ipsorum memoria excidere, sed ipsorum ad nonnihil contulere. Qua re, si quis unquam sit qui opinionem contrariam et a veritate abhorrentem mente atque animo concipiat, statim, se hucusque vehementer errasse pro certo habens, istam a se expellat ac longe amoveat, quippe quae imperitiam atque inscientiam nulla venia dignam monstret.

Quod ad consequendum, ne omnia persequar quae de re proposita, iam prope ab omni parte tractata contritaque, sint quaesita ac disputata, rerum quas Novatius (1) ille, nostrarum litterarum clarissimum lumen, fusius ornatiusque disseruit, summas attingam et plane compositeque referam. Quod si ne hoc quidem totum consequi potuero, benevolentia vestra, optimi ac nobilissimi iudices existimatoresque, qui hunc commentarium legitis, mihi certe (haec quidem spes me iuvat) non deerit.

***

Quum Romanorum imperium omnium quae unquam in terris fuerint maximum, vita moribusque corruptis ac depravatis, magis quam barbararum gentium vi armisque fractum, est collapsum, clarissimorum poëtarum permediocres versuum conditores nulla arte, nulla animi mentisque celeritate praediti, nullo divino afflatu permoti locum tenuere, et philosophis hominum rerumque naturam penitus perscrutantibus rhetores loquaces cesserunt. Eo autem corruptionis morumque depravationis perventum est, ut litterarum artiumque splendor ac lumen paene sit obscuratum atque extinctum. Nostra tamen Italia, inter tot tamque corruptas gentes, litterarum cultu quodammodo excellit. Nam quum apud Gallos, apud Hispanos, apud Afros quoddam fuisse poëticum genus corruptum et contaminatum, a pristino splendore et dulcedine alienum, quendam exstitisse sermonem abstrusis obsoletisque verbis repletum, inanesque tractatas esse quaestiunculas praesertim de grammaticis rebus, ne dicam nugis, cognoverimus; apud nostros

(1) *L' influsso del pensiero latino sopra la Civiltà Italiana nel Medio Evo.* (Mediolani, MDCCCXCIX).

autem, quum ferocium Gothorum imperio adfligerentur, Boëtium et Cassiodorum florere videmus, qui ultimi litterarum artiumque Romanarum heredes appellari possint. Quorum alter veterum doctrinam contemplatione est persecutus, alter ut antiquae Urbis decus gloriamque admirarentur venerarenturque barbarae gentes conatus est. Hic etiam ab oblivionis iniuria veterum Graecorum Romanorumque humanitatem vindicare voluit, eodemque auctore atque hortatore, illi quos dicunt *coenobiarcas* in liberalium ingenuarumque artium studiis sunt versati, et in tanta tamque densa caligine, quae nostram terram obtegebat, quoddam lumen diffuderunt, viam illis qui postea fuere commonstrarunt et, ut fieri solet, digitum ad doctrinae fontes intenderunt. Itaque in vetustorum morum ruina Urbis imperium labefactante, Latinorum proles aliquas praecipuas insignesque virtutes servavit defenditque; quarum in primis quomodo vere sint res penitus pernoscendi studium atque illud ad communem usum ingenium accommodatum, quo nostri maiores ceteris populis praestitere quoque post longum saeculorum cursum clarissimi fient eorum nepotes.

Qua autem aetate Langobardorum crudelissima gens nostram terram invasit, diripuit atque Italos ad internecionem paene redegit, optimorum studiorum cultus extenuatur ac fere omnino iacuit. Nam contentione exardescente inter illam gentem et Pontifices, Christianae fidei defendendae studio potiusquam litterarum artiumque contemptu permoti, summi qui religionis rebus praeerant viri, ex quibus Gregorius ille quem Magnum appellarunt, commemoratur, veterum doctrinae humanitatique asperrimum bellum intulerunt. Quod tamen laicos nostros ab istis admiratione prosequendis et quodammodo colendis non dimovit.

Deinceps Caroli regis, cui Magnus cognomen, temporibus, viri doctissimi non defuere, quibus auctoribus ille optimus populorum moderator est usus ut cultum humanitatemque apud Gallos iam prope oblivione obruta in memoriam revocaret.

Praeterea IX saeculo exeunte, inter tot tempestates ac procellas, viri nobilissimi exstiterunt qui artes litterasque humanas coluerint suaeque scientiae vestigia nobis tradiderint. Eorum enim carmina quaedam exstant quibus avitas memorias reviviscere, ac post longum temporis spatium Urbis magnitudinem gloriamque commemorari ac celebrari videmus.

Non autem a veritate aberrare videntur qui veteris cultus humanitatisque X saeculo, afflictis rebus Italicis ex gravissimis calamitatibus, haud rara vestigia persequi posse adfirmant, quamquam eruditissimi nonnulli viri in contrariam iverunt sententiam. Quin etiam, iam eodem saeculo ineunte, litterae artesque magis magisque vigent virentque ita ut inde prima litterarum renascentium apud nostram gentem initia esse repetenda rectius consentiant docti. Tum enim poëtae exstiterunt mirabili quodam antiquitatis studio flagrantes et vergilianis vestigiis praesertim insistentes, quorum nonnullos invenimus exemplar atque imaginem illorum qui humanitatis studia profitebantur (unde apud nos *humanistarum* appellatio) quodammodo praebentes. Neque autem tantummodo Latinitatis studia, sed etiam Graecitatis hoc saeculo in honore fuerunt, quum in Italiae extrema parte, ubi et in Salernitanis regis aulis, Neapolitanorum principis et in Basilianis coenobiis memoriae Byzantiarum rerum servabantur, tum in media ac superiore, Roma non excepta, qua in urbe Graeca Latinaque carmina in cantorum schola canebantur. Quae igitur aetas obscurissima ac priscae doctrinae immemor non iure appellari videtur.

Sed XI saeculo, quum artes florere multasque, propter auctam hominum industriam sollertiamque, res gestas esse admiremur, et paucos et ingenii vi ac robore paulo praestantiores, quam qui proxima fuere aetate, poëtas invenimus. Si autem ad eam quae sequuta est transeamus aetatem, non modo carmina prope deesse videmus, sed etiam reliqua litterarum monumenta, ex quibus novi sensus mutatique mores clarius redundent ac niteant. Tum vere Graecorum ac Latinorum doctrina nostram vitam moresque informavit atque effinxit. Antiquissimae enim Urbis, quae olim una in omnibus terris domus fuerit virtutis, imperii, dignitatis, memoriam ac recordationem tum fuisse, quaedam traditae consuetudines moresque fidem faciunt. Tot igitur tantisque rebus eversis, maiorum cultus atque humanitas oblivione non sunt deleta, neque vetustatis nobilissimae obsequium est imminutum vel omnino extinctum. Quin etiam quum illa tempestate, apud reliquos populos quadam humanitate excultos scientia ac doctrina patrimonium esset ecclesiasticis quasi de iure tribuendum, quumque ceterorum civium mentes rerum omnium quae ad humanitatem et cultum pertineant rudes fuisse videantur; apud nos autem ecclesiastici eruditionem ac doctrinam, tanquam suum ius, sibi non arrogavere, sed omnes cives proprias mentes excolendi exornandique facultate usi sunt. At haec quaestio est diu inter doctos disputata. Ceterum quid antiquitatis effecerit memoria ac recordatio colligi potest ex quadam morum urbanitate dignitateque, quibus decorari huius aetatis Itali videntur, et ex grammaticae dialecticaeque studiis, quibus ipsi operam navarunt, quaeque reconditis atque abstrusis rebus, ad medicinam iuris prudentiamque pertinentibus, viam atque iter patefecerunt, ita ut istarum disciplinarum memoriam se revocasse nostri maiores iure gloriari potuerint.

At ex XIII saeculo veterum Graecorum Romanorumque doctrina apertius celeriusque progreditur ad humanitatem apud nos proferendam ac celebrandam. Plurimae enim artes, quae quid in quaque re veri sit investigant, ut philosophia, ut mathematicae, quas omnes Aristotelis summum ingenium aluit et confirmavit, maxime florent vigentque. Ad easdem quidem plurimum illa aetate contulerunt nostri, quorum opera forenses quoque disciplinae amplae grandesque sunt factae, ita ut iuris peritorum illa confertissima ac bene instructa legio apud nos exstaret.

Sed hoc cognitionis scientiaeque ardore atque impetu poëtica quodammodo profecit, cuius saeculis actis decus paene extinctum videbatur. Plurimi enim Latinarum litterarum artiumque studio atque amore flagrantes veterumque Romanorum memoria impulsi atque inflati, de variis et interdum tritis rebus, novis pictis coloribus, nonnunquam Vergilii, Ovidii reliquorumque Latinorum poëtarum vestigia persequentes, carmina con-

didisse videntur. Quod vere auream illam nostrarum litterarum renascentium aetatem praenuntiat. Illa autem carmina quae Latinas litteras tum vigentes obtestantur apud nos parum sunt cognita, ne dicam ignorantur, quod eodem tempore aliorum carminum incidit primus ortus, quae et populi animo, quum vulgari sermone essent condita, obversabantur, et rerum novitate omnes litterarum existimatores grammaticosque adeo alliciebant, ut ad se, Latinis neglectis carminibus, istos totos converterent.

Contra illa carmina Latino sermone composita requirat, investiget ac pervolutet necesse est quisquis nostrae Italiae, de qua agimus, aetatis cultum humanitatemque penitus perspicere ac pernoscere velit, eosque eruditissimos viros qui, quasi illi a Lucretio commemorati *vitai cursores,* doctrinae lampada alteri saeculo tradiderint, cognoscere adamet.

Nam, ut eadem, qua Novatius ille eruditissimus vir in extrema sua dissertatione, imagine utar, velut per multa saecula, in sepulcro quo corpus inusitata magnitudine strenuissimi cuiusdam viri a Turno illo apud Virgilium celebrato interfecti, erat conditum, ignota arsit illa quae narratur Pallantea lampas iisque restitit eam extinguere conantibus usque adeo, fracto vitro, manu quadam impia evanuit fulgor; ita illo medio quod dicitur aevo, Urbis magnitudinem nobilitatemque tamquam servaret ac custodiret, velut in tenebris et obscuritate, Latinorum cultus atque humanitas permansit ac duravit. Quae quidem aliqui, huius aetatis barbari, sunt direpturi ita, ut ea tueri ac defendere nostrum sit. Illa enim nostrorum maiorum doctrina avitae gloriae velut imago futuraeque certum signum, nostrae genti iam renascenti viam significans, ne emigret e nostris animis, ne e scholis nostris expellatur atque omnino dilabatur cavendum est. Denique curandum, ut quae nostris litterarum monumentis alendis atque suo quodam afflatu nutriendis ad patriae libertatem defendendam nostros homines converterit rapueritque, eandem integram incolumemque servemus, custodiamus, maximoque cultu ac veneratione prosequamur, quo clarius aequalibus nepotibusque iter indicet nobilitatis illius et gloriae, quae nostrum omnium sunt in votis.

Cavae Tyrrhenorum.

IANUARIUS DE FILIPPIS.

QUAESTIONES PHILOLOGICAE

Cur syllaba ἀ (ἀν, ἀμ) vocabulis graecis praefixa modo intensivam, modo negativam significationem iis tribuat.

Quid consilii nobis quaestiones quasdam philologicas solventibus sit propositum, quem finem quamque rationem persequamur, iam lectoribus Commentarii nostri cognitum esse (1) arbitramur; itaque rem novam sine ambagibus aggredimur discutiendamque proponimus.

(1) Confr. N. I a. c., pag. 7.

Constat in lingua graeca ad vocabula componenda usitari syllabam ἀ aut, si vocis simplicis initium litera vocalis est, ἀν; ante consonantem autem labialem (π, β, φ) ἀμ. Quae syllaba nunc significationem vocis intendit, nunc annihilat, unde aut ἀ *intensivum* aut ἀ *negativum* appellari solet, ut ex his vocabulis videmus: ἄ-ατος *valde noxius,* ἀν-οικτός *apertus,* ἀμ-φάδιος *manifestus,* ubi ἀ (ἀν, ἀμ), propterea quod significationem vocis intendit, *intensivum* appellari debet; contra in ἀ-μαθής *indoctus,* ἀν-έργετος *non experrectus* propter significationem vocabulorum negatam, *negativum* appellamus.

En discentibus linguam graecam aenigma. Quare in ἀν-οικτός ἀ non negativum; quare in ἀνέργετος non intensivum sit, nonne iure quaerant et quidem optimo, nam viri rei gnari non ignorant discipulum acrioris ingenii, si tantum accentus vocabulorum transposuerit, iam vicisse, nam ἀνεργετός re vera is est, qui expergefieri *potest,* ἄνοικτος autem is, qui aperiendus *non* est.

Etiam obscurior autem fit quaestio, si occurritur vocabulis cum ἀ (ἀν, ἀμ) compositis, quae significationem, haud mutato accentu modo intentam modo negatam continent, ut ἀν-έλεγκτος, quod nunc latino adiectivo «convictus,» nunc «non convincendus» respondet, aut ἀργός, quod non solum adiectivo positivo «celer (strenuus)», sed contra etiam saepius negativo «segnis (piger)» vertendum est.

Quid tum? Sufficitne ad rem explorandam perspiciendamque discentibus, quod vulgo datur discrimen, nominis ἀ intensivi ἀ privativi? Nugae sunt. Res tamdiu discipulis, ut ex quinquaginta fere annorum magisterio cognovi, non clarescet, quoad iis radix causaque rei ignota erit, quoad fundamentum duplicis significationis eiusdem syllabae praefixae ἀ (ἀν, ἀμ) occultum erit. Hoc utique hic explanandum statuendumque suscepimus.

***

Cur fit igitur, ut illud, de quo disceptamus, ἀ duplicem voci compositae et, quod summopere est mirandum, contrariam alteram alteri repugnantem significationem tribuere possit? Res prorsus clara fit, si plenas illius ἀ intensivi et ἀ negativi formas, ex quibus utrumque emersit, requirimus; nam quid tum invenimus? — ἀ (ἀν, ἀμ) *intensivum* reliquam esse partem plenae praepositionis graecae ἀνά, quae ita significationes vocum graecarum auget, ut latinum *in* (*in*tentus) aut nonnunquam *per* (*per*spicuus); ἀ *negativum* autem esse contrusam formam praepositionis ἄνευ, quae ut latinum «sine» semper inopiam indicat, itaque negativam vocabulo tribuit significationem (homo *sine* pecunia idem est atque homo *non* pecuniosus); id quod etiam nonnullae recentium linguarum imitantur, quum ad vocem negative componendam pro adverbio negativo praepositionem adhibeant, ut germanica: *ohn*mächtig (*ohne* Macht) pro *nicht* mächtig (*un*mächtig) impotens, ut polonica: *bez*krwawy (*sine* cruore) pro *nie*krwawy *in*cruentus.

Nunc, opinamur, iam discipulus facile sibi fingat, quare vocabula specie similiter, reapse non pariter, composita, ut una ex parte ἀν-αιρέω *tollo* (*everto*) ἀν-αίρω *sursum tollo*, ἀν-αίσσω *surgo*, altera autem ἀν-αισθητέω *sensu careo*, ἀν-αισχυντέω *impudens sum*, ἀν-εκπλήττομαι *non obstupesco*, — illa sensum vocis simplicis augeant, haec negent.

Hac via et ratione igitur quaestionem hanc discipulis edisserendam esse putamus, una re praeterea addita — plurimis vocabulis cum ἀ (ἀν, ἀμ) negativo compositis accentum vocis quam maxime ad initium vocis compositae removeri, ut ἄ-δοξος (ex ἄνευ + δόξα) *inglorius*, ἄτιμος (ex ἄνευ + τιμή) *honore carens*, id quod etiam nonnullarum linguarum recentium est proprium, ut in germanica videmus: un*berühmt ignobilis*, quamquam vox simplex est *berühmt*, un*gesund aegrotus*, quamquam — *gesund*. Quae nota etiam difficultatem significationis distinguendae imminuet.

Varsaviae Polonorum.

IOSEPHUS WABNER.

PRIMO ANNIVERSARIO REMEANTE EX QUO ALPES PER AËRONAVEM

A GEORGIO CHAVETIO SUBLIMI AUSU TRAIECTAE FUERUNT

(IX KAL. OCTOBRIS MCMX)

Terra polusque silent miro commota volatu
Alpium inaccessas exsuperante nives.
Lembus, ab Helvetica sublatus in aëra Briga,
Mox, avis instar, agris imminet italicis.
O iuga transcendens alpestria, more aquilarum,
Hactenus ignoto, cymba, magisterio!
Dent mihi Pierides sublimem versibus ausum
Concinere, unde orbis percitus obstupuit!
Ingenii quantum te, Navis, finxit acumen,
Docta super nubes transvolitare leves!
Quale rotis et robur inest, et quanta sub alis
Mobilitas, rapidis ictibus usque sonans!
Commentum hoc facinusque decet celebrare per aevum,
Quod caelum terrae subiicit imperio.
Scandentis memorem quid nisus Icari Olympum
Vel stultum, incoepta turre, Babelis opus?
Audaces sua mens homines compellit in altum,
Urget et aërias alitum inire vias.
Alea iacta fuit: certaminis aerii ordo,
Praemium et indictum, semita pacta, dies.
Navis inauditum esto solvere prompta volatum,
Claustri fulminei concrepitante sinu.
Ast ubi nauta, roges, audax concredere vitam
Tam fragili, volitet quae per inane, rati?
En, populi, haud anceps animo Chavetius, ortum
Natio cui, referunt, peruviana dedit.
Hunc nuper stupuit Remensi Gallus in agro
Aëra sulcantem praepete navigio.
Omnis nunc tellus in eumdem lumina vertit,
Ausus Icarios dum renovare parat.
Voces turba fremens, tollitque ad sidera palmas,
Ac si ea scandenti propitiare velit;
Omina et ingeminans: «Faxit superare volantem
Alpina - inclamat - culmina celsa Deus!»
Mirum oculis monstrum! quisnam reputaverit unquam
Fluctivagam astra inter velificasse ratem?
Aspice ut immoto temonem lumine remex
Torqueat intrepidae dexteritate manus;
Concinnos agilesque simul mirare volatus,
Sese per teretes lintre levante gradus!
Plebs en velivolum suda rimatur in aethra
Alterno exsiliens irrequieta pede.
Territae abhinc aquilae, nimbis tonitruque suetae,
Insuetam fugiunt horrisonamque feram.
Ut si Pegaseo veheretur in aëra dorso,
Persëi aut celeris cogeret ala pedes,
Factus iam superi Chavetius arbiter orbis
Huc vetita usque homini regna pererrat ovans.
Sed montis viridi traiecto navita amictu
Per concreta gelu flumina signat iter.
Cautes hinc baratrumque horrent, undisque sonora
Late aperit fauces ima vorago nigras.
Illico succedunt iuga foeta furentibus Austris
Et gelidus Boreas flans et utrinque Notus.
Quae classes, quaeve arma sonant? quibus effera castris
Praelia cum nimbis dux aviator init?
Adversis quatitur flabris, miserabile visu!
Hinc procul arcanis pulsus et inde viis.
Non tamen aedepol! obruitur fortissimus heros
Pectore ab aerato propositique tenax.
Missile ceu rapidum obiectam superevolat Alpem
Ausu terrifico, maior et ipse sui,

Donec victor io! redimitus tempora lauro,
Attigit Ausoniis littora culta viris.
Italus heic radiat Phoebus: iam vallis Oselae
Subter porrigitur, flumen et arva rigans.
Mox in planitiem, populi spectante caterva,
Descendit recto tramite navicula.
At quî nunc crudum recolam, sors invida, casum,
Dignum, quem tellus semper et astra fleant?

Namque sub extremo ratis impos facta volatu
Proh dolor! heroem praecipitavit humi.
Num magis hoc possit fingi lacrymabile fatum,
Quo subit in portu navita naufragium?
Salve, Chaveti, per et Alpes victor et auras,
Qui splendes nostro sidus in axe novum!

Mediolani.

CAESAR MAMBRETTI.

EX ITALIS URBIBUS

De maximo Augustae Taurinorum artium conventu.

De die in diem universae prope nationes in hoc maximo artium conventu, qui Augustae Taurinorum celebratur rem suam ad unguem redegerunt. Quum temporis brevitate rerumque multitudine premar atque sim impar in singulis decernendis, paucula obiter dicam.



Maximi Augustae Taurinorum artium conventus prospectus generalis.

Si iterum per portam quae ad septemtrionem spectat introgrederis, dextrorsum se se tibi offert Iaponensium parvula aedicula. De ipsa iam nonnulla antea notavi, sed iuvabit rem iterum ampliusque enucleare. Populus hic, quem heri modo inter barbaras gentes incedere adhuc reputabas, atque a ceterarum nationum numero reclusum credebas, nunc post recentiores de Russis victorias relatas, ex improviso inter humanissimas gentes ponere se haud dubitavit, primum vel in rebus nostrae aetatis locum obtinet. Eius enim vasa coquinaria, vel quae ad luxum in primis spectant, innumerabilia sunt, eorumque gentes praedicant luxuriosiores, ubi haec omnia fluent.

In aedibus Vaticanis, magna civium advenarumque admiratione, invisuntur tapeta illa immortalia acu picta ad operis exemplar confecta, quod olim Raphael Urbinas divino ingenio invexit. Iaponenses longe tamen, sed satis feliciter proximeque procedunt.

Paulo superius, egressis ex Iaponensibus, adest Hunnorum aedicula, quam rectius meritoque splendidissimum palatium dixeris. Quot rerum inventa vel ad vitae rationem melius commodiusque agendam aptissima! Quot modo ad hominum cultum atque ad humanitatem!

Populus Hunnorum « alacris cunctasque putas excedere palmas » qui se nuperrime in libertatem vindicavit, in contentionem vel de artibus cum ceteris nationibus nobilissime progreditur. Hinc inde vel ante ostium sex viri armis vetustissimorum temporum induti, veluti illic essent positi ut arcem defenderent hostesque arcerent, ingredientes optime monere videntur inter milites barbarosque versari.

Ne dubita, viator, i secure, intro sunt omnia monumenta pacis et artium populi, qui bello utique paratur, sed tranquillitati studet artibusque indulget, quae concordia tantummodo florent atque crescunt.


Quot itaque bona, quot utilia, quotque demum ad humanitatem pertinent! Adest omnium admirationi vel

in limine elegans militum symplegma qui ad opera incumbunt ad rem domesticam pertinentia. « Lux micat ex oculis, spiratque e pectore flamma! » Diu multumque dubitavi haesitans utrum viventes essent an effícti! Adeo est felix sculptor.

Res agraria exsultat. Adsunt in primis plurima vinorum specimina et frugum. Et Hunni in artibus, quas maiores nostri *humiles* vocabant, nunc potius *potentiores* adpellamus, praefulgere nituntur. Quae prostant exempla optime produnt qualis sit eorum excellentia et qualis in agricolis praestantia.

Rerum abundantia urget. Si paulo ulterius dextrorsum iterum introeas, tibi se se offert quid nostra Taurinorum civitas, ad aliorum populorum exemplum, proponat, praesertim in iis quae ad civium cultum spectant. Adsunt scholarum descriptiones, adsunt et domus, quae ex temporum ratione pro tunicato popello vel pro artificibus aedificari coeptae sunt apud recentiores nationes. Tabulae quoque diligentissime confectae disponuntur, in quibus discipulorum numerus, labentibus annis, adnotatur.

Hinc inde animi commodique causa tabernas invenies, ubi facile poteris potione frui ex arabicis fabis confecta vel ex recentiorum more, cerevisia vel frigidis liquoribus ad delicias beatiorum apparatis; vel denique diversoriis omnium elegantissimis.



Novus pons super Eridano Augustae Taurinorum.

Ad laevam positus est nuper pons super Eridano, ut utrumque fluminis litus facillime coniungatur.

Sed tempus locusque me monent paucula dicere de magno nupero excellentium virorum congressu, ut quae ad rem rusticam optime nostra aetate fovendam sint enucleanda.

Interfuerunt Rex, et quotquot Italia adnumerare potest



Taurinensium artium tentorium.

electissimos ingenio atque in patriam caritate illustres.

Luzatius ille, qui nuper ad rerum italicarum gubernacula sedit, mira admodum eruditione atque facundissime disseruit.

Utinam Italiae, rura, nunc male relicta, quae *nutrit Ceres, almaque* Faustitas, redeant!

Insequenti die magnus alter atque celeberrimus virorum conventus qui *causas agere et defendere* leges consueverunt. Si saepe ipsi sunt insigne maestis praesidium reis; saepius tamen, praesertim hac nostra aetate, *capitale nefas operosa diluunt arte.* — Sed absit ab epistola indignatio. Me plurima manent quae quamprimum enucleabo.

SUBALPINUS.

Nocere posse et nolle laus amplissima est.

PUBLIL. SYRUS, *Mim.*

PAROEMIAE SIVE ADAGIA

Manibus pedibusque.

Extremum conatum significantes, dicimus « manibus pedibusque »; nam per manus declaratur industria conficiendi negotii, per pedes maturandi celeritas. Davus in *Andria* Terentiana: « Ego hoc, Pamphile, tibi pro servitio debeo, conari manibus pedibusque.» Utitur hoc adagio semel atque iterum Aeschines in oratione contra Demosthenem, et etiam Homerus *(Il ad. Y)*.

Omnibus nervis.

Eundem habet sensum « omnibus nervis » ; id est: summa vi, summoque studio. Nam robur in nervis vulgo ponitur. Unde et « nervos intendere », « expedire nervos et nervosa », quae vegeta validaque minimeque languida. Cicero ad Quintum fratrem: « Sic contende omnibus nervis et facultatibus ». Idem *Epist. famil.* (lib. XV): « Omnes nervos in eo contendas ». Item *in Verrem* (act. II): « In quo omnes nervos aetatis industriaeque meae contenderem ».

Velis equisque.

Similem conatum significat ad fugiendum, aut assequendum magis quam ad efficiendum. M. Tullius ad Quintum fratrem (lib. II): « Sic ego, qui in isto homine colendo tam obdormivi diu, te mehercule saepe excitante, cursu corrigam tarditatem tum equis tum velis ». Quamquam in vulgatis exemplaribus pro « velis » passim « viris » scriptum invenimus. — Idem *Offic.* lib. III: « Quibus obsoletis floret Epicurus, eiusdem fere auctor adiutorque sententiae. Cum his equis velisque, ut dicitur, si honestum tueri ac retinere sententia est, decertandum est ». In quibus exemplis usus est eadem metaphora paullo diversius, ut qui illic respexerit ad celeritatem, hic ad utrumque pugnae genus, equestre ac navale.

Remis velisque.

Huic simillimum est, indeque translatum quod, quum navis simul et remigio et velis impellitur, summus est nautarum conatus. Cicero *(Tuscul. quaest.*, III*)*: « Tetra res est velis, ut ita dicam, remisque fugienda ». Item in I *Philippica:* «Tum vero tam sum cupiditate incensus ad reditum, ut mihi nulli neque remi neque venti satisfacerent». Plautus in *Asinaria:* « Remigio veloque quantumcumque poteris festina et fuge ». — Quum remigio navis impellitur Graeci « secundarium cursum » appellant; quum velis fertur dicitur « cum secundis ventis » ; vertitque in diversum, hoc est in significationem tarditatis metaphoram Aristophanes scribens: « Neque currimus nunc, nec alias impellimur ». Interpres exponit: « Neque ventis neque remis navigamus ». Quamquam nihil prohibet ad equestrem cursum referri. Virgilius simpliciter extulit in *Aeneidos III:*

Laevam cuncta cohors remis ventisque petivit.

Ad hanc formam pertinet etiam quod ait Plato *(De legibus, IX):* « Malorum autem consuetudinem fugito irreversim » ; hoc est, ne respiciens quidem a tergo. Allusit autem ad Eurydices fabulam, cui lex erat dicta, ne respiceret. Et Virgilius:

Transque caput iace, ne respexeris.

Navibus atque quadrigis.

Pro summo studio summaque festinatione Flaccus dixit « navibus atque quadrigis » in *Epistolis:*

Strenua nox exercet inertia; navibus atque
Quadrigis petimus bene vivere, quod petis hic est.

Plutarchus adversus usuram haec habet quae latine praebemus: « Ne vero tu aut equitatum opertus fueris aut vehicula iugalia cornigera et argento picta, quae celeres usurae assequuntur et praetercurrunt; verum asino quopiam, quemcumque forte nactus fueris, aut caballo, fuge hostem ac tyrannum foeneratorem ».

Omnem movere lapidem.

Hoc est: «Omnia experiri nihilque intentatum relinquere» Quod adagium hoc pacto natum esse plerique ferunt: Xerxes, Graecos bello adortus, quum esset apud Salaminam superatus, ipse quidem inde semovit, verum Mardonium reliquit ut bellum prosequeretur. At quum hic quoque in Plateis parum prospere pugnasset, fugatusque esset, fama vulgo invaluit, Mardonium intra ambitum tentorii sui thesaurum ingentem humo defossum reliquisse. Hac spe pellectus Polycrates Thebanus, eum agrum commercatus est; verum ubi iam multum diuque thesaurum quaesiisset, neque quidquam proficeret, Delphicum oraculum consuluit, qua ratione posset eas pecunias invenire. Apollo respondit his verbis: Unumquemque move lapidem. Id simul atque effecisset, multam auri vim in campo reperisse ferunt. — Sunt qui metaphoram sumptam existiment ab his qui cancros venentur in littore; nam hi plerumque sub saxis latitant, quae movent qui cancros quaerunt.

Effertur adagium pro eo quod est omnia periclitari. Plinius Iunior (*Epist.*)*:* « Ego iugulum statim video; hunc premo. Premit certe quod elegit, sed in eligendo frequenter errat. Respondi posse fieri, ut genu esset, aut tibia, aut talus ubi iugulum putaret. At ego, inquam, qui iugulum perspicere non possum, omnia pertento, omnia experior omnem lapidem moveo ». -- S. Basilius ad nepotes: « Ad quod ut viaticum paremus, omnis lapis, ut dici solet, movendus est».

COLLOQUIA LATINA

Praemia (1)

Paulus. — Iubemus te salvere, Gregori noster.

Gregorius. — Salvete, sodales mei dulcissimi; quid agitur?

Faustinus. — Mirabamur paulo ante ego et Paulus ubinam delitesceres; circumferentes enim oculos in omnem partem, cernere te non poteramus eo in loco, quo loco, nisi me fallit opinio, nunquam fuisses quam hodie libentius.

P. — Aliqua de improviso commotiuncula te aedibus exire, ut suspicor, prohibuit.

G. — Nulla, Paule.

F. — Quid ergo, amabo te, creavit hanc absentiam?

G. — Dum per tabulata in summis aedibus curro incautius, clavi cuspide e vetusto assere prominente me indui; id vulnus me ut claudum sutorem residere domi solum adegit, et iucundissimi spectaculi fructu privavit. Sed unde vos ad me?

P. — Celeri passu ex ipso theatro huc nos contulimus.

G. — Frons laeta et oculi ludibundi indicio sunt rem cecidisse ut voluistis.

P. — Et ideo addito gradu ad te approperavimus, ut voluptatis te nostra participem faceremus.

F. — Haud aliquando aeque beati fuimus ut hodie.

G. — Audire expeto; praemia nempe et secundam populi admurmurationem consecuti estis.

P. — Qui bene coniiciet, hunc vatem perhibeto optimum. Ita sane; obtinuimus praemia.

G. — Uterque?

P. — Uterque; atque ut nihil omnino dubites, rem ipsam tibi auctorem proferemus. Ecce librum.

F. — Ecce meum.

G. — O venustos! o vere aureolos libros! Nam auro radiant ac fulgent undique.

F. — Considera paullisper emblemata et parerga frontium, quam oculis blandiuntur!

G. — Iste est tuus, Paule?

P. — Meus est.

G. — Ut bene, ut festive impressus est multicipitem Lernae belluam contundens Hercules!

P. — Verte.

G. — O imaginem pulchram! Aeneas patrem suum Anchisen humeris impositum ex incendio Troiano efferens, quem passibus etiam non aequis parvus Iulus sequitur.

(1) Ex Iacobi Pontani opere, cui titulus *Progymnasmata latinitatis* passim retractavit I. F.

F. — Et meus - aspice - quam elegantibus signis insignitus est!

G. — Sic est. Aperi, ut videam quis auctor et qua de re scriptus.

P. — Publius Vergiliu, Maro.

G. — Anno proximo superiore huiusmodi ego quoque consecutus sum, quem librum, ut gryphes in Riphaeis montibus aurum, custodio. Summopere parentes recreabitis hisce munusculis tam politis et micantibus.

F. — Spero equidem.

ACTA PONTIFICIA

Constitutio de ieiunii atque abstinentiae lege in Dalmatia servanda.

PIUS PP. X.

Ad futuram rei memoriam. — Romani Pontifices Nostri Decessores, supremi sacrarum disciplinarum custodes et vindices, quum gravis momenti rationes intercederent, spirituali non minus quam corporali christiani populi saluti paterno studio cōnsulturi, ecclesiasticarum legum sanctiones immutare ac minuere consueverunt. Iamvero Venerabilis frater Vincentius Pulitic, Archiepiscopus Iadrensium, suo et suffraganeorum Dalmatiae nomine, qui nuper in Comitiis Episcopalibus Phariae habitis illius regionis populi necessitates vigili sedulitate perpenderunt, enixas Nobis preces humiliter adhibuit, ut ad praecavendam ecclesiasticae legis de ieiunio atque abstinentia transgressionem, simulque ad necessariam medelam afferendam, non minus virium imbecillitati ob ciborum esurialium penuriam, quam domesticae oeconomiae ob ciborum earumdem et potissimum piscis in dies succrescens pretium, legem ieiunii atque abstinentiae, a Nobis per Decretum Congregationis S. Officii die V Septembris mensis, anno MDCCCCVII, pro universa Italia reformatam, nunc ad Dalmatiam extendere, mutatis mutandis, de Nostra benignitate velimus. Nos autem probe noscentes ex hac abstinentiae legis relaxatione plura illius regionis populo tum spiritualia tum temporalia bona fore feliciter obventura, superenunciatorum Archiepiscopi et Antistitum vota libenter excipientes, haec, quae sequuntur, pro universa Dalmatia, de Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium tenore, perpetuum in modum edicimus. Mandamus videlicet:

I. — Ut ieiunium servetur per abstinentiam strictam a carnibus et ab iis omnibus, quae ex carne originem ducunt, lacte scilicet, butyro, caseo, ovis et ex quocunque animali adipe condimentis, quotannis his quatuor diebus tantum: feria sexta Quatuor Temporum in Quadragesima; feria sexta in Parasceve; vigilia Assumptionis B. Mariae Virginis; vigilia Nativitatis Domini.

II. — Ut ieiunium servetur per abstinentiam non strictam, idest a carnibus tantum et a iure a carnibus quomodocumque expresso, ita ut liceat pro lubitu in praecipua refectione vesci ovis et lacticiniis, et tum in eadem principali refectione tum in refectiuncula uti condimento ex quovis adipe, butyro, margarina et similibus, quotannis his, qui sequuntur, diebus: feria quarta Cinerum; feriis sextis et Sabbatis Quadragesimae, feriis quartis et sextis Adventus; feriis quartis, sextis et Sabbatis Quatuor Temporum; vigilia SS. Apostolorum Petri et Pauli; vigilia Annuntiationis B. Mariae Virginis, si in Quadragesimam inciderit; tandem vigilia omnium Sanctorum.

III. — Quum autem pluribus Dalmatiae civibus ob stomachi debilitatem onerosa valde ac molesta evadat in matutino ientaculo arabicae potionis sorbitio absque lacte, indulgemus, ut diebus superiori II indiculo inscriptis, exclusis iugiter feriis quartis, sextis ac Sabbatis Quatuor Temporum, liceat mane in ientaculo vel lac arabicae potioni miscere, vel simplici lacte uti.

IV. — Edicimus praeterea ut huiusmodi abstinentia a carnibus dumtaxat et a iure a carnibus expresso servetur in universa Dalmatia, etiam omnibus et singulis aliis per annum feriis sextis, absque tamen obligatione ieiunii, et consequenter nulla refectionum facta distinctione, quoad ovorum, lacticiniorum et condimentorum liberum usum.

V. — Denique mandamus, ut in omnibus Dalmatiae dioecesibus ieiunium servetur toto Quadragesimae tempore, praeter dies iam supra recensitos, ita ut liceat comedere carnes in principali refectione tantum, in refectiuncula vero condimentum adhibere adipis, butyri et similium. Quoad vero carnium et piscium permixtionem in eadem comestione, illam omnino interdicimus diebus, quibus ieiunium praecipitur, et durante Quadragesima, etiam diebus Dominicis; ideoque volumus ut omnes, qui a carnis abstinentia dispensantur, nequeant uti huiusmodi permixtione solido Quadragegesimae tempore, feriis quartis et sextis Adventus, (in Austria enim in Adventu Domini feriis quartis et sextis et non Sabbatis ieiunium praescribitur); tandem Quatuor anni Temporibus et vigiliis supra memoratis.

VI. — Insuper Episcoporum Dalmatiae votis propensa voluntate obsecundantes, concedimus illis facultatem, ut, excepto Adventus et Quadragesimae tempore, tum ieiunium, tum abstinentiam, vel pro tota Dioecesi, vel iuxta diversos casus pro determinatis locis, anticipare queant in alium liberum diem; aut etiam, instantibus gravissimis tamen causis sive solemnitatis sive populi concursus, ab obligatione similiter tum ieiunii tum abstinentiae omnino dispensare fideles valeant.

VII. — Tandem eorumdem Antistitum optatis annuentes, largimur ut in Dalmatia existentes Regulares Familiae utriusque sexus, quae speciali abstinentiae sive ieiunii voto non adstringuntur, eadem ac simplices fideles dispensatione uti, frui licite ex Apostolica benignitate possint ac valeant. Decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper exstare, suosque plenarios atque integros effectus sortiri atque obtinere, illisque ad quos pertinent plenissime suffragari, sicque in praemissis rite esse iudicandum, irritumque ex tunc fieri atque inane, si secus quidquam super his a quavis auctoritate scienter vel ignoranter attentari contigerit. Tandem volumus ut praesentium Litterarum transsumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate vel officio constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si fuerint exhibitae vel ostensae. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die X Iunii MDCCCCXI, Pontificatus Nostri anno octavo.

R. CARD. MERRY DEL VAL
a Secretis Status.

EX SACRIS CONGREGATIONIBUS ROMANIS

SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE

Ex Congregatione Concilii.

Dubia circa dies festos recenti Motu Proprio « Supremi Disciplinae » suppressos.

I. — An in festis nuperrimo Motu Proprio suppressis quoad forum, nempe SSmi. Corporis Christi, Purificationis, Annuntiationis et Nativitatis B. M. V., S. Ioseph Sponsi eiusdem B. M. V., S. Ioannis Apostoli et Evang., et Patroni cuiusque loci vel dioecesis, obligatio remaneat Sacrum faciendi pro populo.

Resp. Affirmative.

II. — An in Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis omnia in praedictis festis suppressis servanda sint prout in praesenti, sive quoad officiaturam choralem, sive quoad solemnitatem tum Missarum tum Vesperarum.

Resp. Affirmative.

III. — An festa ex voto vel constituto, auctoritate etiam ecclesiastica firmato sancita, a numero festorum cum obligatione sacrum audiendi vigore novissimae huius legis expungantur.

Resp. Affirmative.

IV. — An eadem lex novissima de diebus festis servandis immediate vigeat.

Resp. Affirmative.

(Ex decr. d. VIII mens. Augusti MCMXI).

Ex Congregatione Rituum.

De lampadibus electricis in expositione SSmi. Sacramenti.

— Non licet, tempore expositionis privatae vel publicae, interiorem partem Ciborii cum lampadibus e-

lectricis in ea collocatis illuminare, ut Sacra Pixis cum Sanctissimo Sacramento melius a fidelibus conspici possit. (Ex decr. d. XXVIII mens. Iulii MCMXI).

Dubium de festo Nativitatis S. Ioannis Baptistae, post decreta in recenti Motu Proprio de diebus festis.

Utrum dioeceses ubi hucusque festum Nativitatis S. Ioannis Baptistae quotannis celebratum est die 24 Iunii cum Apostolica dispensatione a Feriatione, possint hunc diem retinere, vel potius debeant sumere praefatam dominicam in kalendario universali nuper assignatam Nativitati Sancti Praecursoris Domini? — *Resp.* Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.

Ex Commissione Pontificia de Re Biblica.

Rationis periclitandae doctrinae Candidatorum ad Academicos Gradus in Sacra Scriptura, pars altera (1).

II. — DE EXPERIMENTIS AD LAUREAM CONFERENDAM.

Art. I. — De conditionibus ante servandis.

1. — Nisi adsint rationes omnino peculiares, quas iure librare Commissionis est, periculum ad Lauream, quo maturior thesis parari possit, duorum saltem annorum intervallo a Prolytatu distare debet.

2. — Quum nomen suum Rmo. Secretario dat, Canditatus simul indicet titulum et generalem notionem suae theseos doctoralis, necnon linguam qua eam exarare intendat.

3. — Pariter significet: *a)* librum vel librorum complexum tum Antiqui tum Novi Testamenti, quorum exegesim praeparare intendit, iuxta alterum experimentorum indicem; - *b)* insuper quamnam linguam orientalem ad experimentum dandum elegerit et de quibusnam textibus se interrogari cupiat. Concessa autem idiomata sunt: Syriacum, Assyriacum, Arabicum, Ethiopicum, Copticum et vetus Aegyptiacum.

N. B. — Materia experimenti in linguis debet esse sat ampla, extra textum biblicum, maiori saltem parte, potius deligenda. Propositio operis penes Candidatum est, modo sufficientis sit molis et approbatio Rmorum. Consultorum accedat.

4. — Rmus. Secretarius significabit Candidato utrum theseos argumentum aliasque propositas materias Commissio comprobaverit, et quasnam forte eadem animadversiones fecerit aut mutationes suggesserit.

5. — Ipse vero Candidatus tempestive mittat suae theseos typice, lithographice aut mechanice editae quindecim saltem exemplaria, ut praeter Emos. DD. Cardinales Pontificiae Commissioni adscriptos, quotquot Rmi. Consultores defensioni theseos interesse cupiant, singuli unum accipiant.

6. — Postquam thesis examini iudicum subiecta fuerit, maiorique numero suffragia ferentium probata, Revmus. Secretarius, auditis Rmis. Consultoribus, cum Candidato constituet de die experimento theseosque defensioni assignando.

Art. II. — De experimento deque theseos defensione.

1. — Experimentum duplici parte constat: altera praeliminari; altera solemniori.

2. — Experimentum *praeliminare,* technicum quodammodo, in duplex periculum dividitur. Interrogandus est Candidatus: *a)* de lingua orientali a se delecta; — *b)* de libris Antiqui vel Novi Testamenti a se propositis, necnon de notionibus ad rem criticam et patristicam spectantibus ad normam adnexi indicis.

Quae omnia experimenta in aula publica habentur ita, ut qui cupierint auditores eisdem interesse possint.

3. — Experimentum *solemnius* duas pariter complectitur partes: lectionem publicam a candidato ex tempore habendam, et ipsam theseos defensionem.

a) — Lectio publice habenda est de argumento a iudicibus delecto e libris utriusque Testamenti ab ipso Candidato propositis, vel de quaestionibus rei criticae aut patristicae in adnexo indice descriptis. Candidato conceditur spatium unius horae ad hanc lectionem praeparandam. Absoluta lectione, quae quindecim vel viginti momenta non excedat, iudices candidatum tenent sive de argumento lectionis, sive de quaestionibus connexis, quin tamen indicis ambitum excedant.

b) — Defensionem theseos praecedit argumenti expositio nitida, expedita et, quantum potest, plena, quae tamen spatium unius horae nunquam excedat. Tres dein e iudicum collegio thesim ex officio impugnent. Post quos alii quoque Revmi. Consultores quaestiones movere possunt. Spatium utriusque experimenti definitum non est. Suadendum tamen ut unius diei intervallo inter se distent.

4. — Absoluta theseos defensione, iudices conveniunt de admissione Candidati inter se deliberaturi. Cuius deliberationis exitus a Revmo. Secretario die sequenti Candidato significatur.

Art. III. — De expensis a Candidato solvendis.

1. — Candidatus ad Lauream ter centum libellas solvere debet, dimidiam scilicet partem dum thesim doctoralem tradit, alteram antequam eius defensionem suscipiat.

2. — Quae tamen altera pars non est solvenda, nisi thesi iam accepta. Quodsi theseos defensio infelicem habuerit exitum, quinquaginta libellae Candidato restituentur.

(Haec altera pars rationis periclitandae doctrinae Candidatorum ad Academicos Gradus in Sacra Scriptura a SS. D. N. Pio PP. X adprobata est die XXIV mens. Maii MCMXI).

(1) Crf. num. sup.

DIARIUM VATICANUM

(Mense Septembri MCMXI).

Coram SSmo. admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, eos praesertim qui Sacris Congregationibus aut Tribunalibus praepositi sunt, Urbanos Antistites qui munerum suorum causa Pontificem adire solent, denique Episcopos, qui ad limina Apostolorum venerunt, vir nullus peculiari mentione dignus coram Sanctissimo per mensem admissus est.

Pontificiae electiones.

Provisio ecclesiarum. Per S. Congregationis Consistorialis decreta SSmus. D. N. Pius PP. X has quae sequuntur ecclesias de proprio pastore providit, scilicet: cathedrali ecclesiae Spalatensi praefecit r. d. Antonium Siiroie, presbyterum archidioecesis Iadrensis, rectorem Seminarii theologici centralis; ecclesiae archiepiscopali Kingstoniensi r. d. Michaëlem Iosephum Sprat, rectorem ecclesiae S. Michaëlis in oppido *Belleville* eiusdem archidioecesis; ecclesiae cathedrali Reginensi r. d. Oliverium Eleazarum Mathieu, ex-rectorem Universitatis Quebecensis; ecclesiae cathedrali Monasteriensi r. d. Felicem De Hartmann, decanum Capituli Monasteriensis et Vicarium Capitularem eiusdem vacantis dioecesis; titulari ecclesiae episcopali Hemesensi r. d. Georgium De Lucchi, canonicum theologum ecclesiae cathedralis Vicentinae; cathedrali ecclesiae Caliensi r. d. Eladium Perlaza, Vicarium Generalem in civitate vulgo *Calì;* ecclesiae caethedrali Divionensi r. d. Iacobum Ludovicum Monestès, canonicum cathedralis ecclesiae Agennensis; ecclesiae cathedrali Toletanae in foederatis Statibus Americae Septemtrionalis r. p. d. Iosephum Schrembs, hactenus episcopum titularem Sophenensem; ecclesiae archiepiscopali Dubuquensi r. p. d. Iacobum Ioannem Keane, hactenus episcopum Cheyennensem.

— R. P. D. Camillus Laurenti a Secretis dicitur S. Congregationis de Propaganda Fide, atque r. p. d. Adrianus Zecchini, alter a Secretis.

Vita functi viri clariores.

Die VIII mens. Septembris, Cracoviae, cuius dioecesis episcopatum ab an. MDCCCXCIV tenebat, supremum obit diem **Ioannes de Koziesko Puzyna,** Gwoziec ad Leopolim natus d. XIII mens. Septembris MDCCCXLII, episcopus electus an. MDCCCLXXXVI, in Sacrum Senatum cooptatus d. XV mens. Aprilis an. MCMI titulo SS. Vitalis, Gervasii et Protasii Inter Vindobonensis Patriciorum Curiae legatos atque intimos Imperii consiliarios adnumerabatur, Rectorisque munus gerebat theologicae disciplinae in athenaeo Cracoviensi.

ANNALES

Italiam inter et Turcarum imperium discrimen.

Dum Gallorum et Germanorum gubernia inter sese agunt, ut borealis Africae res componant ad sua utriusque negotia tutanda, en ex improviso aliud, idque gravius discrimen exoritur inter Italos et Turcas. Quamquam non recte « ex improviso » diximus; diuturnum enim tempus est ex quo Italici qui subsequuti sunt administri sine intermissione apud Turcarum imperium de Tripolitanae regionis iactura querebantur, quippe quae internis perturbationibus vexata et procul ab omni humanitate et cultu relicta, Italorum negotiis, ob Italorum litorum propinquitatem vitali satis vi pollentibus, maxime obstaret. Quid ? Neglectis omnino huiusmodi querimoniis, pro nihilo habito fido praesidio ab Italis pluribus, et etiam recentibus, Turcici imperii necessitatibus dato, imo spretis audacter, quasi imbecillitatis, Italorum temperationis et patientiae argumentis, eo perventum est, novissimis potissimum temporibus, ut incoeptum quodvis tum in Tripolitania tum in proxima Cyrenaica Itali aggrederentur, obstaculis omnis generis contra fas omne, ex adverso animo et consulta hostili ratione esset obnoxium. Coepit tunc Italicus populus agitari, reposcere utrum ita ultra procedi posset, ut nationis dignitas insanis huiusmodi barbarisque Turcarum consiliis frangeretur, satisfactionem iugiter expostulare, idque tam unanimi partium consensu, ut antea nunquam. At Turcicum gubernium rem semper in dies trahere, incertas promissiones emittere, caussas praetendere atque ficto, ut Mahumetanorum assolet, animo, dum bona mente facere ostentat, naves bellice munitas in Tripolitaniam mittere. Quarum alterius, *Derna* nomine, ad Tripolim adventu studiose explorato atque confirmato, Italis aequum fuit per *ultimatum*, ut vulgo audit, quaerere ut Tripolitania terra ab Italorum militibus ad negotia sua protegenda pacifice occupari posset; unius diei spatio elapso neque ullo responso, aut hanc facultatem negante, tradito, belli ritu iri processum.

Turcarum protervia postremam hanc discriminis solutionem delegit; quam si, pacis fautores, dolemus, facere tamen non possumus quin bono Italorum iuri, quod universi cultus totiusque humanitatis est, ominemur cessuram.

In Perside.

Mohamed Ali, Persidis thronum a quo fuit depulsus recuperare contendens atque ad hunc finem assequendum cum asseclis suis in bellum profectus, videtur omnem iam spem dimittere debere. Nunciant enim eum a gubernii copiis fusum atque fugatum, ut una cum septingentis militibus sibi tantum relictis ad caedem vitandam in septentrionalis Persidis latebris sese abdere coactus fuerit.

PUBLICI PER ORBEM COETUS
legibus ferendis

In **Austria** Schoenaich dynastae, bellicae rei administro, a munere recedenti, Von Auffenburg, Bosniae praefectus militaris, suffectus, quem dictitant ea condicione officium accepisse, ut leges de

imperii copiis publico legatorum coetui iam propositae integrae servarentur.

In **Batavia** aditiali reginae oratione, ab administrorum praeside perlecta, publici coetus sessiones resumptae.

In **Bulgaria** nova comitia habita, quae parti gubernio faventi secunda omnino cesserunt.

In **Russia,** in Stolypinii nefarie interempti locum, administer primus Kokozowius renunciatus, qui aerario praeerat.

PER ORBEM

Die I mens. Septembris MCMXI Camnago in oppido ad lacum Larium, ubi ortum duxit, monumentum erigitur Alexandro Volta physico illi, qui electricam pilam reperiens iter primum scientiae novissimae in dies nunc progredienti ac triumphanti constravit.

— d. II aviationis aliae victimae lugentur Camine, De Grailly, Masson, Northon.

— d. III iuris prudentium conventus Augustae Taurinorum congregatur.

— d. IV Vindobonae ex operariorum ferriviis addictorum a laboribus suis desertione atque ex nimio victûs pretio tumultus fiunt, quos militari manu cohibere oportet.

— d. VI, Neapoli, Caietanus Manfredi, forensis eloquentiae magister maximus, miseram sibi mortem consciscit.

— d. IX in Trasimeno lacu autoscapha patricio comitatu onusta, ventorum vi evertitur. Matronae ac puellae omnes qui in eo erant fluctibus misere obruuntur.

— d. X Aetna mons nova ora per iuga sua aperit: ignis ac torridus limus domus ac sata laeta late conficiunt atque consumunt.

— d. XIII Kiew in urbe monumentum Alexandro II, Russorum quondam Caesari, sollemniter dicatur.

— d. XIV ex Hispania seditiones passim ortae nunciantur, et Laviobrica urbs veluti obsidione clausa a gubernio declarata.

— d. XV Kiew in urbe, dum spectaculo coram Imperiali familia acto in theatro adstat, Stolypinius, administrorum Russici consilii praeses, nefaria Bogroffii, advocati cuiusdam ex anarchistarum factione, manu petitur. Ex vulneribus acceptis infelix vir, patriae suae optime meritus, paucos post dies moritur.

— d. XVI loricata Italorum navis, cui a S. Georgio nomen, quae die XII mens. Augusti in submarinos scopulos Neapolitani sinus offenderat, post diuturnos immanesque labores syrtibus tandem liberatur.

— d. XVII in Ligustico sinu atrae procellae immensa tum locorum tum hominum damna apportant.

— d. XVIII Vindobonae tumultus, iique acerrimi, renovantur.

— d. XXI turbo violentissimus ac praerupti ex Vesevo aquae et luti montes oppidis circa Neapolitanum sinum vastitatem inferunt.

— d. XXI Miller et Castellane Americani aviatores et ipsi ausus sui morte poenas luunt.

— d. XXIV Henricus Houssaye, historicus et criticae artis magister inter Gallos praeclarus, Lutetiae Parisiorum sexaginta et tres annos natus obit.

— d. XXV loricata Gallorum navis, cui a Libertate nomen, ignitae pulveris deposito noctu incenso, confringitur. Quingenti circiter ex classiariis eius naviumque circum eam in Tolonensi portu anchoris firmatarum caesi, aut graviter vulnerati, lugentur.

— d. XXVI Kiew in urbe, Bogroffius, Stolypinii administri interfector, suspendii poena vitam finit.

— d. XXVII automobilis currus Lutetiae Parisiorum super ponte, cui ab Archiepiscopatu nomen, alii occurrens, in Sequanam praecipitat. Viatorum undecim infeliciter submerguntur.

— d. XXIX in militum aërodromo ad Johannistal, Engelhardt centurio dum aëronavem gubernat, helica necopinato concissa, in terram praecipitat ac infelici fato concedit.

— d. XXX in navalibus ad Portsmouth dum torpedines conficiuntur cylindrus pyrogranam continens incenditur eiusque schidiae operarios circum offendunt, quorum duo interficiuntur pluresque alii vulnerantur.

AENIGMATA

I.

Garrula sum volucris. Frontem mihi sigmate adauge:
Maturae segetis culmina summa not[illegible].

II.

Nomina sume trium, lector bone, bestiolarum:
Immundo gaudet prima i cere luto
Altera perrodit chartas librosque vetustos.
Tertia, felino ne cadat ungue, timet.
Vocibus his iunctis nascetur nobile verbum
Nos patienter onus sustinuisse iu eus.

F. P.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Doctorem IOSEPHUM FORNARI, Commentarii moderatorem *(Roma, via del Governo Vecchio, 96)* miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet I. B. FRANCESIA comoediam latinis versibus scriptam, cui titulus:

SATURIO

Aenigmata an. XIV, n. VII proposita his respondent:

1) **Cur - Sus - Ursus - Cursus**

2) **Aspis.**

Ea rite soluta miserunt:

Don. Macrae, *Edderton in Scotia.* — C. Peltenburg, *Leida.* — Lad. Lud. Podobinski, *Neo Saudecia.* — Scriptor Latinus, *Bremiportu.* — I. M. Mennier, *Corbiniaco.* — A. Faverzani, *Merato.* — Alex. P. Gest, *Trentonio.* — Ad. Kozlowski, *Petricovia.* — A. Reuevey, *Estarayer le Lac.* — Lud. Goux, *Bituricis.* — Vinc. Starace; Alex. Pintauro, *Neapoli.* — Frid. Horwath, *Vindobona.* — St. Pini; F. Arnori, *Mediolano.* — Paulinus a S. Iosepho, *Barcinone.* — F. X. M., *Drepano.* — Alb. Perrand, *Lutetia Parisiorum.* — Petrus Tergestinus. — Eug. Dolmar, *Neo Eboraco.* — Georg. Archambeault, *Quebeco.* — Lud. Dubois, *Massilia.* — A. Bounin, *Aureliano.* — P. Prado, *Venetiis.* — Alb. Kain, *Dublino.* — Iac. Menendez, *Madrito.* — Barth. Ferraris, *Augusta Taurinorum.* — Fr. Xav. Ghion, *Ostunio.* — Fr. Guerra, *Aletio.* — F. Wawer, *Marianopoli.* — Alb. Catteau, *Lugduno.*

Sortitus est praemium:

BARTHOLOMAEUS FERRARIS,

ad quem missum est opus, cui titulus:

HERMANN KRUSEKOPF
QUAESTIONES SOPHOCLEAE

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus

ROMAE — Ex officina *Societatis Editricis Romanae.*

EUPLIUS

(11

Actio dramatica a I. B. Francesia versibus senariis exarata.

SCENA X.

VOLUSIUS ET DICTI.

VOLUSIUS.

Quid audio? Siccine fideles Deo?
Sic vos vos geritis Christi discipuli?

MAXIMUS.

Et tu, Volusi, alumnus Christi diceris?
Huic fidem fregit Euplius nuperrime,
Et sacra tradidit praetorio volumina!

VOLUSIUS.

Nondum vocari dignor Christi discipulus,
Probe vestros dolos malos perspicio;
Vos sed infertis Euplio calumniam.
Vos impios ore compellam libero,
Urbem repletis nostram qui discordiis,
Quae pace magna clarescebat undique!

CALVISIANUS.

Offendis Caesarem! Tu Christianus es!

VOLUSIUS.

Sic vos me impellitis?

SCENA XI.

OCRIS, NONNULLI CIVES et DICTI.

OCRIS *(prosilit in scenam ferens manu cultrum)*
Cecidit!

OMNES TURBATI.

At quis?

VOLUSIUS.

Quis?

OCRIS.

Euplius!

VOLUSIUS.

Quando?

OCRIS.

Modo!
Eum vidi nuper pensilem laqueo.

MAXIMUS.

Infestas intulit sibi nequam manus.

CALVISIANUS.

Actus in angustias dolore sceleris,
Necem conscivit infelix sibi impiam.

MAXIMUS.

Sic Christianorum caput disparuit!

CIVIS I.

Oh! pudor!

CIVIS II.

Oh crimen!

CIVIS III.

Quae rerum lacrimae!
(exeunt eiulantes).

SCENA XII.

OCRIS, MAXIMUS et CALVISIANUS.

OCRIS.

Dabis mercedulam, quam tu es pollicitus?

MAXIMUS.

Dabo, sed postea!

OCRIS.

Quid? Nunc! dato!

MAXIMUS.

Accipe! *(Ocris exit).*
Euge! Calvisiane, res bene contigit,
Ipsi dii nam plurimum nos adiuvant!

CALVISIANUS.

Fuit Volusii quam moesta facies!

MAXIMUS.

At ipse Christi fidus est discipulus!
In hunc sit omnis nostra fatigatio.

CALVISIANUS.

Actum est de secta Christianorum pessima,
Nostram turbare civitatem solita!
Et ipse nuncium felix dabo Caesari,
Eversam Catanae sectam radicitus,
Et omnes cives venerari numina *(ironice atque elata voce).*

MAXIMUS.

Nos adorare maxime Mercurium!

FINIS ACTUS SECUNDI.

ACTUS III.

SCENA I.

MAXIMUS et NONNULLI POPULARES.

MAXIMUS.

Adest nunc tempus Christi quo discipuli,
Qui me solebant propulsare immodice,
Quod in meliorem ductus sententiam,
Iam Christi sectam fortiter reliqueram,
Turpem recipiant dignam se noxiam.
Hic nam superbos videre nunc perlubet,
Audire resciant quid ut defenderent
Suum Euplium, quem ferebant ad sidera,
Magnis quem nuper excepere laudibus.
Enim mox stimulis punctus conscientiae
Is ultro codices iudici tradidit,
Vultuque demisso petivit veniam.
Peius his fecit: intulit sibi necem.

I. CIVIS.

Vos occidistis!

II. CIVIS.

Insultatis desuper!

(Ad proximum numerum).

Ann. XIV. Romae, Mense Novembri MCMXI Num. XI.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Rerum index:

DISPUTATIONES PHILOSOPHICAE
MODERNISTAM INTER ET THOMISTAM

Electio per se duo obiecta habet realiter inter se distincta et ordinata, prout est amor finis et amor medii.

Thomista. — Quo plenius illustrentur quaestiones de quibus alias mentiones fecimus, (1) addenda sunt nonnulla, et quidem gravioris momenti, summeque attendenda, quum exinde iam iam appareat nodus quaestionis de connexione cognitionis cum actu voluntatis.

Id prae primis notandum, electionem duo habere obiecta, alterum formale, nempe finem; alterum materiale, scilicet media ad finem: quorum primum propter se amatur, secundum vero propter aliud; vel si malueris, omissis nonnullis hic inter Doctores disputatis, electionem esse, « entitative et formaliter » unum actum, « virtualiter » autem duo, seu qui duas importet formalitates : unam ad finem, aliam ad medium propter finem obtinendum.

Modernista. — Sed tamen nonne disputatur an ipsi fines sub electione cadant; nonne certum est finem ultimum, seu amorem boni in communi non cadere sub electione, sed esse solummodo obiectum intentionis?

T. — Inter Doctores reapse disputatur an fines sub electione simul cum mediis cadant: hic pro rei nostrae necessitate id adnotasse sufficiat, fines particulares ita esse fines ut et ipsi media evadant respectu finis superioris, atque inde sub electione cadere. De fine autem ultimo, seu felicitate aut bono in communi, concedendum, imo tenendum est ipsum esse per se solius intentionis obiectum. Ubi autem agatur de fine ultimo in particulari, ut, puta, de visione beatifica, de ipsius Dei possessione, id utique patet rursus nullam institui disputationem, si res in se ipsa consideretur, siquidem Deum esse amandum non indiget demonstratione aliqua, sed per se notum est et evidens. Sed tamen per accidens, quia nempe homines in via positi sunt infirmi iudicii, neque Deus ipsis in se innotescit, hinc nonnisi media deliberatione et iudicio amatur: imo quandoque ipsa Dei notitia, ipse amor nonnihil apparentis mali, v. gr. pugnam contra concupiscentias inferre potest: unde collatio utriusque boni, veri nempe et apparentis, proindeque et electio haberi poterit. Hisce vero dimissis, tenendum prorsus est finem ultimum in communi seu felicitatis amorem nullimode evadere medium posse, neque ex parte sui, neque ex parte nostri, proindeque nullatenus electioni subiici.

Quin imo tenendum est, electionem proprie et per se nisi mediorum esse, scilicet non illius boni quod est amabile per se, sed illius quod est amabile propter aliud, ita ut ratio istius amandi et eligendi sit amor illius quod propter se amatur. Hic tamen istud notatum volo, formalitatem electionis esse quod sit de obiecto contingenter amabili: ideoque medium quod habet necessariam etiam ex parte nostri connexionem ad finem ultimum in communi non esse eligibile, licet sit amabile propter aliud; et, e contra, finem ultimum in particulari non esse amabilem propter aliud, et tamen esse eligibilem, prout ex parte nostra contingenter amabilem, siquidem non praesefert ex parte nostri connexionem necessariam cum bono quod est nobis naturalis ratio « volendi », iuxta dictum scholasticorum.

M. — Nonne tamen ex parte nostra Deus est amabilis ut medium, quum ametur propter bonum et debitum, ita ut in amore Dei habeantur et res amata, nempe ipse Deus, et ratio amandi, seu bonum absolute?

T. — Deus tamen reapse, ex parte obiecti, non amatur propter aliud, siquidem bonum absolute non est nisi ipsemet Deus in se et extra se diffusus : illud igi-

(1) Cfr. num. sup.

tur bonum non est aliud a Deo, sed ipsemet Deus confuse cognitus.

Sed vero ex parte nostri Deus a nobis amatur propter aliud formaliter, siquidem ratio Deum amandi nobis est quia hoc est bonum. In qua electione non sunt duo obiecta distinta in se, sed distincta ratione, quia scilicet unum distincte, aliud vero confuse innotescit. Bonum vero absolute in se, imo bonum universalissime sumptum non est nisi ipse Deus in se et sui diffusivus.

Sed iam ad principale nostrum assertum deveniendum est, scilicet voluntatem non posse velle medium formaliter, quin simul et eodem actu et finem velit.

Ubi etenim est unum obiectum est unus pariter actus: atqui medium ut medium et finis sunt unum obiectum; medium quippe se habet ut materiale et finis ut formale seu ratio » volendi » medium: ex materia autem et forma unum constituitur obiectum adaequatum: unde voluntas non potest velle unum, quin simul velit et aliud.

M. — Sed tamen non omnes istud concedunt, neque ego, ut verum fatear, concedendum duco, quod nempe voluntas quotiescumque vult medium, velit formaliter et actualiter finem; sufficit namque si voluntas velit finem virtualiter. Saepe saepius enim nonnihil operamur quum non consideremus finem, ut, puta, si iter arripiamus ad montem quum perpetuo de monte petendo haud cogitemus; sufficit vero si virtute anterioris voluntatis et intentionis iter pedetentim prosequamur.

T. — Bene et recte opinaris, carissime. Nonnulla tamen ad quaestionis intelligentiam sunt probe distinguenda.

Distinguendum igitur primo est finem particularem inter et finem in communi: quorum ultimus nihil aliud est quam quod habet rationem boni perfecte et absolute.

Distinguendum rursus est inter cognitionem ultimi finis distinctam et confusam, et inter utrumque amorem inde secutum. Ultimus nempe finis distincte cognoscitur quando apparet sub ratione boni perfecti et comparative ad omnia quae voluntas appetere potest, ut satians perfecte voluntatem, et ratio cetera omnia amandi.

Ex qua cognitione duplex iterum amor proportionatus enascitur, ita ut super omnia finem ultimum amet, et propter ultimum finem omnia alia.

Ubi autem conferantur inter se illae cognitiones illique amores, boni nempe perfecti et bonorum imperfectorum, inde fluunt nonnullae magni momenti consequentiae et diversitates.

Fieri quippe istud potest, quod scilicet quis amet finem ultimum seu beatitudinem perfectam cum proposito omnia propter eamdem acquirendum faciendi, tuncque amatur finis ultimus distincte et formaliter: bona autem alia nonnisi confuse et virtualiter, quum menti ipsius ista non adsint hic et nunc; ubi autem quis haec singulatim prosequetur, tunc non amabit finem ultimum distincte et formaliter, sed tantummodo confuse et virtualiter, quia non instituet collationem inter bonum ultimum et bona particularia, etsi reipsa haec particularia bona in illo contineantur.

Istud praeterea sedulo est advertendum, nempe quod ubi amatur bonum in se perfectum, non amatur nisi obiectum per se unum, quia est finis ultimus, et bonum illud amatur amore sui, seu est simul et obiectum amatum et ratio amandi; ubi vero amatur bonum particulare non perfectum, tunc amor huiusmodi duo habet reapse obiecta inter se distincta realiter, siquidem bonum illud particulare non est neque potest esse nisi bonum quod propter maius bonum amatur, scilicet propter felicitatem quodammodo integrandam; respicit igitur bonum perfectum ut finem adipiscendum, et bonum particulare ut medium quodcumque ad illud; seu, si malueris, bonum perfectum amatur ut quid totum respectu ad partem, et pars, — v. gr. divitiae, sanitas, — amantur ut pars respectu ad totum.

M. — Nonne tamen dantur multa bona particularia, quae in se veri nominis bona sunt, atque hinc proinde possunt esse amoris obiecta absque ullo ordine ad aliud?

T. — Distinguendum ergo nobis erit, carissime. Si homo finem suum ultimum in hisce bonis particularibus reponat, unum reapse amat obiectum ut ultimum finem; secus autem, si bonum huiusmodi non amet ut finem ultimum, sed ut medium ad perfectionem integrandam, tunc duo sane amat bona, ita ut intentio unius seu boni particularis pendeat ab intentione alterius, seu boni in communi.

Inde rursus clarius patebit qua ratione amor finis maneat virtualiter in omni electione, nullaque prorsus detur electio in qua simul cum medio non ametur finis seu bonum simpliciter: notandum est alium dari praeter electionem actum, qui respicit media in ordine ad finem, videlicet usum, etsi auctores nonnulli haec duo male permisceant, eo quod utrumque respicit media in ordine ad finem. Voluntas namque, - ait Angelicus, - (1) respicit bonum, ad idemque proportionem dicit et ut est in eo qui vult, et ut est in rerum natura. In electione quidem completur proportio voluntatis ad bonum ultimum ut est in volente; usus vero, nempe activus, ad voluntatem pertinet et respicit bonum ut est in rerum natura: unde usus electionem sequitur.

Ex qua distinctione perspicua varia et quidem maxime attendenda fluunt consectaria.

Hinc enim sequitur in primis, electionem respicere bonum absolute ut est amabile; usum vero respicere illud ut est factibile.

Sequitur rursus, electionem esse actum per quem bonum plene est in amante per inclinationem; usum vero esse actum quo bonum est in rerum natura extra amantem; sequitur, electionem proxime et immediate pendere ab amore finis; usum autem respicere medium

(1) I 2.ae, q. 26, a. 4.

ut electum determinate propter finem, unde pendet ab electione immediate, et a fine mediate.

Sequitur, electionem non esse nisi ex determinata et certa intentione, quia voluntas nequit se determinare ad eligendum determinatum medium, ex intentione vaga et incerta; usum autem non pendere ex intentione finis determinati, sed ex determinata electione medii, qualiscumque sit intentio voluntatis.

Sequitur primam electionem esse necessario ex cognitione explicita et actuali amore finis, licet postmodum sufficiat eiusdem habitualis memoria; usum e contrario praedictum esse posse ex sola electione, etiam confuse cognita, sicut in illo qui usu prosequitur iter electione prius determinatum, neque tamen ad rationes electionis attendit explicite et formaliter.

Unde habes, non esse necessarium ut in toto negotio peragendo quis formaliter et explicite cogitet de fine agendi, sed sufficere virtutem remanentem primae intentionis; primam intentionem, quae primae electionis causa fuit, semper manere in amore aliquo finis, quin sit necessaria formalis et explicita intentio; nullam dari voluntatem medii, quae non sit simul formalis amor finis, licet non explicitus, unde omnis intentio et usus supponit aliquem, saltem confusum, amorem finis; in omni denique electione dari duas formalitates in ordine ad duo obiecta formaliter distincta, ita ut actus, ut est amor finis, sit ratio sui; ut autem est electio, dependeat a fine.

De quo ultimo notandum est unum actum duplici formalitate integrari, ita ut, licet absolute loquendo finis possit amari sine mediis, attamen non possit amari ut ratio «volendi» medium, nisi simul eodem actu voluntas velit ipsum medium, ita ut haec numero voluntas actualis medii identificetur hic et nunc cum voluntate finis, sicut et voluntas haec numero finis identificatur hic et nunc cum voluntate medii: quae distingui ratione possunt, separari re ipsa non possunt.

I. I. B.

RHETORICAE NOTAE

RATIO BENE STRUENDAE PERIODI

Formari periodus bimembris potest, si datae sententiae adiciantur, vel causa, vel conditio, vel contrarium, vel comparatio, vel relativum, vel disiunctivum, vel aliquod huiusmodi; tunc enim causa, conditio, contrarium etc. protasin; ipsa sententia apodosin dabit. Detur e. g. sententia: «Mittam tibi oratiunculas»; adde causam: «quia te delectant»; hinc effinges periodum causalem similem sententiae Ciceronis (lib. 2. cap. 1., *ad Atticum*): «Quoniam ea, quae nos scribimus adolescentulorum studiis excitati te etiam delectant, - (en primum membrum et protasin) - oratiunculas, et quas postulas, et plures etiam quam postulas mittimus, - (en secundum membrum, et apodosin). - Conditionem si addas huic sententiae: «Nolim esse cum civibus a me alienis», fiet haec periodus conditionalis: «Si me meis civibus iniuria suspectum tam graviter, atque offensum viderem, carere aspectu civium, quam infestis oculis omnium conspici mallem». (In *Cat.* III, 7). Sit sententia: «Hic locus molestiarum et tumultuum plenissimus fuit», addito contrario, habebis aliam periodum bimembrem: «Qui locus quietis, ac tranquillitatis plenissimus fore videbatur, in eo maximae moles molestiarum, et turbulentissimae tempestates exstiterunt». (Cic. lib. I. *De Orat.,* I).

Comparatio, et similitudo in protasi collocata saepe ad periodum facit. Ex hac sententia: «Servator urbis honorari debet», addita comparatione, «ut honoratur urbis conditor», sic periodum effinges: «Quoniam illum qui hanc urbem condidit (Romulum) ad Deos immortales benevolentia, famaque sustulimus: urbis servator esse apud vos, posterosque vestros in honore debebit». (In *Cat.* III, 1).

Ex similitudine est illa bimembris in oratione post reditum ad Quirites: «Sed tamquam bona valetudo iucundior est eis qui e gravi morbo recreati sunt, quam qui nunquam aegro corpore fuerunt; sic ea omnia desiderata magis, quam assidue percepta delectant». Ea ferme ratione construi possunt bimembres periodi quae sequuntur:

I. — Relativa: «Quae res in civitate duae plurimum possunt, hae contra nos ambae faciunt in hoc tempore summa gratia, et eloquentia». Idem erat dicere: «Nobis gratia et eloquentia nunc obest».

II. — Disiunctiva: «Hoc facto aut deseretis omnino Rempublicam, Quirites, aut proiectum consulare imperium, proditam Senatus auctoritatem relinquetis». Idest: «Hoc facto male Reipubblicae consuletis».

III. — Copulativa: «Ergo et mihi meae pristinae vitae consuetudinem, Caii Caesar, interclusam aperuisti, et his omnibus ad bene de Republica sperandum quasi signum aliquod sustulisti».

IV. — Concessiva: «Etsi munusculum flagitare, quamvis quis ostenderit nec populus quidem solet, nisi concitatus: tamen ego exspectatione tui moveor, ut admoneam te, non ut flagitem».

Ipsa interdum sententia periodo membra suppeditat; quare iuverit singulas eius voces examinare ac videre possit ne ex earumdem aliqua membrum efficere. E. g. in hac sententia: «Concio imperita assentatorem discernit a gravi cive», pro «discernit» dices: «iudicare solet quid intersit», habebis facile, illam Ciceronis periodum (*De amicitia.* XXI): «Concio, quae ex imperitissimis constat, tamen iudicare solet quid intersit inter popularem, id est assentatorem, et levem civem, et inter constantem, severum, et gravem». Aut pro «assentatore» dic: «Eum, qui blanditiis, et vendibili oratione in aures influit multitudinis»; pro «a gravi

cive », dic: « Ab illo, qui sententiam rogatus libere, et constanter, id quod sentit, pronunciat ».

Trimembrem periodum non difficulter ex bimembri construxeris, si nempe vel protasin vel apodosin membro uno auxeris. Experiri id si vis in superioribus exemplis, aut expendendo, et deducendo voces singulas, easque aptis particulis vinciendo, aut sensum aliquem qui ad rem faciat e. g. comparationem, contrarium, causam, etc. adiungendo e. g. in illo (*Cat.* I) pro urbis « servatore » dic: « Qui urbem servavit », exibit haec trimembris: « Quoniam illum qui hanc urbem condidit (Romulum) ad Deos immortales benevolentia famaque sustulimus, esse apud vos posterosque vestros in honore debebit, qui eamdem urbem conditam, amplificatamque servavit ».

Quadrimembrem ita periodum, quae omnium praestantissima est, eadem fere ratione ex bimembri concinnabis; nempe si, et protasin, et apodosin in bina membra deduxeris, aut si vel protasis, vel apodosis trium membrorum evadat. E. g. in hac sententia: « Si Dii voluerunt a me consule urbem servari, subibo quaevis pericula », quadrimembrem ut efficias, deduc protasin in tria membra: « Si hunc exitum consulatus mei Dii Immortales esse voluerunt, ut quum vos, Patres Conscripti, Populumque Romanum caede misera coniuges, liberosque vestros, Virginesque Vestales a vexatione acerbissima servarem, quum haec templa, atque delubra hanc pulcherrimam patriam omnium nostrum ab expeditissima flamma, totam Italia ex bello, et vastitate eriperem — *(tertium membrum, et protasin)* — quaecumque mihi uni proponetur fortuna subeatur ». *(Quartum membrum, et apodosin).*

Sed rarius protasin, frequentius apodosin tribus membris constat, ut plurimum utrumque binis membris definiri volunt, id quod Cicero, et Demosthenes servarunt. In metiendo membrorum numero etsi tirones praesertim initio probe exercendi sunt, cavendum tamen ne illos nimis anxios sollicitosque efficias. Sunt nempe, et incisa, et membra, nunc longiora, nunc breviora, atque idcirco nunc longiores, nunc breviores periodi. Quo fit ut quod uni est incisum, alii sit membrum; quod huic est trimembris, illi sit quadrimembris, etc. Equidem non morabor si bimembrem esse ac pleniorem. ac longiorem dixeris, illam periodum Demosthenis, quae per leges, et definitiones superius traditas est quadrimembris. En illam: « Ut quanto plura Philippus praeter suam dignitatem suscepit, (I) tanto plus apud omnes admirationis assequutus est (II), sic vos, cives Athenienses, quo immoderatius, imprudentiusque rebus vestris usi estis (III), hoc maiorem turpitudinis notam nomini vestro inussistis (IV) ».

I. B.

Nemo adeo ferus est, ut non mitescere possit,
Si modo culturae patientem commodet aurem.

HORAT., Epist. I, 1.

SAADII PERSICI POETAE FABULAE

(Latine vertit F. GUADAGNI) (1)

AVARUS, FILIO AEGROTANTE.

Fabella ostendet, nummos atque opes suas,
Avarus ut prae amandis cunctis adimet.
Quum iuvenem invasisset morbus lethifer,
Homo dives, et idem, quam qui maxime,
Aridus ac parcus, gemitum edebat pater.
Amici monent: Quid non super filio
Arcana ac sacra curans verba immurmurent,
Dilectum caelo genus, sacrificuli?
Cur victimas non caedis, deinde et iubes
Secari caesas atque egenis dividi?
Forsitan per haec caeli ira remiserit.
Ad quae homo avarus: In praesentia recitet,
Verba Sacerdos; at, quod sacrificia
Postulant, abest procul hinc pecus meum.

OVIS ET HOMO.

Pepulit hostem si quis aliena manu,
Tyrannidem haud evasit, mutavit genus.
Ovem ab ovili rapuit nocte conditus
Obscura lupus. Sentit, et surgit gravi
Arrepta clava homo festinus. Involat
Idem in raptorem, stupido et formidine
Extorquet ovem de malis sanguineis.
Illa laetari, agere impense gratias,
Appellare hominem sospitatorem suum,
Exitii depulsoremque et suum deum.
Exacta nondum tota sed nocte, deus
Auxiliator ille Ovem, pulmentarium
Quam sibi destinarat, cultro ancipiti
Invadit, ictu letalique vulnerat.
Ovis in ipsa morte vocem languidam
Sustulit: Ungui me extorsisti et faucibus
Lupi, sed factus mihi nunc ipse es lupus.

MULOMEDICUS IUDICIO ABSOLUTUS.

Insipienti qui credit sese, insipiens.
Ex oculis laborans quidam graviter,
Consilii, quisquis fuit is Terrae filius,
Plane nullius, accessit Mulomedicum,
Curandos eique oculos commisit suos.
At ille inunxit lumina collyrio,
Praesens expertus quod in quadrupedibus.
Quid quaeris? Curatio tam belle ac probe
Processit, ea vis fuit et cataplasmatis
Utrumque foris lumen ut egesserit.
Tunc caecus postulavit mulomedicum,
Querelam intentans damni, illevisset sibi
Quod medicamen impingendum belluis.
At iudex longe depulit calumniam.
Non enim, aiebat, medico quadrupedum
Lumina credidisses, queis carius nihil,
De stupido brutorum ni tu esses grege.

(1) Cfr. huius anni fasc. IX.

Stili lapidarii elementa[1]

VI. — De constitutionibus publicis.

Tabularum aerearum tria millia, quae in Capitolio erant instrumentum, ut ait Suetonius, Imperii pulcherrimum ac vetustissimum, bello Vitelliano omnia conflagraverunt: eo continebantur - inquit idem - pone ab exordio Urbis Senatus consulta, Plebiscita de societate, ac foedere, ac privilegia cuicumque concessa. Haec iterum cura Imperatorum constituta, iterum periere, ac nisi quaedam latini scriptores in libros suos retulissent, vix aliquid probabile haberemus. Pauca nos hic exempla relegemus.

Edicta Magistratuum.

CN . DOMITIVS . AENOBARDVS
L . LICINIVS . CRASSVS CES
RENVNTIATVM . EST . NOBIS . ESSE . HOMINES
QVI . NOVVM . GENVS . DISCIPLINAE . INSTITVERVNT
AD . QVOS . IVVENTVS . IN . LVDOS . CONVENIAT
EOS . SIBI . NOMEN . IMPOSVISSE . LATINOS . RHETORES
IBI . HOMINES . ADOLESCENTVLOS .
TOTOS . DIES . DESIDERE
MAIORES . NOSTRI . QVAE . LIBEROS . SVOS . DISCERE
ET . QVOS . IN . LVDOS .
STARE . VELLENT . INSTITVERVNT
HAEC . NOVA . QVAE . PRAETER . CONSVETVDINEM
AC . MOREM . MAIORVM . FIVNT . NEQVE . PLACENT
NEQVE . RECTA . VIDENTUR . QVAPROPTER . ET . IIS
QVI . EOS . LVDOS . HABENT . ET . IIS . QVI . EO
VENIRE . CONSVEVERVNT . VIDETVR . FACIENDVM
VT . OSTENDAMVS . NOSTRAM . SENTENTIAM
NOBIS . NON . PLACERE

Non ideo hi Rhetores silere iussi sunt, quod Senatus id temporis, aut Censores litterarum studia non probarent, sed ea potius de causa, quod Magistri illi male audirent, nec doctrina excellere putarentur. Legatur de hoc edicto Tullius *(de Oratore* III, XXIV). Edictum porro tam decorum atque elegans ab ipso L. Crasso, oratorum omnium disertissimo, praescriptum esse minime dubitandum est.

Edictis fere omnibus initium, quod hic desideratur, erat a fausto omine, id est bonum factum, sed primum tantis litteris scriptum. Aliud initium saepe fuit, quod veteres, ut ait Tullius, omnibus rebus agendis praefabantur. — *Quod Bonum Faustum Felix Fortunatum Que Sit:* sic Livius de rege post Romulum creando haec ab interrege prolata narrat:

QVOD . BONVM . FAVSTVM . FELIX . QVE
SIT . QVIRITES . REGEM . CREATE . ITA
PATRIBVS . VISVM . EST . PATRES . DEINDE
SI . DIGNVM . QVI . SECVNDVS . AB . ROMVLO
NVMERETVR . CREARITIS . AVCTORES
FIENT

Senatus Consulta habes multa apud Tullium praesertim (in *Philippicis.* Lege ex illis. *Orat.* V, XIII, 36).

Placet afferre S. C. quo Mensi Sextili Augusti nomen attributum est:

CVM . IMP . CAESAR . AVGVSTVS
MENSE . SEXTILI . ET . PRIMVM
CONSVLATVM . INIERIT . ET
TRIVMPHOS . TRES . IN . VRBEM
INTVLERIT . ET . EX . IANICVLO
LEGIONES . DEDVCTAE
SEQVVTAEQVE . SINT . EIVS . AVSPICIA
AC . FIDEM . SED . ET . AEGYPTVS . HOC
MENSE . IN . POTESTATEM . POPVLI
ROMANI . DEDVCTA . SIT . FINISQVE
HOC . MENSE . BELLIS . CIVILIBVS
IMPOSITVS . SIT . ATQVE . OB . HAS
CAVSAS . HIC . MENSIS . HVIC
IMPERIO . FELICISSIMVS . SIT . AC
FVERIT . PLACERE . SENATVI . VT . HIC
MENSIS . AVGVSTVS . APPELLETVR.

VII. — De inscriptionibus temporariis.

Precationum causa, et ad vota nuncupanda formulas quasdam tabulis inscribendas curasse veteres, easque palam propositas, praeeunte fere Pontifice Maximo, recitasse ex historia compertum est. Pomparum etiam, et Ludorum diebus multos passim titulos prostitisse temporarios Theatris, Porticibus ad tempus exstructis, aliisque huiusmodi inscriptos fatendum est. In triumphis etiam erant Tituli Ferculorum, quos frequentissime scriptores commemorant. Denique ipsa magnorum virorum funera inscriptionibus minime caruerunt. Hae autem inscriptiones quum vel sacrae, vel honorariae, vel historicae sint, cum his generibus fere concordant orationis structura. Nonnulla tamen de his speciatim praescribit Morcellius. Cave autem ne inscriptionibus temporariis hanc formulam adiicias: « monumentum posuerunt », nam monumenta, ait Morcellius, (l. 2, part. 2, cap. 1), monumenta quidem temporaria nulla fiunt. Ego, - inquit Tullius, - quae monumenti ratio sit, nomine ipso admoneor: ad memoriam magis spectare debet posteritatis, quam ad praesentis temporis gratiam: ideo-subdit idem Morcellius - ne illi quidem modo, et ratione faciunt, qui ad aevi notam annos in his inscribunt; quorsum enim ista spectant, aut spectare possunt cum ducta pompa, aut exequiis persolutis titulos omnes tolli oporteat?

(1) Cfr. sup. num. X.

a) *Inscriptiones sacrae precationum et votorum causa..*

SI . DVELLVM
QVOD . CVM . ANTIOCHO . REGE . SVMI
POPVLVS . IVSSIT
EX . SENTENTIA . SENATVS . POPVLI , QVE . R.
CONFECTVM . ERIT
TVM . TIBI . IVPITER . POPVLVS . ROMANVS
LVDOS . MAGNOS . DIES . DECEM . CONTINVOS
FACIET
DONAQVE . AD . OMNIA . PVLVINARIA . DABVNTVR
DE . PECVNIA . QVANTVM . SENATVS . DECREVERIT
QVISQVIS . MAGISTRATVS
EOS . LVDOS . QVANDO . VBIQVE . FAXIT
HI . LVDI . RECTE . FACTI . DONAQVE . DATA
RECTE . SVNTO

In haec verba, praeeunte P. Licinio Pontifice Maximo, votum Iovi nuncupavit M. Aelius Consul, cui iam Graecia provincia sortitione evenerat, bellumque cum Antiocho gerendum erat, eiusque rei causa supplicationem etiam ex S. C. imperaverat. - *Ludi Magni* ex Asconio iidem ac Circenses, hique Romani appellati. - *Dona ad Pulvinaria* idest Lectisternia, et epulae Diis exstructae. Quum vere Licinius ignoraret, quo anno, vel duce bellum conficiendum, adiecit clausulam: « Ut quisquis Magistratus ».

b) *Inscriptiones pomparum, et ludorum.*

PRO . SALVTE . DOMVS . AVGVSTAE
EX . CORPORE . PAVSARIORVM . ET
ARGENTARIORVM . ISIDI . ET
OSIRI . MANSIONEM
DEDICAVIMVS

Pausarii hic intelligendi sunt Urbani Sacerdotes sacris Isidis celebrandis. Excitabantur autem propter vias Urbis mansiones, in quibus operantes sacris pausarent et fessis, ubi opus esset, recentes succederent. Mansionem igitur hanc ut alii, alias Pausarii aliquot apud tabernas fortasse Argentariorum faciundam curarunt: in quod opus quum quidem ex Corpore Argentariorum aes contulissent, Mansio utriusque corporis sive sodalitatis nomine dedicata est. Mansiones porro dicebantur in viis militaribus diversoria, in quibus iter habentes pernoctabant, aut prandii, aut quietis causa consistebant.

QVOD . BONVM . FAVSTVM . QVE . SIT
TIBI . DOMVIQVE . TVAE
CAESAR . AVGVSTE
SENATUS . TE . CONSENTIENS
CVM . POPVLO . ROMANO
CONSALVTAT
PATRIAE . PATREM

In his verbis Valerius Messala Augustum Patrem Patriae appellavit. Hic non erit abs re Morcellium legere (l. 1. part. 2, cap. 1, § 2).

c) *Inscriptiones triumphales.*

CN . POMPEIVS . CN . F. MAGNVS . IMP.
ORA . MARITIMA . A . PRAEDONIBVS
LIBERATA . IMPERIOQVE . MARIS
POPVLO . ROMANO . RESTITVTO
EX . ASIA . PONTO . ARMENIA
PAPHLAGONIA . CAPPADOCIA
CILICIA . SYRIA
EX SCYTHIS . IVDAEIS . ALBANIS
EX . IBERIA . EX . INSULA . CRETA
EX . BASTERNIS
ET . DE . REGIBVS MITHRIDATE
ET . TIGRANE . TRIVMPHAT

Hic titulus est quem Plinius praefationem triumphi appellat, sive quod primus omnium in pompa praelatus sit, sive potius, quod in Capitolio ante ipsum triumphum praepositus fuerit. - Albani populi ad mare Caspium siti erant; Basternae vero Sarmatiam, aut finitimam huic regionem in Europa coluisse dicuntur.

VENI
VIDI
VICI

Hunc titulum Iulius Caesar in Pontico triumpho praetulit, non acta belli significantem, - ait Suetonius, - sicut ceteri, sed celeriter confecti notam. Porro in ferculo Pharnacis fugientis erat, de cuius fuga populum, qui triumphi pompam spectabat, satis iucunde risisse auctor est Appianns. Illum enim Caesar sine praelio ex Ponto fugaverat, regnoque spoliarat.

d) *Inscriptiones funebres.*

DIVO . GORDIANO
VICTORI . PERSARUM
VICTORI . GOTHORVM
VICTORI . SARMATARVM
DEPVLSORI . ROMANARVM . SEDITIONVM
VICTORI . GERMANORVM
SED . NON . VICTORI . PHILIPPORVM

Extremi verbis nihil manifestius significatur, quam eum a Philippis Augustis fuisse sublatum.

MARCIAE . VITALI
FILIAE . DVLCISSIMAE
ET . AMANTISSIMAE
QVAE . VIXIT . ANNIS . XV
MEN . V . DIE . I . Q . MARCIVS
SVCCESSVS . PATER
FILIAE . INCOMPARABILI

(Ad proximum numerum).

HORAE SUBSECIVAE

DE BONAROTA LEPIDUM FACTUM

Egregius pingendi opifex Bonarota, per ullum
Se conspici mortalium
Nolle ferox, dum murum animat, vivumque colorem
Spirare defunctos docet.
Non si Celtarum rigidas qui flectit habenas,
Trucesque spiritus domat;
Non si Mundorum sceptris armata duorum
Invicta Regis dextera,
Denique non idem nigros qui claudit Avernos,
Et reserat Empyreas fores;
Sive rogent per amicitiam, sive ore minentur,
Certamque rapiant ad necem;
Aut moveant, aut impetrent, ad singula vecors
Tormenta pertinax ruat,
Et prius intenta subeat cervice securim,
Cruore sparsurus forum,
Quam velit, arcana quod conficit arte, videri,
Et possit arbitrium pati.
Forte igitur stygiosque lacus sedesque nocentum
Tremente dum scribit manu,
Post auleam latens, oculo furtivus hiante
Spectabat Antistes fabrum,
Observans tacitus. Nec te Bonarota fefellit,
Per servulum res indicem
Facta palam. Tamen ipse dolum nescire videri
Tantisper est passus libens,
Dum stylus infaustam ludo mulctaret acerbo
Antistitis cupidinem.
Haud mora: fur oculis dum singula captat, ab imo
Ecce videt Orco imaginem
Surgere, tartareis horrentem colla catenis,
Et pectus igne fervidum,
Et circum rabidis exesam membra colubris,
Megera quos vibrans rotat.
Una tamen restabat adhuc polienda magistro
Adversa facies, cui manum
Adicit extremam properans. Antistes eandem
Videre gestit integram.
Ergo oculos hic, ille oculos mentemque manumque
Ad elegans revocant opus.
Iam rubet hinc atque hinc pendens ex aure capillus,
Iam barba tristis purpurat,
Iam frons, iam cilia, et lumen spectatur utrumque,
Undis fluens perennibus;
Iam geminis altam spirat de naribus iram,
Et dentibus frendens tumet.
Iam pulchre plena est, seseque fatetur imago
Et loquitur auctorem sui.
Te loquitur, Praeses, nec te tua lumina fallunt,
Te cernis, et stupidus riges.
Iam minus in vivo possis agnoscere vivi,
Quam mortuus referat color.
De muro spirare illum; de marmore credas
Hunc stare, spirantem minus.
Insultat Naturae ars, effigiemque videtur
Transisse Praesul in suam.
Post simul ad pectus rediit, seque ipse resumpsit,
In regiam ferox venit;
Atque: " O summe Pater, quanta est audacia - dixit -
Opificis adversus Patres!
Inter damnatos tenebris ac morte perenni
Me, squameis serpentibus
Implicitum, repraesentat; me Gorgone saeva,
Me mille monstris carpier,
Heu! notat illudens, obscenoque omine foedat.
Haec mortuos, haec impios
Poena manet, cur me maneat vivumque piumque?
Nos iste si colit parum
Et nostram spernit generoso a sanguine gentem,
At infulis parcat sacris,
Adversusque tuos, princeps Romane, clientes
Abstineat infandis probris.
Tu modo me miserans infamibus eripe flammis,
Et artifex poenam luat. ,,
Sic memorat; dumque ille Patris responsa moratur,
En insolens adest faber,
Quem clari Proceres adeunt, orantque frequentes
Remittat ut noxam libens,
Et sibi collegam donet, male picta repingens
Orisque confundens notas.
" Quod pinxi, pinxi ,, clamat Bonarota, nec aure
Has accipit surda preces.
Ergo iterum Pater ad Papam. Sed Papa renidens
Affatur iratum Patrem:
" Dic iterum, qua te vindex in parte locavit,
Manes sub inferos manus? ,,
- " Heu, heu me! - dixit - fundum devolvit ad imum,
Mersitque sub dirum Chaos.
Cerne, Parens, averte potens, ulciscere iudex! ,,
Tunc Papa tristis intuens:
" O utinam coqueret te Purgatorius ignis,
Unde - inquit - egressus datur!
Praesto erat auxilium. Sed enim non obtinet ullum
Ius Pontifex in Tartarum. ,,

ANT. BONCIARIUS.


(1) Viterbii nuper quum essem et inter libros desertae cuiusdam bibliothecae exspiscarer, in idyllium hoc incidi, quod transcripsi, pro certo habens iucundam Commentarii nostri sociis eius lectionem futuram. - I. F.

EX ITALIS URBIBUS

De maximo artium certamine Augustae Taurinorum (1)

Nos manet magnum Galliae aedificium, quod ad dexteram Eridani extollitur. Tibi, dulcis hospes, advenienti per pontem nobilem eumdemque recentem, axibus simul connexis admodum confectum, dat vocem salutationis Palatium, cui est titulus gallice: *Chateau d'eau.* Hinc inde itur ad aediculas, in quibus invisuntur quotquot Gallici artifices mittere voluerunt in hanc fastosam contentionem de artibus et commerciis.

Iuvat in primis ad laevam flectere. Hic videbis quidquid illa natio invehere consuevit de luxu et de commodis, quae nimius iusto fortassis ad vitae elegantiam hominum animos allectant.



Galliae aedes apud Taurinensem artium conventum.

« Vestibulum ante ipsum, primisque in faucibus » aedium tibi erit fatendum, maximam omnium nationem adesse. Quae enim vestium magnificentia atque praestantia! qui rerum thesauri proferuntur in ditissimis omnium ac pretiosissimis dactyliothecis! Quae operum varietas atque industria vel in solis sarcinatoribus! Quot serica opera! Hic vides lanam rudem adhuc, mox fuco medicatam in orbes glomerari. Quod vero spectat ad artes machinarum, in quibus quoque Gallica gens principem sibi locum prae omnibus obtinet, visitator poterit in multis distinctisque aliis diversoriis singula quaeque videre atque admirari.

Hic modo quae ad vestium artes pertinent; quibus sane visis atque perspectis, erit dicendum: Cuncta sunt bella, venusta, elegantia! Sume, Gallia, superbiam quaesitam meritis. Ob quam illecebram laudationem « Galliae tacitum pertentant gaudia pectus! »

***

Has Gallorum aediculas excipit Brasilia. Si post adeo breve temporis spatium haec nupera natio tot iam sapientiae documenta protulit, quid in posterum? Omnes profecto cuiuscumque gentis invisores Brasiliam gentem laudibus cumulabunt, quod tam brevi tempore tot triumphos gesserit palmasque innumeras vel in rebus agricolis retulerit! Et ipsa, si tibi lubet, comiter dabit idemque gratuito degustandam exquisitissima arte confectam ex faba potionem, quam non equidem *arabicam* appellabis, sed Brasiliam. Quae in ore dulcedo, quae perennis suavitas! Sin, ut quisque denuo fragrantem sibi potionem domi procuret, omnes certatim emere student ominosam illam fabam; et ultro donantibus magnum emolumentum, mercesque facile distrahuntur, etiamsi rem suam quaerere minime adpareant.


Tot rerum multitudine ac varietate oculorum acies pene obruitur ac perturbatur. Sunt multae belluarum pelles balsamo illitae, quae illic saepe territare solent incolas advenasque. Sunt multiplices avium species... Haud desunt quae terra gignere consuevit. Vide quot iam frugum prope innumera specimina! Ne mihi dicas velim: « Fertilior seges est alienis semper in arvis ». Namque et illic sunt Itali, qui illam sibi patriam novam comparaverunt, et ita cum suis mox civibus in patria relictis in contentionem de agris colendis prosilire student.

***

Paullo ulterius adest Argentinae reipublicae aedicula. Sed etsi plus minusve eadem erunt dicenda, quoniam

(1) Cfr. num. sup.


nuper exorta est inter Italiae rectores quaestio et inter illius reipublicae, optimum factum existimo ultra praeterire ne maiori in dies ira mentes aestuent; et vexillum, quod huc atque illuc verti antea videbatur, quoque est sepositum.



Brasiliae et Americae Latinae omnis tentoria in artium Taurinensi conventu.

***

Verum, mea quidem sententia, haud erit silentio praetereundum, abhinc paucos dies, Victorium Emmanuelem regem statuas aeneas dedicavisse, quibus pons exornatur nuper super Eridanum positus in honorem et memoriam Humberti patris, tam crudeliter Modoetiae olim confossi.



Argentinae civitatis aedes.

Nostri, arrepta opportunitate, magnum edere voluerunt musices experimentum, in quo centum et centum cantores cum musicis instrumentis patrios cantus expromerent. Sed in illa populi immani frequentia, dum omnia circum laetitia obstrepunt atque personant, et rex ad caelum laudibus adfertur, ehu! ex improvviso unum ex illis signis cecidit, quae hinc inde stant, et multi male mulctantur, duoque miserrime interierunt. « Diverso interea miscentur moenia luctu! » Sic laetitia versa est cito in moerorem.....

Subalpinus.

COLLOQUIA LATINA

Euntes in scholam (1)

Antonius. — Securusne et timore expeditus ad certamen vadis, Marcelle?

Marcellus. — Quid tibi ista percunctatione? Explica; non enim satis intelligo.

A. — Fabor ergo apertius. Contexuisti epistolam, quam a nobis hodie requiret praeceptor?

M. — Contexui, et descriptam porto mecum.

A. — Praecurrit alacritas tua meam tarditatem. Quamquam haud ita pigritia me, ut chartae penuria, qua premebar, remorata est fecitque ut meam non totam descripserim; serius quippe chartam adeptus sum.

M. — Quid acturus, si poposcerit?

(1) Ex Iacobi Pontani opere cui titulus *Progymnasmata latinitatis* passim retractavit. I. F.

A. — Dum vestras emendat, interea quod reliquum est nullo negotio describam. Hoc concessurum mihi spes est, siquidem aliis alias concesssit.

M. — Ostende tuam scriptionem.

A. — Hem!

M. — Quam foede tu pingis litteras? Gallinam scripsisse arbitror. Quam item vacillant versus!

A. — Dummodo legi queat scriptura, parvi duco tristia sint an laeta, pulcra visu an deformia elementa; versus adamussim nequeo dirigere, quantumvis coner. Atqui non tam valde utraque laude mihi ante stas.

M. — Iudicium caeci.

A. — Aliter doceat me praeceptor, si ipsi displices, cum istis illepidis invenustisque characteribus.

M. — Abhorrent istae partes ab eius munere.

A. — At unde discam tandem? Quid tu nunc mihi auctor es?

M. — Aliquem rei peritum pacta pecunia conducant parentes tui, quem hanc ad rem magistrum capias.

A. — Attamen doctrina quoque spectati et clari homines plerumque inscite et indecore efformant figuras istas.

M. — Dici aliter non potest; verum non idcirco sunt docti; et tamen multi illorum decenter.

A. — Parentibus meis vereor ut persuadeam...

M. — Adhibe procuratorem Magistrum, cuius unum verbum hic plus valebit, quam centum tua.

A. — Rogabo ut hoc mihi opus surripiat.

M. — Ceterum, quae heri explicata sunt de Cicerone, si te forte nominaverit, poterisne repetere?

A. — Nisi ipsemet opituletur, parum bene; oblitus enim sum rerum quarumdam, et quem domi interrogem, praeter parietes, habeo neminem.

M. — Haerenti subveniet. Ego insuper, quoad facere potuero, tibi opem feram.

A. — Salva igitur res erit!

ACTA PONTIFICIA

I.

SSmi. D. N. Pii PP. X epistola ad r. p. d. Diomedem Falconium, Archiepiscopum tit. Larissensium, Delegatum Apostolicum in Foederatis Americae Civitatibus

DE PACE TUENDA.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. — Libenter abs te accepimus, auspice virorum coetu, quorum summa est ad populum auctoritas, fervere in Foederatis Americae Civitatibus prudentiorum studia ad pacis commoda gentibus tuenda. Videlicet animos coniungere, hostiles continere impetus, prohibere belli pericula et ipsas amovere pacis (uti aiunt) armatae sollicitudines, coeptum est nobilissimum: et quidquid in hanc causam confertur operae, etsi non eo proxime vel plene contingat quo consilia spectant, conatum tamen praestat qui neque auctoribus vacat laude, neque publicae rei utilitatibus.

Idque hoc maxime tempore, quum et magnae copiae, et instrumenta ad internecionem aptissima, et tam longe provecta rei militaris scientia, bella portendunt, quae vel ipsis sunt principibus potentissimis vehementer pertimescenda.

Quare gratulamur ex animo coeptum cum optimo cuique tum Nobis, prae ceteris, probandum. Qui, adepti summum Ecclesiae Pontificatum, vices gerimus Illius, qui *pacis* et *princeps* et *Deus est;* et ad illud, saluberrimo consilio, contendentibus Nostrae suffragio auctoritatis adiungimur libentissime. Neque enim dubium est Nobis quin iidem praestantes viri, in quibus tanta est ingenii vis prudentiaque civilis, velint ad pacem laboranti saeculo conciliandam regiam gentibus sternere viam in iustitiae et caritatis legibus sancte omnibus servandis. Pacem enim, hoc ipso quod ordine continetur, frustra quis sibi confidit stabiliendam, nisi pro viribus contendat ut iis suus ubique sit honor virtutibus quae ordinis sunt principia ac fundamentum omnium maximum.

Ceterum, memoria repetentes exempla tot illustrium Decessorum nostrorum, qui, quando per tempora licuit, hoc etiam ex capite de gentium humanitate, de firmitate imperiorum tam egregie meruerunt, studio incendimur aliquid et Nos hac item in re praestandi. Quandoquidem vero aliud nihil hac in re praestare aetas sinat quam pias ad Deum preces, Deum qui corda noscit hominum et ea quocumque vult inclinat, instantissime adprecamur ut iis propitius adsit qui pacem populis conciliare student: gentibus vero quae pacem concordi voto expetunt, tribuere benignus velit, ut, amotis belli ac discidii calamitatibus, *in pulcritudine pacis* tandem aliquando conquiescant.

Auspicem divinorum munerum Nostraeque testem benevolentiae Apostolicam benedictionem tibi, Venerabilis frater, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XI Iunii MCMXI, Pontificatus Nostri anno octavo.

PIUS PP. X.

II.

MOTU PROPRIO

quo nonnulla in ordine Fratrum Minorum servanda circa curiam generalem, electiones, et privilegia personalia statuuntur.

Quo magis incolumis fiat unio quatuor Familiarum Minoriticarum, quae pari omnino iure parique minoritico titulo, sive Regularis sive Strictioris Observantiae S. Francisci, unum morale Corpus constituebant, et quo facilius augescat opus feliciter absolutum a Leone XIII, piae recordationis, necessarium duximus prorsus eliminare quamdam permanentem semperque graviorem discordiae et mutuae diffidentiae causam, productam e *fusione* multarum Provinciarum Fratrum Minorum, inclinationes, usus et consuetudines diversas habentium, iuxta differentem ex-familiam, ad quam pertinebant, restituendo familiis antiquarum Provinciarum, quae super hoc Nos instantissime efflagitarunt, et quae ob auctum sacerdotum numerum et ob alias causas poterant de novo constitui, ipsarum autonomiam, servata tamem perfecta unione Constitutionum et Regiminis, praescripta a Leone XIII, et hoc fine prae oculis habito, ut praefatae Provinciae differentia haberent territoria et non *commixta*, exceptione facta pro nonnullis magnis civitatibus relate ad aliquas Provincias.

Quibus adhibitis mediis, *revixit* promissio facta et usque ab initio iterata ex parte Superiorum, qui promoverunt unionem; quo vocabulo significare volebant, non fusionem, nec destructionem Provinciarum, sed plenam legislationis et regiminis unitatem, efformando unam dumtaxat magnam Minoriticam Familiam, perfecte unitam. Fusio illa Provinciarum ex parte Superiorum Maiorum, bona fide facta fuit; verum finis per se nobilis, quem prae oculis habuerant, in praxi id effecit, ut multorum animi magis seiungerentur: idcirco temerarie et iniuste reprobarentur, tum vivum desiderium, tum humiles preces quas Apostolicae Sedi porrexerunt plures religiosi, non exceptis etiam iis dignioribus ob singularem virtutem, scientiam et auctoritatem ut intra unionem recuperaretur antiqua autonomia quoad respectivas ipsorum Provincias, atque ita de medio tolleretur pomum discordiarum, quae, praecipue in Italia, fiebant gravissimum, imo et imminens periculum completae ruinae unionis sanctissimae, factae per constitutionem *Felicitate quadam*.

Sublata hoc modo praecipua dissensionum causa, nunc, omnis cura est adhibenda, ut in hac magna Minoritica Familia, quam constanti amore prosequuti fuimus et prosequimur, gubernium generale, provinciale et locale totius Ordinis facilius, efficacius et salutarius reddatur, et insuper, ut in omnibus Generalibus Comitiis, quando, sexto quovis anno, iuxta Constitutionum praescriptum, simul conveniunt quotquot gaudent iure suffragii in Capitulis Generalibus, semper fiant electiones Ministri Generalis et Definitorii Generalis, cum non dissimili temporis duratione. Sed quoniam, ut experientia docet, nimius Consiliariorum numerus recto regimini magis nocet, quam prodest; necesse est, ut restringatur numerus Religiosorum, fruentium iure adsistendi coetibus definitorialibus. Expedit insuper, ut Ordo agnoscat, quinam de iure vices gerere debeat, Ministri Generalis aut Provincialis, Sede plena, aut Sede vacante: ut electiones fiant cum maturo examine, multa cum serietate et religione, remoto prorsus abusu iteratorum scrutiniorum cum excessivo omnino numero, qui saepius deploratus fuit, et qui non leves discordias fovet, et quodammodo destruit aestimationem debitam auctoritati tum eligendorum, tum electorum; ut novae electiones semper debitis normis et intra debitos limites peragantur.

Praeterea, cum tituli honorifici, ius praecedentiae, et exemptionum, seu personalia privilegia, concessa velut in praemium temporale et velut honor terrenus, religiosas familias facile avertant a plena regularis disciplinae observantia, et saepissime etiam a vero progressu individuali in virtutibus, iure meritoque quamplures e dignioribus filiis Seraphici sanctae humilitatis Magistri Francisci Assisiensis, vehementissime cupiunt et instant, ut tales honores et privilegia, quae practice redundant in personale tantum et terrenum commodum, ex Ordine removeantur; cumque talis petitio penitus respondeat desideriis Nostris; idcirco praefata privilegia tollimus, abolemus, abrogamus, exceptione facta, ex parte tamen, pro Ex-Provincialibus immediatis et pro Fratribus, qui duas primas Dignitates totius Ordinis exercuerint, scilicet pro Ex-Ministris Generalibus et Ex-Procuratoribus Generalibus, et pro hisce ultimis, etiam quia officio Procuratoris Generalis erit adnexum illud Delegati aut Vicarii Generalis.

Haec autem non excludunt, sed id etiam includunt, ut Patribus, qui vires suas consumpserunt aut consumunt in bonum Ordinis, in difficilioribus aut gravioribus muneribus exercendis, omnes et singuli conentur specialem exhibere reverentiam, grati animi significationem, in spiritu verae dilectionis, charitatis et cuiusdam veluti aequitatis: sed gratissimum erit Deo mutuum et sanctum illud certamen, quo subditi suos iam Superiores aliosque benemerentes adiuvabunt et reverebuntur, et quo isti totis viribus evadere curabunt humiliores, et eo magis alieni fieri a quolibet vel desiderio honorum et specialium adiumentorum, quo maiora fuerunt ipsorum merita, tum praeterita, tum praesentia. Deo maxime quidem acceptus et

benedictus a Seraphico Patre erit ardor ille laudabilissimus, quo viri apostolici, peritissimi sacrarum scientiarum professores, atque eximii educatores et moderatores Fratrum Minorum, nullum alium honoris titulum aut privilegium habere satagent, quam abiectos vivere in Domo Dei, novissimum locum quaerere, et nullum suorum operum praemium desiderare in terris, ut securius maiora praemia, imperituros honores, retributionem maximam in aeterna beatitudine consequantur.

Quapropter Motu hoc proprio sequentia omnino perpetuoque servanda edicimus, decernimus, mandamus:

I. Sex tantum erunt Definitores Generales, ex quibus duo pro lingua italica; unus pro lingua germanica; unus pro lingua anglica; unus pro lingua gallica; unus pro lingua hispanica.

II. Lingua tamen hic sumenda erit promiscue etiam pro imperio, regno, regione, cum linguis et regionibus affinibus vel vicinioribus, dummodo tamen eligendus veram peritiam habeat linguae, in praecedenti articulo designatae.

III. Officium Ministri, Procuratoris et Definitorum Generalium per sex tantum annos perdurabit. Post primum tamen sexennium Minister, Procurator et duo tantum ex Definitoribus rationabili de causa reeligi poterunt ad secundum sexennium, dummodo duas ex tribus partibus votorum favorabilium obtineant. Pro ulteriori sexennio requiritur licentia S. Sedis.

IV. In electionibus Ministri Generalis, Procuratoris Generalis et Ministri Provincialis, si post tertium scrutinium non habeatur electio, fiat quartum, in quo vocem passivam habeant duo Patres, qui maiorem suffragiorum numerum in tertio retulerint: et si suffragia fuerint paria, electus declaretur religione senior. — In electionibus Definitorum, tum Generalium, tum Provincialium, aliorumve Superiorum seu Officialium, per scrutinia secreta constituendorum, inaniter peracto primo et secundo scrutinio, fiat tertium tantum, in quo sufficiat maioritas relativa suffragiorum: quod si suffragia fuerint paria, electus proclametur religione senior.

V. Ministri, Custodes et Definitores Provinciales per triennium in officio perdurent. Ministri Provinciales, Custodes et duo ex Definitoribus rationabili de causa reeligi possunt ad secundum triennium; sed pro ulteriori triennio requiritur licentia S. Sedis.

VI. Guardiani per triennium in officio perdurent, seu de Capitulo ad Capitulum: abrogatis omnino congregationibus annuis seu intermediis. Elapso triennio, Guardiani iusta de causa eligi possunt pro alio conventu; pro secundo triennio in eodem conventu, requiritur licentia Ministri Generalis. Pro tertio autem triennio in eodem conventu, et pro quarto triennio in alio vel aliis requiritur licentia S. Sedis.

VII. Absente Ministro Generali, Procurator Generalis, et absente Provinciali, Custos Provincialis munere Delegati Generalis vel Provincialis respective fungi debet; qui vacante officio, nomen Vicarii Generalis vel Provincialis item respective assument.

VIII. Tituli praecedentiae et exemptiones de iure vel consuetudine in Ordine vigentes inter eos, qui actu Superiores non sunt, omnino tolluntur. Soli Ex-Ministri et Ex-Procuratores Generales, semper et ubique, et Ex-Provincialis Minister durante immediato triennio, sed in sua Provincia tantum, titulum et praecedentiam habere poterunt cum voce activa et passiva in capitulo generali et propriae Provinciae, si de Ex-Generali et Ex-Procuratore, et in Capitulo Provinciali, si de Ex-Provinciali agatur. Nullus vero, etiamsi sit Ex-Generalis, locum aut vocem habere poterit in congressibus definitorialibus, sive generalibus, sive provincialibus.

IX. Fiant reformationes studiorum, et normae Lectorum constituendorum, suppressis titulis officiorum, quae actu non exercentur.

X. Constitutiones Ordinis reformentur infra sex menses iuxta praescripta in praesenti decreto, idque per specialem Commissionem a S. Sede designandam, additis insuper necessariis aliis et opportunis modificationibus, tum ut plane respondeant hodiernis praescriptionibus Canonicis, tum ut e medio tollantur abusus, qui novissimis praesertim temporibus hinc inde irrepserunt, tum ut spiritus vere seraphicus in toto Ordine efficacius uberiusque vigeat novaque semper incrementa suscipiat. — Haec tamen Constitutionum reformatio non importat substantialem mutationem earumdem, sed novam tantummodo editionem cum suppressione, vel modificatione eorum, quae, hisce Nostris praescriptionibus contradicunt, et cum emendationibus et additionibus opportunis et necessariis.

Nomina Moderatorum Curiae Generalitiae Ordinis Minorum, per has Nostras praescriptiones reformatae, a Nobis electorum et constitutorum, in separato documento publicari mandamus. Circa Commissionem novae Costitutionum editioni parandae, cum novis Superioribus voluntatem Nostram communicandam curabimus. Denique ipsis Superioribus Generalibus, ad maius totius Ordinis bonum et incrementum, opportunas Regiminis Normas dabimus.

Contrariis quibuscumque, etiam specialissima mentione dignis, minime obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die XIII Octobris, anni MCMXI Pontificatus Nostri anno nono.

PIUS PP. X.

DIARIUM VATICANUM

(Mense Octobri MCMXI).

Coram SSmo. admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites aliosque viros, qui sui quisque muneris gratia, Pontificem de more adiverunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: Patres Armenici Concilii Romae congregati; Schönburg-Hartenstein, Princeps, Austrorum Hungarorumque legatus apud Apostolicam Sedem; Otho de Muehlberg doctor, legatus extraordinarius atque administer cum omni potestate pro Borussicis; Otho de Ritter de Gruenstein dynasta, atque D' Erp dynasta, eodem munere fungentes, alter pro Bavaria, pro Belgica alter; Angelus Estrada doctor, publicas exhibens auctoritates, quibus concredebatur legatus extraordinarius atque administer cum omni potestate Argentinae civitatis apud Apostolicam Sedem.

Pontificiae electiones.

Provisio Ecclesiarum. — Per S. Congregationis Consistorialis decreta SS. D. N. Pius PP. X has quae sequuntur ecclesias de proprio pastore providit, scilicet; Cathedrali ecclesiae Segusiensi praefecit sacerdotem Iosephum Castelli, parochum in oppido vulgo Cuorgnè archidioecesis Taurinensis; cathedrali ecclesiae Pictaviensi sacerdotem Aloisium Humbrecht, Vicarium generalem archidioecesis Bisuntinae; cathedrali ecclesiae Gratianapolitanae sacerdotem Aloisium Iosephum Maurin, Vicarium Generalem dioecesis Massiliensis; titulari ecclesiae episcopali Hierocaesariensi sacerdotem Ioannem Mariam Laval, Vicarium generalem archidioecesis Novae Aureliae, quem constituit auxiliarem rmi. Iacobi Huberti Blenck, archiepiscopi Novae Aureliae; titulari ecclesiae episcopali Eucarpiensi sacerdotem Ioannem Gariglianо, archidioecesis Taurinensis, Vicarium generalem archidioecesis Aquilanae; cathedrali ecclesiae Nuscanae sacerdotem Aloisium Paulini, canonicum Poenitentiarium metropolitanae ecclesiae Utinensis.

Brevi autem Apostolico nominati sunt: R. d. Constantinus Ieanningros, episcopus titularis Huarensis et Coadiutor cum futura successione revmi. Vicarii Apostolici Cocincinae Orientalis; r. p. Franciscus Xaverius Richardus Vilà y Mateu ab Arenys de Mar, ex Ordine Fratrum Minorum Capulatorum, episcopus titularis Adrahorum et Vicarius Apostolicus Guamensis.

Nominatio Praefecti Apostolici. — Per decretum S. C. de Propaganda Fide r. p. Iosephus Heintz, e Congregatione SSmi. Redemptoris, Praefectus Apostolicus de Matadi in Congo Belgico electus est.

— R. p. Lucas e Maria Virgine, Procurator Generalis Ordinis Carmelitarum excalceatorum, inter «Consultores» S. Rituum Congregationis refertur.

ANNALES

Bellum inter Italos et Turcas.

Bello ab Italis contra Turcas denunciato, atque Italorum classi post brevem decertationem Tripolitanum in litus egressa, magna fuit Turcarum indignatio, gubernium, cui Hakki Pacha praeerat, proditionis eousque incusantium, ut publice reum prope haberent atque ad imperium statim deserendum cogerent. Hakkio Said Pacha suffectus, sagax item atque cautus vir, qui fanaticis Iuvenum Turcarum factionis iussis prudenter obstans, in id praesertim intendit, ut Europae nationibus societatem cum Byzantina offerret, indeque efficax subsidium ad pacem componendam reportaret. Incassum tamen; facile enim intellectu erat, discordias potius inter varios populos, iam inter se foedere coniunctos, ex hac societate futuras, quas omnes optant, nunc saltem, vitare. Non itaque mirum quod Saidius postremis hisce diebus cedere tandem iis visus fuerit, qui bellum ad extrema usque protrahendum praedicant, fisus et ipse fortasse Araborum tribubus, quae procul dubio multo magis quam Turcarum exercitus Italos vexabunt, tum ob infidum Arabum animum, tum ex religionis aestu, studiose a Turcis hac ratione excitato, quod scilicet huiusmodi bellum pro Mahumeto propheta eiusque asseclis sit pugnandum.

Re quidem vera Arabes vidimus primum Italos benigne accipientes in suas terras, quinimo ipsis obsequii et obedientiae signa manifesta sponte proferentes; at brevi Italis a tergo ignave insectari, insidias parare atque omnibus modis eorum progressum iu Tripolitana terra impedientes. Vicit tamen usque adhuc Italorum virtus, qui post Tripolim urbem captam, Tobruk, Homs, Masellata, Derna oppida, ac Bengasi, Cyrenaicae provinciae caput, occuparunt, et ad Sciara-Sciat locum, die XXIII mens. Octobris, Arabes Turcasque simul conspirantes, prophetae signo viridi eorum e manibus extorto, magnaque cum eorum caede profligarunt. Dum scribimus hostes dicuntur coire, ad Tripolim urbem rabido impetu recuperandam.

Sinensis seditio.

Non vero in Africa tantum sanguis effunditur; in Sinis etiam pugnatur; eoque tristius, quod de civili bello agitur. Seditio in domum iam ab an. MDCXLIV regnantem exardet, virique evertendarum rerum cupidi pro imperio civitatis contendunt. Han-keu in urbe rebellio submota, quo viginti militum millia missi sunt ad vim vi repellendam. De cuius expeditionis exitu nihil certi deduci licet; si enim nunciis a gubernio traditis auscultemus, res in pristinum redditae dicendae sint; si vero factiosorum vocibus attenderimus, iam de regali imperio desperandum est. Certatio haud dubie diutina erit ac maxime cruenta.

Germanorum et Gallorum de Africa conventio.

Contra, pacifice resoluta videtur inter Germanos et Gallos agitata disputatio de utriusque nationis privilegiis in Africa. Si vera sunt exposita, Gallis libera in posterum erit agendi ratio in Mauritania et amplificatio territorii tum prope Camerun, tum in Togo provincia; Germani ex adverso regionem possidebunt Gallicam in Congo coloniam coaequantem.

PUBLICI PER ORBEM COETUS
legibus ferendis

In **Anglia** Mac Kenna internis negotiis praepositus.

In **Austria** lex ab aerarii administro oblata de augendis vectigalibus, et rationes acceptorum et expensarum in disputationem adductae.

In **Germania** de interpretatione legum circa consociationes et publicos conventus acriter disceptatum.

In **Hungaria** legi de re militari « obstructionismus », quem dicunt, vehementer oppositus.

In **Russia** de ferriviis a gubernio redimendis agitatum.

In **Suetia** novum administrorum collegium electum, praeside Staaf e « liberalium » factione, qui publicum legatorum coetum dimisit novaque comitia indixit.

PER ORBEM

Die I mens. Octobris MCMXI ob oppositam fluctibus molem improviso dirutam, Austin, urbs Civitatum foederatarum Americae Septemtrionalis, aquis demergitur ita ut ex trecentis et ultra domibus, quibus ipsa constabat, vix decem superfuerint. Octingentae quinquaginta humanae victimae lugentur.

— d. II in republica, cui a S. Marino nomen, solemni ritu transmissio potestatis fit in novos consules Angelum Manzoni Borghesi, Comitem, et Honuphrium Fattori.

— d. III Neo-Eboraci obit Schlay ille classis praefectus, qui, in navali pugna ad Sancti Iacobi, Hispanorum classem fudit.

— d. IV Helsingfors in urbe Supremae Finlandicae Curiae praeses fanatici cuiusdam iuvenis nefaria manu petitur.

— d. VI similia, quamquam, Deo adiuvante, infelici exitu, contra Austrorum administrorum collegium omne, in publico coetu legibus ferendis congregatum, Vindobona nunciantur.

— d. VII Rhemis, Beaumont, celebris ille aviator « Europae heros » cum velivolo suo in terram praecipitat cruraque fracta reportat.

— d. IX Harmischies, in ferriviae statione apud Montes, curruum series e limitibus exit magna cum viatorum iactura.

Lutetiae Parisiorum cursum vitae absolvit Athanasius de Charette, qui pro Petri sede diu strenueque primum pugnavit, deinde contra Germanos pro patria sua magnam sibi famam comparavit.

— d. X Londini reperta nunciantur antiquissima aedificia, Romanae aetati attribuenda.

— d. XI Portsmouth in portu experimenta fiunt ad subaqueos lintres per « undas Herzianas » dirigendos.

— d. XII in Sinis cives evertendarum rerum cupidi seditiones agitant urbibusque Nu-Chang et Ham-Yeng, regalibus administris in fugam versis, per vim potiuntur.

— d. XIV bellica navis, cui a *Leonardo da Vinci* nomen impositum, et, sequenti die, altera Italorum bellica navis a *Galileo Galilei* nuncupata Genuae in mare immittuntur.

— d. XV Helvetica gens primam civis sui aviationis victimam, Bernae in aërodromo, conqueritur: Smith iuvenem triginta et duos annos natum.

Ad Catanam in Sicilia vehementes terrae motus plurium oppidorum domus diruunt, quarum sub ruinis triginta mortui ac circiter sexaginta incolae vulnerati inveniuntur.

— d. XVIII turbo in provincia *Cherê* ad Pyrenaeos montes saevissime furit, eamque prope in lacum commutat.

— d. XIX Aquisgrani monumentum Friderico, Germanorum imperatori, sollemni ritu inauguratur. Gulielmus ipse, nunc Germanorum Caesar, orationem, patris virtutes commemorantem, dicit.

— d. XX Nobelium praemium de medica arte an. MCMXI Allvar Gullstrand, Upsalensis athenaei doctori, tributum nunciatur.

— d. XXI Vindobonae in imperiali domo Schwarzau, adstante Francisco Iosepho, Austrorum Hungarorumque Caesare, nuptiae Caroli Francisci Iosephi, Austrorum Magni Ducis, cum Zita e Borbonica Parmensi gente, Principe foemina, celebrantur, quibus r. p. d. Caietanus Bisleti, Sacrae Domus Praepositus, a Summo Pontifice ad rem legatus, benedicit.

— d. XXII incendium immane Stamboul vicum Byzantinae urbis longe lateque demolitur.

— d. XXIII atra procella in Britannico fretu sexaginta et ultra naves subvertit atque Doverensis portus operibus ingentia damna apportat.

— d. XXIX aëreonauticum certamen a Mediolano ad Augustam Taurinorum, atque inde ad Mediolanum, Italis reservatum, fausto exitu expletur.

— d. XXX in Gallica urbe Meldis Bossuet illi oratori, « Meldensis Aquilae » iure meritoque cognomine distincto, monumentum, Gallicorum episcoporum pietate excitatum, sollemniter dicatur.

Maxima debetur puero reverentia: si quid
Turpe paras, ne tu pueri contempseris annos,
Sed peccaturo obsistat tibi filius infans.

IUVEN., *Satyr.* XIV, 10.

A cl. v. Iacobo Tassettio, socio nostro et amico dulcissimo, significationem hanc accepimus, quam libenter edimus:

MUNDANUM SCIENTIAE SODALITIUM
(COETUS LATINUS)

Infra scripti, latine se latinis iusti argumenti et decentis scripturae litteris sibi allatis, esse responsuros pollicebantur,

Societas, quum sola ex lingua constet, terram, genus, sexum, fanum neque civitatem respicit.

AFRICA.

Henricus BIGOT, Tunete in Lyceo *Carnot* professor, latini Globi in Instituto Carthaginiensi praeses. — *Tunis.*

Carolus CONFORTOLA, medicus, litterarum rerumque antiquarum amator, Hadrumeti. — *Sousse, Tunisie.*

BUISSON, publicae infimi ordinis institutioni, Tunicensi universa civitate, praefectus. — *Tunis.*

AMERICA.

Fred. N. ARNOLD, Ir. chemicus, litteris latinis et Romanis antiquis amicus, *61 Ringold Street, Dayton, Ohio.*

I. Mc. G, BAXTER, medicus quaestionum naturalium et linguarum studiosus, a valetudinis munere *(Public Health Service) Chatham, New Brunswick, Canada.*

Theo. T. CHAVE, sch. publ. praef. studia lat. et bibl. - domicilium in *South Boise, Idaho.*

Eduardus E. COLEBECK, latinarum graecarumque litterarum professor, cultus europaei, et tiberinae praesertim sequanaeque humanitatis amator, — *Birmingham College, 921 Ella str., Birmingam, Alabama.*

Ioannes Eduardus KENNY, professor, — *1235 Lincoln, Av. St-Paul, Minnesota.*

Franciscus DE PAULA HERRASTI, orator atque professor, — *Iuan Manuel 13, Mexico, D. F.*

EUROPA.

Aristide BRENON, philosophiae et litterarum amator, quaestionum praesertim recentiorum scrutator. — *22, avenue de Wailly, Croissy (Seine-et-Oise).*

Iosephus BROCCO, commentarii «Hellas» sponsor. — *Venezia. S. Stefano, 3463.* — *Venetiis.*

Victor HAUTEFEUILLE, commentarii l'«Exode» magister, virtutis cultura latinitatis amator. — *73, rue du Moulin-Vert, Paris, XIV.*

Victor HERTEL, pastor Lutheranus, hymnis et lingua hebraica peritus. — *Grossneundorf* pr. *Graefenthal, (Thur)* in Germania.

Paulus IOIRE, medicus, societatis de Quaestionibus Psychicis et super Normam praeses. — *42, rue Gambetta, Lille.*

Donaldus MACRAE, in linguis, in historia et rebus antiquis maxime Celtarum studiosus, — *The Manse, Edderton, Ross-shire, Scotland.*

Nic. Dion. MALYNIAK, parochus graeco-catholicus in Slivnica ad Krasiczyn, Galic. Austr. Disciplinae cultor universae, sed vetustatis praecipue memor et gentis suae.

Ioannes Maria MEUNIER, presbyter nevernensis, seminario praefectus, philologiae romanae existimator, nominum enodatione et enuntiatione peritus. — Corbiniaci in finibus Nevernensium. *Corbigny (Nièvre).*

A. MICHEL, professor, bibliothecarius in Nova Universitate, periodici «Pages Amies» rector. — Bruxellis Belgarum, *31, rue Regenveld, Bruxelles.*

Iacobus TASSET, orbis romani amator et incola. — Turnodori, *Tonnerre (Yonne).*

Maria Ludovica TENNIÈRES, philosophiae et litterarum amatrix. — Cenomanis, *110, rue Kléber, Le Mans.*

AENIGMATA

I.

(Permutatio vocalium)

O terram tetra tenebris caligine cingit;
I gelido hanc ipsam velamine contegit albo.
E, contra, vivos vigilat saevissima in armis.
U tibi, si frangas, oleum dabit optima et escam.

II.

Tota volat per aquas. Truncor si *vertice,* mellis
Dona dabo moriens: aëra possideo.
Bis me *si minuis,* tua quae sit, redde, voluntas!
Sed quum *ter minuar,* lector, abire voles.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Doctorem IOSEPHUM FORNARI, Commentarii moderatorem *(Roma, via del Governo Vecchio, 96)* miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet opus, cui titulus:

VINCENTII LANFRANCHI
DE ORATORIBUS ROMANIS
ACROASIS.

Aenigmata an. XIV, n. VIII proposita his respondent:

1) **Alauda;**
2) **Do-dona.**

Ea rite soluta miserunt:

Ant. Faverzani, *Merato.* — Ad. Kozlowski, *Petricovia.* — Alois. Cappelli, *Senis.* — F. Wawer, *Marianopoli.* — Lud. Goux, *Bituricis.* — Alex. Pintauro, *Neapoli.* — F. Arnori, *Mediolano.* — Barth. Ferraris, *Augusta Taurinorum.* — Alb. Catteau, *Lugduno.* — Fr. Guerra, *Aletio.* — Paulinus a S. Iosepho, *Barcinone.* — Petrus Tergestinus. — P. Prado, *Venetiis.* — Lud. Dubois, *Massilia.* — F. X. M., *Drepano.* — Fr. Xav. Ghion, *Ostunio.* — Georg. Archambeault, *Quebeco.* — Alb. Perraud, *Lutetia Parisiorum.* — Eug. Dolmar, *Neo Eboraco.* — Alb. Kain, *Dublino.* — A. Bounin, *Aureliano.* — Iac. Menendez, *Madrito.*

Sortitus est praemium:

FRANCISCUS XAV. GHION,

ad quem missum est opus, cui titulus:

PLINII EPISTOLAE
(Edid. KIEL).

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus

ROMAE — Ex officina *Societatis Editricis Romanae.*

EUPLIUS

(12

Actio dramatica a I. B. Francesia versibus senariis exarata.

III. Civis.

Virum vos certe quem necavit gladius
Occulte insidiis, perversis actibus,
Libros commissos tradidisse dicitis.

I. Civis.

Oh! si veniret denuo!

II. Civis.

Sed quomodo?

Maximus.

Adhuc speratis?

II. Civis.

Nos et toto pectore!

Maximus.

Sed ite, sultis, tertio ab urbe lapide,
Eumque pensilem videretis laqueo.

IV. Civis *(qui mox supervenit).*

Qui nugas narras, fabulas tu blateras.
Vidi mox Euplium!

Maximus.

Quî mortuus venerit?

IV. Civis.

Quid? mortuus? Vivit, in foro praedicat!

Multi.

Ipse?

Maximus.

Nequaquam, occubuit!

IV. Civis.

Mendacium!

Omnes.

En ipse adparet!

Maximus.

Magnum portentum. Quid est?

SCENA II.

S. Euplius. *(cum multa hominum turba, alii alia dicentes).*

Quid audio? Suis quis auribus crederet?
Egon' fui traditor? Librorum proditor?
Quod nefas infandum! Mori me potius
Velim quam foedari tali flagitio!
Quis rerum potuit tot portenta tradere?
At tu, (1) nefande machinator scelerum,
Quando Dei fatum molestare desines?
Audire vos, viri, vos audire iubeo.
Adest nostris rebus fidelis Angelus,
Nos qui defendit cunctis ab insidiis.
Petentes a me stipem viri per viam
Fuerunt obvii, pleni fictionibus,
Qui me grassati sunt furentes gladio.
Deus me periculis ab illis sustulit.
Manus nam verberant, iactant inania,
Laborant oculis, proni humi decidunt,
Ut olim secus iam Damascum Paulus.

(1) Ad Maximum, qui nimio furore correptus huc illuc se confert omnesque obtortis oculis circumspicit, nesciens quid dicat quidve sit facturus.

Miser quid egi? Cur in me sic saeviunt?
Agunt quid postea viri nefarii?
Put:nt me occisum; serunt tunc fallacias,
Sacros me libros tradidisse iudici!
Vivo sed, fratres, libros nec ulli tradidi!
Sicut gerit mater filios tenerrima
Ego hos geram mecum libros fideliter,
In ulnis moriens tenebo laetior.
Sunt lumen ipsi mediis in tenebris,
Solent ut circum volitare principem,
Apes et flores degustare rapidae,
Circum portamus libros nos in pectore;
Ab ipsis flores vitae, vitamque ducite.
Ut saepe cernimus sidera in pelago,
Silent in caelis cum procellae furiunt,
Docebunt semper nos divinae litterae,
Modo si legemus illas humiliter.

SCENA III.

Volusius *(qui festinus prosilit in scenam).*

Quid est? Quid video? Mendax ergo nuncius
Qui te cessisse dixerat fato tuo?

Euplius.

Vivo, Volusi, victurusque in posterum!

Omnes.

Deo sint actae gratiae quam maximae!
Honor sit Christo, fecit qui te liberum!
Honor sit Christo!

Calvisianus.

Quid meis in aedibus?
Quomodo?

Euplius.

Furcifer! Christus omnipotens
Tuis me perversis liberavit artibus.

Calvisianus.

Tua de morte vox?...

Euplius.

Arte diffunditur.

Volusius.

Falso librosque tradidisse iudici?

Euplius.

Miles mori fortis in armis inhiat,
Pati pro patria; Christi discipulus
Paratus potius mori quam tradere!

Voces externae.

In perfidum ruat vindicta Numinis!

Voces interiores.

Deus protector adsit!

Aliae voces.

Nobis indulgeat!

Maximus *(irruens).*

Vel vitam dedat, vel libros Euplius!
Sin' libros cedit, cedat ad supplicium!

(Ad proximum numerum).

Ann. XIV. ROMAE, Mense Decembri MCMXI Num. XII.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Rerum index:

SOCIIS ET LECTORIBUS

COMMENTARII NOSTRI HUMANISSIMIS

Vocis Urbis nostrae fasciculum hunc, anni XIV ultimum, prelo mandantes, facere non possumus quin intima delectatione commoveamur. Quis enim nostrum, opus aggrediens, quod inde temerarium iudicatum erat, inde sceptico etiam risu salutatum, maxima licet fide suffultus, crederet fore ut tertium vitae lustrum attingeremus? Atqui res iam est eventibus comprobata; iisque non infaustis, si et sibi Commentarius noster prospicere valuit; valuit et Latinae rei, cuius fortunam, nostris praecipue diebus, tot tantisque oppositionibus obnoxiam, pro viribus tueri conati sumus.

Verum quid faceremus, si nostrorum Sociorum favore et gratia essemus destituti? Si ipsi, quorum plures vel a nostris incunabulis adnumeramus, indesinenter non comitati essent gressus nostros in via? Sint iis igitur ante omnia hodie pro meritis gratiae; sit etiam eorum studium, quo adiuti nunquam non fuimus, pignus futuri patrocinii, cui unice, ut elapso tempore, sic in posterum confidemus.

Quod autem ad nos attinet, certiores eos volumus nos assidue curaturos ut *Vox Urbis* haec nostra illud sit semper radiationis centrum, quod animos usque a remotissimis orbis partibus amice cum Romae almae matris animo coniungere valeat. Quod quidem, ut antea praestitimus, proximo quoque anno perficiemus scripta edentes, quae populos omnes aliquo modo attingant, a publica re ad bonas artes; a litteris, ad simplici et facili stylo expressas descriptiones, narratiunculas, dramaticas actiones; ab antiquitatis scientia ad dialogos vitae argumenta maxime communia tractantes, unde colloquia latina inire atque alere detur; a doctorum virorum scriptis nondum vulgatis aut parum cognitis ad primas adolescentum exercitationes, quae incitamentum veluti in palaestra eorum conatibus conferant; a Pontificiis denique documentis praecipuis ad iuris regulas a S. Congregationibus positas; haec omnia ut quisquis vel ex dissitis regionibus, vel cultu, doctrina, animi proclivitate, artibus, altero ab altero difformis, per commentarium hunc explere desideria sua possit.

Quo autem sociorum animus nobiscum magis ad operandum sollicitetur, conferentur quoque sub anni MCMXII exitum *singularia praemia duorum numismatum argenteorum* ex iis, quae Pontificis

Maximi iussu quotannis in festo Apostolorum Principis cudi solent Sacro Purpuratorum Senatui, Romanae Curiae aulicisque pontificiis distribuenda; eruntque pro sociis illis, quorum sive carmine sive soluta oratione scripta per annum in commentario vulgata, a doctorum virorum collegio, ad hoc constituto, commendata maxime fuerint.

Societas insuper Romana Editrix, quae *Vocem Urbis* nunc possidet atque administrat, etiam nunc *cumulativam,* ut aiunt, *subnotationem* concedit cum Italicis ephemeridibus a se editis *Corriere d'Italia,* Romae et *L'Avvenire d'Italia,* Bononiae; ita ut, si quis earum subnotator exstiterit, is *Vocem Urbis dimidiato pretio habere possit.*

Quod quidem pretium nullam immutationem a superiore anno patietur; *erit scilicet in Italia libellarum sex; ubique extra Italiam libellarum novem (Doll.* 1,80; *Sch.* 7; *Marc.* 7; *Rubl.* 4; *Coron.* 9).

***

A profusis vanisque verbis omnino abhorrentes; eximias formas quas iamdiu animo conceptas habemus sequuti, atque consensui sociorum et lectorum nobis non defuturo confisi, ad annum XV vitae nostrae sic properamus; quem bonum faustum felicem iis omnibus praesertim, qui coeptis et nisibus nostris favent, una nobiscum liceat ominari.

DE SYMBOLI APOSTOLORUM ORIGINE

Duobus primis Ecclesiae saeculis, in rebus ad fidem pertinentibus, loco vocis « Symboli » voces « Regula fidei, doctrina, traditio, regula veritatis, traditio Apostolorum » adhibitae fuere. Vox « Symbolum » apud Tertullianum (1) invenitur, dum scribit: « Edas velim nobis quo *symbolo* susceperis apostolum Paulum? »; sensus tamen vocis non clare liquet, quum Tertullianus ipse ad fidei regulam indicandam voce « Tessera » alibi utatur. Inquit enim (2): Videamus quid didicerit, quid docuerit, cum Africanis quoque Ecclesiis contesserarit ». S. Cyprianus quoque « Symboli » voce usus est, dum scribit (1): Eodem symbolo quo et nos baptizare... Non esse unam nobis et Schismaticis Symboli legem ». Saeculo quarto Ecclesiae, « Symboli » vox ad *Credo Romanum* indicandum adhibetur, duoque significavit: 1⁰ *notam* vel *tesseram* qua veri christiani a falsis distinguebantur, ex quo verba: « Symbolum discite, Symbolum nosti »; 2⁰ *collationem* quamdam: « Quod enim graece Symbolum dicitur, latine Collatio nominatur. Collatio ideo, quia collata in unum catholicae legis fides Symboli colligitur brevitate » (4). Ad rem Catechismus Romanus (P. I, c. 1, q. 3) ait: « Christianae fidei et spei professionem a se compositam, Apostoli Symbolum appellarunt, sive quia ex variis sententiis, quas singuli in commune contulerunt, conflata est, sive quia ea veluti nota et tessera quadam uterentur, qua desertos et subintroductos falsos fratres, qui Evangelium adulterabant ab iis, qui vere Christi militiae Sacramento se obligarent, facile possent internoscere ». Hodie per *Symbolum fidei, Symbolum Apostolorum,* intelligitur, quod quidem a theologis definiri consuevit « Summam articulorum fidei, qui omnibus credendi proponuntur », vel « Sententiarum fidei collectionem » (1).

(1) *Adv. Marc.* l. 5 c. 1. Migne 2,500.
(2) *De Praescript.* 36 M. 2,60.
(3) *Epist.* 76 *ad Magnum* M. 3,1143.
(4) Cf. *Serm. Suppos. inter Opera S. Augustini* - Migne 39 serm. 261 c. 2190.

Vulgo in Ecclesia de tribus Symbolis: Apostolorum nempe, Nicaeno, Athanasiano fit sermo. Symbolum Nicaenum a Synodo Nicaena I[a] (325) originem ducit ac contra Arium eiusque asseclas Divinitatem nec non Aequalitatem Filii cum Patre defendit. Symbolum Athanasianum, S. Athanasio tributum fuit, sed Athanasii opus non est; quum tamen ab utraque Ecclesia, Occidentali et Orientali, ut auctoritas suscipiatur, vera est fidei definitio. Mentio huius symboli non fit ante saeculum VII, vel ad summum VI, quumque haeresim Eutychianam respiciat, videtur saeculo V exeunte conscriptum. Auctor latinus quidam fuit scriptor incertus, sed et graece habetur. Plures vetusti codices appellant auctorem huius symboli Anastasium PP. (496-498): « Fides Anastasii catholica, Symbolum Anastasii ». (2) Difficultas remanet solummodo circa Symboli Apostolorum vel « Credo Romani » originem, quam solvere in praesenti conamur.

***

Scriptores quidam ecclesiastici IV[i] et V[i] saeculi, « Credo Romano » apostolicam tribuerunt originem. S. Ambrosius († 397) scribit: « Sed si doctrinis non creditur sacerdotum... credatur *Symbolo Apostolorum,* quod Ecclesia Romana intemeratum semper custodit et servat ». (3) Tyrannius Rufinus († 410): « *Tradunt*

(1) Billuart, *Summa* t. V. a 7. S. Thomas II[ae] I, 9.
(2) Denzinger *Enchiridion* xviii. *Symbolum Athanasianum.*
(3) *Epist.* 42 n. 4 M. 16 c. 1174.

— inquit (1) — maiores nostri... Discessuri (Apostoli) itaque ad invicem, normam sibi prius futurae praedicationis in commune constituunt... Breve istud futurae sibi... praedicationis iudicium, in unum conferendo quod sentiebant unusquisque, componunt, atque hanc credentibus dandam esse regulam statuunt. Symbolum autem hoc multis et iustissimis caussis appellari voluerunt. Symbolum enim Graece et indicium dici potest et collatio, hoc est quod plures in unum conferunt. Id enim fecerunt Apostoli in his sermonibus, in unum conferendo unusquisque quod sentit ». S. Hieronymus (+ 420): « In Symbolo — scribit — (2) fidei et spei nostrae, quod *ab Apostolis traditum* non scribitur in charta et atramento ». In quodam *Sermone* S. Augustino (+ 430) tributo legitur (3): « Decimo die post ascensionem, discipulis prae timore Iudaeorum congregatis Dominus promissum Paracletum misit: quo veniente *Symbolum* composuerunt. Petrus dixit: Credo in Deum Patrem omnipotentem... Creatorem caeli et terrae... Andreas: Et in Iesum Christum Filium eius... Unicum Dominum nostrum... — Iacobus dixit: Qui conceptus est de Spiritu Sancto... Natus ex Maria Virgine. — Ioannes dixit: Passus sub Pontio Pilato... Crucifixus, mortuus et sepultus. — Thomas dixit: Descendit ad inferna... Tertia die resurrexit a mortuis... — Iacobus dixit: Ascendit ad caelos... Sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis... — Philippus dixit: Inde venturus est iudicare vivos et mortuos. — Bartholomaeus dixit: Credo in Spiritum Sanctum. — Matthaeus dixit: Sanctam Ecclesiam catholicam... Sanctorum communionem. — Simon dixit: Remissionem peccatorum... — Thaddaeus dixit: Carnis resurrectionem... — Mathias dixit: Vitam aeternam ».

Non aliter Medii aevi, posteriorumque saeculorum theologi: « Symbolum autem Apostolorum — inquit Angelicus (4) — quod tempore persecutionis editum fuit, fide nondum publicata ». Suaresius imo concludit (5), « graviter errasse nonnullos, qui se catholicos profitentur, in dubium revocantes an hoc symbolum Apostolicum sit, quum nullam rationem dubitandi habere potuerint contra tot Patres, et universalem traditionem ». Hinc Catechismus Romanus (6) ait: « Apostoli... Christianae fidei formulam componendam censuerunt: ut scilicet idipsum omnes sentirent, ac dicerent, neque ulla essent inter eos schismata, quos ad fidei unitatem vocassent, sed essent perfecti in eodem sensu et in eadem sententia ».

Saeculo XV, traditio haec interrupta fuit, episcopis latinis ac graecis Ferrariam et postea Florentiam petentibus, ad Concilium habendum. Siquidem quum Latini Symboli Apostolorum auctoritatem adducerent, Graeci, duce Marco Eugenico, responderunt, « se neque habere, neque cognoscere Apostolorum Symbolum ». Laurentius Valla (+ 1457), eodem saeculo circa *Credo latini* apostolicam originem dubium ingessit, atque saeculo XVII Iacobus Usserius (Usser + 1656) contra traditionem recensitam librum « *De Romae Ecclesiae Symbolo,* etc. » scripsit. Saeculo XIX et nostro, in Suetia C. P. Gaspari (1) (+ 1892); in Anglia Burn (2); in Germania Harnack, Zahn et Bäumer (3); in Gallia Batifoll (4) et Vacandard, (5) originem apostolicam *Credo Romano* denegarunt.

(1) *Comm. in Symbol. Apost.* 2. M. 21, 337.
(2) *Epist. ad Pammachium* n. XXVIII M. 23, c. 396.
(3) MIGNE 39 *Serm.* 260 c. 2189.
(4) II. — IIae p. I. 9 ad 1.
(5) *De fide Disp.* II. Sect. V, 4.
(6) P. 1. c. 1. q. 2.

***

Si modernorum investigationibus fidem adhibeamus, circa *Romani Credo* originem, conclusiones huiusmodi tenendae forent:

I. — *a)* Denominatio « Symboli » non fuit ab Apostolis *Credo Romano* tributa, quia duobus saeculis prioribus Ecclesiae, ea denominatio non adhibetur, illiusque loco, penes ecclesiasticos scriptores expressiones « Regula fidei, doctrina fidei » etc. uti vidimus, inveniuntur, et si quandoque vox « Symbolum » adhibetur, diversa est huiusmodi vocis significatio.

b) Credo Romanum, quoad substantiam, idest quoad veritates creditas, ab Apostolis est, quum in Apostolorum scriptis eaedem veritates fidei exprimantur. Nonne in S. Paulo (6) legitur: « Coram Deo qui vivificat omnia et Christo Iesu, qui testimonium reddidit sub Pontio Pilato... Memor esto Dominum Iesum Christum resurrexisse a mortuis... Qui iudicaturus est vivos et mortuos »? Nonne in S. Ioanne (7) legitur: « Quisquis confessus fuerit quoniam Iesus est Filius Dei, Deus in eo manet, et ipse in Deo... Quis est, qui vincit mundum, nisi qui credit quoniam Iesus est Filius Dei »?. Nonne Philippus (8) antequam eunuchum baptizet, postulat ab eo: « Si credis et toto corde, licet. Et respondens ait: Credo, Filium Dei esse Iesum Christum »?.

c) Traditio qua, anteactis saeculis, quidam moti, « Symbolum » ab Apostolis compositum fuisse crediderunt, nonnisi pia quaedam legenda reputanda est. Huiusmodi enim traditio recens est, cum Rufino incipit, partialis est. Sanctus ipse Augustinus (9) circa verba Symboli, scribit: « Ista verba quae audistis, per divinam Scripturam sparsa sunt: sed inde collecta et ad unum redacta, ne tardorum hominum memoria laboraret ». Si ab ipsis Apostolis Symbolum compositum fuit, inexplicabile foret 1°, quare inter canonicos libros non adnumeratur; 2°, quare ab Oriente, praesertim ab

(1) *Ungedrukte unbeachtete, und wenig Quelle* etc.
(2) *An Introduction to the Creeds* etc.
(3) *Materialen zur Geschichte und Erklärung d. alten röm. Symbols* etc. — *Das apostoliche Symbol — Das Apostolische Symbol, seine Entstehung* etc.
(4) Le *Symbole des Apôtres* Revue Bibl. 1894.
(5) *Etudes de Critique — Les origines du Symbole des Apôtres.*
(6) I. *Tim.* VI, 13; II. *Tim.* II, 8; IV, 1.
(7) I. *Epist.* IV, 15; V, 5.
(8) *Act.* VIII, 38-38.
(9) *De Symbolo* c. I. M. 40,628.

Hierosolymitana Ecclesia, ignoratur; 3⁰, quare Ecclesia, quae in rebus fidei ad traditionem apostolicam pertinentibus asservandis semper tenacem se praebuit, pluribus vicibus, « Symbolum » adiectionibus subiecit. Qua enim diligentia, quave veneratione illud custodivisset Ecclesia, si ab Apostolis ortum esse sciret? Forsitan dici potest, legendam hanc ab Oriente ortam esse saeculo tertio, propter verba quaedam, in libris apocryphis quibus titulus est: *Constitutiones Apostolicae* (364-378), *Didascalia Apostolorum* (saec. III), contenta, in quibus de Apostolorum conventu in Ierusalem necnon de fidei professione ab illis composita sermo fit. Rufinus ipse forsitan legendam huiusmodi transcriptam perpolivit, amplificavitque, perpoliverunt et amplificaverunt postea scriptores posteriores, uti Cassianus (+ 425) Faustus de Riez (+ 485) S. Isidorus (+ 646) S. Ildephonsus (+ 669) (1).

d) Symbolum saeculis tertio et quarto ab Ecclesia adhibitum fuit, non tamquam fidei regula, sed tamquam orthodoxiae pignus, vel signum veros a falsis christianis distinguens. Ecclesia videlicet utitur « Credo » pro ipsis catechumenis, in praeparatione ad sanctum Baptisma, ante cuius susceptionem, in Sabbato sancto, septem dabantur *scrutinia*, in quorum primo « electi » nomen dabant, in alio *Symboli traditio* habebatur. Hinc leguntur verba: « Symbolum discite... Symbolum nostis quia scribi non solet ». S. Augustinus (2) nobis refert, quomodo « Victorinus quondam rhetor Urbis Romae... doctissimus senex, et omnium liberalium doctrinarum peritissimus... ut ventum est ad horam profitendae fidei », *Symbolum reddidit*, non « secretius » sed « publice ». Et sonuit presso sonitu per ora cunctorum collaetantium: Victorinus, Victorinus! ».

II. — *a) Credo Romanum* prouti formula quaedam fidei est, quo modo hodie existit, primo Ecclesiae saeculo non viguit. Siquidem eo saeculo, nec una vice penes Patres expressio « Symboli » invenitur, sed loco illius, expressiones « regula fidei, doctrina, traditio, regula veritatis, tessera » adhibentur. Rursus, in scriptoribus aevi apostolici, uti sunt S. Clemens Romanus, S. Ignatius, Polycarpus Ephesinus et Auctor *Doctrinae duodecim Apostolorum,* nulla, « Credo Romani » reperiuntur vestigia.

b) Credo Romani vestigia quaedam, saeculi secundi initio reperiuntur. Reperiuntur siquidem in S. Iustino, quum inter scripta quaedam eius et *Romanum Credo* similitudo exstet; immo, fatente Kattenbush, unum ab alio quaedam desumpsisse apparet. Reperiuntur etiam in S. Irenaei operibus, in cuius *Credo* formulae *Credo Romani* « Deus Pater omnipotens, Christus Iesus qui passus est sub Pontio Pilato », leguntur. (3)

c) Saeculo tertio, Romana et Africana Ecclesia *Credo Romano* universaliter utuntur, testibus Novatiano, S.

(1) Vacandard l. c. II.
(2) *Confess.* l. 8. c. 2. M. 32,750-751.
(3) Vacandard l. c. III.

Cypriano, necnon Tertulliano. Novatianus romanus presbyter circa a. 260, contra Cornelium Pontificem scribens ait: « Regula exigit veritatis ut primo omnium credamus in Deum Patrem et Dominum omnipotentem... Nos credere... etiam in Filium Dei, Christum Iesum Dominum Deum nostrum, sed Dei Filium... ex Maria... et resurrecturus a mortuis, sessurus ad dexteram Patris... iudex omnium... Credere etiam in Spiritum sanctum... ad resurrectionem... corpora nostra producat... Ecclesiam veritatis sanctitate ». (1)

In *Epistolis* 69ª et 70ª S. Cypriani legitur: « Credis in remissionem peccatorum et vitam aeternam per sanctam Ecclesiam? ». Credis in vitam aeternam et remissionem peccatorum per sanctam ecclesiam? ».

Tertullianus (2), invocata auctoritate Ecclesiae Romanae, necnon fidei unitate cum Africana Ecclesia, rursusque asserto Romanam Ecclesiam ab Apostolis recepisse, quadruplicem fidei professionem enuntiat, cuius articuli a Romani Credo articulis minime differunt: aliisque in locis, (3) huius *Credo* substantia invenitur cum professione fidei in baptismum, in nativitatem, passionem ac resurrectionem Christi, simul coniuncta. Scribit siquidem: « Quum aquam ingressi christianam fidem in legis suae verba profitemur, renuntiasse nos diabolo et pompae et angelis eius ore nostro contestamur... Dehinc ter mergitamur, amplius aliquid respondentes quam Dominus in evangelio determinavit... Fuerit salus retro per fidem nudam ante Domini passionem et resurrectionem. At ubi fides aucta est credenti in nativitatem, passionem, resurrectionemque eius, addita est ampliatio Sacramento obsignatio baptismi ». (4)

Romae a quodam anonymo, vel a diversis, *Credo Romanum* compositum fuisse, retinetur a nonnullis; quo anno vero controvertitur. (5)

III. — *Romanum Credo* saec. IVⁱ et Vⁱ cum *Romano Credo* hodierno comparanti apparet, eumdem esse articulorum numerum, diversa tamen additamenta in formula facta esse. Siquidem, ut de aliis multis sileamus, in priori *Credo Romano* non inveniuntur expressiones « Creatorem caeli et terrae — conceptus de Spiritu Sancto ex Maria Virgine — passus — mortuus — Dei Patris omnipotentis — descendit ad inferos — vitam aeternam — catholicam — communionem sanctorum ». Rursus in secundo *Credo Romano*, loco: « Christum Iesum, in caelos » legitur: « Iesum Christum, ad caelos ». Additamenta huiusmodi, nonnisi a diversis Ecclesiis facta fuisse. Ita ex. g. ab Ecclesia Aquileiensi verba « descendit ad inferos » vel « ad inferna » addita fuere; ab Ecclesia Galliae verba « passus »

(1) *De Trinitate* c. I, IX, X, XXIX, M. 3, 913-27-25-71-74.
(2) *De Virginibus velandis* c. I *De Praescript.* c. XIII et XXXVI; *adv. Praxeam* c. II. *Cf.* Vacandard ib.
(3) *De Velandis virg. et adv. Praxeam.*
(4) *De Spectaculis* c. IV; *De corona milit.* c. III: *De Baptismo* c. XIII.
(5) Cf. Vacandard l. c. III Iuxta Burn a. 100-120; iuxta Zahm o. a. 100; iuxta Sal. Reinach (*Orpheus ch.* VIII, 63) « *Le plus ancien symbole de ce genre connu en 750 de Justin, est un produit de l'Église de Rome avant l'an 100* ».

et « Dei »; ab Ecclesiis Hispaniae verba: « ad dexteram Patris omnipotentis »; ab Ecclesiis Africae verba: « vitam aeternam »; a Niceta episcopo Remesianae Ecclesiae (saec. V) verba: « creatorem caeli et terrae — catholicam — communionem sanctorum ». Qua vero in Ecclesia hodiernum *Credo Romanum* compositum fuerit, non conveniunt scriptores, quidamque in Ecclesia Galliae, alii in Ecclesia quadam Italiae, alii in Ecclesia Romana, tenent.

***

Relictis controversiis omnibus, a viro catholico prae mente duo habenda sunt: I° Quod in omnibus symbolis « eadem fidei docetur veritas »; et « plura symbola in nullo alio differunt, nisi quod in uno plenius explicantur quae in alio continentur implicite, secundum quod exigebat haereticorum instantia (1) ». — I° Merito a Pio X *(Syllab.)* fuisse propositionem (62) damnatam; « Praecipui articuli Symboli Apostolici non eamdem pro christianis primorum temporum significationem habebant, quam habent pro christianis nostri temporis » (2).

Friburgi Helvetiorum.

Reginaldus M. Fei O. P.

(1) S. Thom. II. — 2ae p. I. 9 ad 2.
(2) Desumpta fuit a Loisy, *Autour d'un petit-livre*, 202.

Quo potissimum consilio in nostris mediis quae dicuntur scholis veterum Graecorum Latinorumque opera sint praelegenda.

Spatii angustiarum cura ac sollecitudine affecti propositum nostrum quam paucissimis absolvemus, ne huius Commentarii moderatoris comitate patientiaque nimis abutamur. Non enim de quaestione iam diu vexata ac prope ex omni parte expleta lectores morari in animo fuit, sed inter tot ac varias doctissimorum virorum sententias quae nobis quidem potior habenda sit, eam exhibere visum est.

Hisce praemonitis, rem aggrediamur.

Si optimorum auctoritate niti volumus eorumque sententias omnino neglegere, qui Graecis Latinisque litteris obtrectent, quippe quae ad nostrae aetatis cultum humanitatemque nihil conferant, ut nostri discipuli quam plurima pervolutent ac versent Graeca et Latina litterarum exemplaria, maxima nobis cura est adhibenda. Quod quum multiplici disciplinarum varietate nostraeque vitae atque aetatis asperitatibus consequi nequeamus, in tanta illa scriptorum operumque copia, quae potissimum ad rem propositam nostram pertineant sunt elegenda ac statuenda. Quod onus atque munus difficillimum magistris suscipiendum est. Qui quidem secum ipsi reputare debent quos ex illis litteris tradendis percepturi sint fructus, quodque quaeratur, haud aliter ac in quotidiana consuetudine peritissimi agricolae, qui messem quam lecturi sint, antequam agros serant, animo quodammodo metiuntur.

Quonam vero in illis litteris docendis miremur oportet?

Alia eleget opera magister, qui modo linguam eandemque aureae quae dicitur aetatis potissimum docere velit, alia qui hoc sibi munus suscipiendum decrevit, ut rebus ad mores ac vitam pertinentibus mentes animosque discipulorum penitus aleret atque effingeret. Eius autem praelectio diversa erit, qui puerorum mentes potius rerum antiquarum eruditione imbuere, quam ad virtutem imitandam sequendamque ipsorum animos hortari adamet. Ceterum iam etiam in singulis aetatibus temporisque progressu in litterarum Graecarum et Latinarum studio eodem consilio non semper homines versati sunt. Nam primum ex Graecis ac Latinis Christianos tantum scriptores religionis causa persecuti sunt viri docti, deinde Aristotelis latini et *Artium* quae dicebantur libros compulsarunt, qui modo ad antiquitatis diversas disciplinas penitus pernoscendas prorsus spectaverunt, tum qui verborum lumina orationisque splendorem quaesivere, Ciceronem splendidissimum exemplar habuere lectitaruntque, denique ii qui, velut e vinculis hominum mentes solvere existimarunt philosophica Arpinatis Graecorumque opera sunt interpretati. Postremo, Winkelmannio auctore, ex Graecis Homerum tragoediarumque scriptores, ex Latinis Horatium praelegerunt ac versarunt, qui sui erudiendi instituendique viam ac rationem quam hominibus rerum natura tribuisse videatur persequi sunt opinati.

Nuperrime autem novum atque inusitatum iter percurrendum censuit Wilamowitzius, qui, singulari prorsus industria versatus in litteris Graecis, florilegium quoddam hoc consilio edidit, aliique Anglici auctores, eruditissimi viri, quorum iudicio scientiae cognitionisque nostrae origines atque incunabula esse repetenda arbitrantur ex illis antiquissimis litterarum monumentis ad quae maxime respiciendum est. Cum illis quidem antiquissimis populis, quorum alter pulcritudinis formas perfectissimas et undique expletas invenit, alter imperium omnium gentium constituit pacisque imposuit mores, nos nostraque mirabili quodam coniungimur vinculo ac noster eorumque cultus atque humanitas maxima cognatione inter se continentur. Itaque cognatio haec inter nostram et Graecorum Latinorumque doctrinam humanitatemque, quae maximarum rerum et artium scientiae initium ac fundamentum haberi licet, clarius illustranda est ac paene discipulorum sub oculis ponenda.

Igitur magister, qui munere sibi mandato optime fungi optet, opera suis discipulis legenda curabit, quae ad nosmet ipsos nostraque perspicienda atque ad mentes animosque excitandos potissimum valeant. Ex Graecis enim ac Latinis litteris antiquitas nostris discipulis tantummodo non est discenda. Nostrarum contra rerum

hominumque cognitio ut ex illis vetustissimis rebus redundet effloreatque niti oportere videtur, aut quidem certe ut discipulorum in animis mentibusque sui recentisque aetatis res cognoscendi gignatur amor et cupido.

Qua re in libris auctoribusque elegendis hoc sibi persuasum ac statutum habeat gravissimus illarum litterarum praeceptor, nullam nostrarum rerum firmam scientiam esse posse eiusdemque nullum studium in animis fieri, nisi ex illis litteris proficiscatur ac repetatur; nullam denique mentem ad res intellegendas ac penitus pernoscendas optime instructam esse, quae illarum litterarum formas perfectissimas eximiasque non comprehenderit. Hoc enim optima illa studia praesertim efficiunt, ut rerum penitus percipiendarum viam rationemque aperiant, in quo nostrae quae dicitur *mediae* institutionis solum ac fundamentum positum esse videtur.

Salae Consilinae, mense Novembri MCMXI.

IANUARIUS DE FILIPPIS.

ALMA DOMUS LAURETANA

Lauretana Domus, grande Sacrarium
cuius frons tumidum prospicit Hadriam!
salve, patria Christi
sedes, cella Deiparae. (1)

Salve, magna diu gloria Nazarae,
nunc insigne decus littoris Itali,
quo te caelicolarum
advexit globus aliger. (2)

Alato Gabriel praefuit agmini,
saepe auditus AVE dulce refundere,
divi quod paranymphus
olim Flaminis edidit.

Spectat Terra iacens Tecta volucria,
et mirata rogat, quâ sit origine
Aedes, quove locorum
cursum dirigat alitem.

Vox e nube canit: « Maxima Nazarae
Laus, haec alma Domus, vim Saracenicam
horrens, Ausonidarum
fidis advolat urbibus. »

Coeptum pergit iter casta Domuncula,
festinamque nequit Dalmata (1) sistere;
mox, Anconis in agro,
viso (quem supereminet)

clivo laurifero, findere desinit
auras, inque solum devolat herbidum:
finem nacta viarum
et iam laeta quiescere.

Quae te lauricomo colle beatior
tellus? dulcis ubi Cellula constitit,
in qua, vindice (2) Iesu,
nostra est acta redemptio;

in qua vox sonuit: « Filia Davidis
expers labis, **ave!** *nam tibi,* **gratia**
plenae, *se Deus ipse*
ardet credere Filium »;

in qua tinnit adhuc FIAT humillimum,
quo vix elicito, candida Virginem
nubes umbrat, et orbis
Auctor fit genus Abrahae. (3)

O iucunda piis obvia mentibus
argumenta, locus quae sacer evocat!
O succendere nata
vel frigentia pectora!

Illud nec stupeas, quod sit agrestior
atque angusta Domus nudaque commodis:
ultro, dives ut esses,
Christus legit egenulam.

Intactam pietas servat, in angulo
laureti positam, quo semel impluit;
nec, fundaminis orbam,
fulcro sustinet altero. (4)

Unum praestitit ars: undique parietes
cingens Aediculae marmore sculptili,
iussit splendida circum
templi surgere moenia.

Illuc turba frequens affluit; affluunt
Piceni, Ligures, Gallus et ultima
Thule; sceptra, tiarae
illuxere Sacrario.

(1) In voce composita *Deiparae,* metri causa, longam feci secundam syllabam, quae ceterum in voce simplice *Dei* produceretur.

(2) Translationem Domus Nazarenae in agrum Lauretanum poetice descripsi, uti eam solent repraesentare pictores.

(1) Tersacte, Dalmatiae oppidum, traditur paulisper almam Domum retinuisse.

(2) Vindex speciatim appellatus est, qui, quum cuipiam esset iniecta manus ut ad iudicem duceretur, eum liberabat.

(3) Luc. I, 28-38.

(4) Domus Lauretana summae humo imposita est ac fundamentis caret.

Huc Franciscus, ovans, advolat Allobrox;
huc Alfonsus (1) ibi (raptus in ecstasim)
visus figere crebra
sacris Aedibus oscula.

Alma o luce diu Numinis incolae
illustrata Domus! perge nitescere
iactatis, Pharus ardens,
atro turbine gentibus.

Regnet relligio, qua furit impotens
in caelum rabies; nec Deus exsulet
aulis sive scholarum,
leges sive ferentium.

Arcte consociet mutua caritas
dites ac inopes; alter in altero
civis cive vereri
Christi discat imaginem.

Nec tu, Cella Dei, littora deseras
Lauretana, suo quae Pimodanius, (2)
Petri iura tuendo,
martyr, sanguine proluit.

FR. XAV. REUSS.

(1) Franciscus Salesius, Sabaudus vel Allobrox, et Alfonsus de Ligorio Neapolitanus, ad Lauretanam Domum, pietatis causa, se contulerunt. Atque Alfonso tum certe in mentem subierunt quae ante scripserat: « *O Casetta fortunata di Nazaret, io ti saluto. Verrà un tempo che sarai visitata dai primi grandi della terra; ritrovandosi i pellegrini entro di te, non si sazieranno di piangere per tenerezza, in pensare che, dentro le tue povere mura, menò quasi tutta la sua vita il Re del paradiso* ».

(3) Georgius marchio de Pimodan, in exercitu Pii IX Pont. Rom. dux fortissimus, gloriosa morte occubuit in proelio commisso apud oppidum *Castelfidardo,* sub ipsis clivi Lauretani radicibus. Nuper gens Pimodania campum redemit, in qua christianus heros proeliando cecidit.

PAROEMIAE SIVE ADAGIA

Alienam metere messem.

Duplex est usus huius adagii, quod apprime in eos convenit qui commoditatibus aliena partis opera potiuntur, et in eos qui negotium non suum parum diligenter curant. Ducta metaphora a vetusto more, quo vicini rustici in demetenda segete mutuam inter sese operam commodabant. Fit autem hominum more, ut in suopte quisque negotio longe sit attentior quam in alieno. Id quod eleganter admonet apologus ille de Cassita, quem non pigeret referre, nisi promptum esset cuilibet apud Aulum Gellium legere. Potest et eo referri, quod aliquoties fit, ut, eiectis iis qui sementem fecerunt, alii in eorum locum succedant, citraque laborem alienis fruantur sudoribus. Unde Maronis illud: *En queis consevimus agros.* — Aristophanes *(Equit.)* in Cleonem paroemia usus est, qui in rem paratam multisque laboribus a Demosthene prius labefactam veniens, Pylo capta, gloriam omnem victoriae in se transtulit, Demostheni praeter invidiam nihil reliquit.

Penelopis telam retexere.

« Penelopis telam retexere » est inanem operam sumere et rursum destruere quod effeceris ». Natum ex Homero, qui libro *Odysseae II* fingit Penelopem, Ulyssis uxorem, procos iam urgentes hac conditione delusisse, ut tum se promitteret nupturam, ubi telam, quam habebat in manibus, absolvisset. Quam conditionem posteaquam illi accepissent, mulier astuta quod interdiu texuisset, id noctu retexere coepit. — Usurpat hoc adagium Plato in *Phaedone.* Item Cicero (*Acad. quaest.* lib. II): « Quid quod eadem illa ars - inquit - quasi Penelopes telam retexens, tollit ad extremum superiora? Sentit autem de dialectica, quae iisdem illis orationibus, quibus confirmavit aliquid, rursus solvit ac destruit, ut nihil iam actum videatur ». Seneca *(De benef.,* V): « Quid enim boni est, nodos operose solvere, quos ipse ut solveres feceris? » Aristides denique in *Defensione quattuor oratorum* haec habet, quae latine referimus: « Et telam nescio quam retexentes. Quantum enim faciunt compendii in sapientia, tantum rursum dispendii, dum arrogantes evadunt ».

Annosam arborem traplantare.

In eos dicitur, qui sera atque exacta iam aetate dediscere conantur ea, quibus diu iuvenes assueverint; aut simpliciter de iis quae frustra molimur. Neque enim loco movenda arbor, ubi iam alte fixerit radices, sed quum plantula adhuc est. Nam veteres negabant arborem transferri oportere vel minorem bima, vel maiorem trima, teste Plinio. Videtur autem adagium ad quercum peculiarius pertinere, quae omnium altissime radices agit, sive quod hanc arborem omnium primam arbitrabantur fuisse, quapropter et Iovi sacra arbor et sylva Dodonaea querna fuit, unde prima omnium oracula reddita creduntur. Eleganter usus est hoc adagio Seneca (*Epist.* XIII, 1): « Haec - inquit - si nimium tristia videbuntur, villae imputabis, in qua didici ab Aegialo diligentissimo patrefamilias (is enim nunc huius agri possessor est) quamvis vetus arbustam posse transferri. Haec nobis senibus discere necessarium est, quorum nemo non olivetum alteri alteri ponit ».

DE STEPHANO
Christi Martyre primo

Stephanum, quem Christi Ecclesia primum Martyrem colit, inter septuaginta Discipulos S. Epiphanius recenset; incertum tamen qua fide, quum septuaginta illi ab Iesu Christo praedicationis munus susceperint, Stephanus vero et socii quum primum curandis viduis destinarentur, nondum praedicationi destinati fuisse videantur. Septem igitur diaconi an. Ch. XXXV initiati sunt: Stephanus omnium primus tamquam dignissimus semper habitus est. Sub Gamaliele studio legis profecisse ferunt; quum autem et Fidei amore et vi Spiritus Sancti plurimum polleret (1), ingentibus patratis prodigiis populos rapiebat; disputationibus vero Libertinos, Cyrenenses, Alexandrinos ceterosque ita confundebat, ut ne stare quidem contra ipsum loquentem auderent. (2) Eius itaque rei invidia calumniatores quosdam ii submiserunt, qui de excitis in populo turbis reum illum ad



Trevisiani tabula S. Stephani martyrium effingens.

(1) *Act.* VI 5, an. Ch. XXXVII, *Aer.* 34.
(2) Ibid.

Synedrium traducerent. Quo quidem deductus est Stephanus; ac statim testium turba affirmarunt audivisse se illum indigna in Templum et Legem effutientem; iactitasse etiam futurum, ut Iesus Nazarenus Locum Sanctum et Legis observantiam aboleret. Omnia haec sedata satis mente et vultu sereno sustinens Stephanus, iussus tandem a Summo Sacerdote dicere si quid pro se haberet, obiecta in se omnia diluens, nihil se contra Moysem et Templum effutiisse probavit (1); dein verso ad Iudaeos sermone, reos illos et in Deum et in Prophetas accusans, in pervicaciam et infidelitatem ipsorum, qui Prophetas primum, deinde Iesum supplicio sustulissent, acriter invectus est.

Obiecta crimina impatienter ferentes Iudaei dentibus in illum stridebant. Stephanus interim, elatis ad caelum oculis, gloriam Dei simulque Iesu ad dexteram Dei stantis visione subito extra se factus: « En - ait - Caelos apertos intueor, et Filium hominis stantem ad dexteram Dei ». Furentes ad blasphemiam, (ut ipsi quidem interpretabantur), Iudaei virum extra urbem raptum lapidibus confecerunt. Quo autem iaciendis lapidibus expeditiores essent, vestimenta sua ad pedes Sauli adolescentis deposuerant; illius sane viri, qui ex hoste fidelibus infestissimo, dein acerrimus Fidei propugnator evasit. In eo supplicio tolerando nihil antiquius habuit Stephanus, quam ut veniam pro adversariis a Deo impetraret; simulque haec rogans, animam efflavit. (2)

Eius reliquias a Gamaliele apud Hierosolymam conditas per revelationem an. CCCCXV detectas ferunt atque Sion primum, deinde Constantinopolim translatas, unde an. MXC rapuit clam Petrus, Venetus Prior, qui eas secum Venetias duxit, et in templo S. Georgii Maioris deposuit, in quo adhuc veneratione magna incolae advenaeque prosequuntur.

***

Haec de Stephano, Christi martyre primo, qui facile ex Iudaeorum Hellenistarum numero ad veram Fidem venerat, ab historiis tradita. Quum autem eius cultus vetustissimus in Christiana Ecclesia fuerit, haud mirum quod ingenuae artes eius gesta sive scalpro sive coloribus ab antiquis temporibus ad nostros usque dies reddiderint. Sub oculis lectorum hic tabulam ponimus, qua Trevisianus Stephani martyrium effinxit, non tenui quidem figurarum vi et motu, quibus classico, quem dicunt, stylo, tragicam scenam repraesentavit; cui adversari videtur venustum illud parvorum angelorum agmen « e caelis apertis » ad Diaconi animam excipiendam descendentium, quorum alter supremae victoriae palmam, alter invicto Christianae religionis adsertori coronam offert, eius nominis symbolum.

(1) *Act.*, VII, 1.
(2) *Act.* VIII, 2.

Fugit hora; hoc, quod loquor, inde est.

PERSIUS.

EX ITALIS URBIBUS


De maximo artium certamine Augustae Taurinorum.

« Poetarum sententiis saepe utimur, non tam ut inde adstruamus fidem, quam ut his, quae dicere voluimus, ab ipsorum dictis aliquid ornamenti accedat». Sic Ioseph Puderdof, ille scriptor germanus, qui tot volumina edidit eaque luminibus poetarum saepe hilarare consueverat. Ipse sit mihi defensor, si frequentius saepe nimis carmina in rem meam protuli.

Ut vero ultra progrediar, antequam hoc artium magnum conamen clauditur, paucis dicam de Anglorum studio. — Nunquam, si singula per ordinem dicere vellem, plura mihi essent repetenda. Optime nosti, candide lector, potissimum, si sermo sit de opificum instrumento paucis omnino exceptis, in eadem saepe decedunt. Artes enim, uti de gratiis Ovidius aliquando descripsit, unam propemodum speciem referunt:

. . . . . . *facies non omnibus una,*
Non diversa tamen, qualem decet esse sororum.


Anglus, natura unice ad utilitatem spectans, ut constat apud omnes, diu multumque haesitavit, utrum in hanc speciosam inter nationes contentionem de artibus, e finibus suis egrederetur, nec ne. Attamen post diutinam acerrimamque inter mercatores disputationem, consilium inierunt posse quoque, nec sine dedecore, cum ceteris populis et de rebus mercatoriis Augustae Taurinorum certare.


Angliae aedes in artium Taurinensi conventu.

Aedicula anglica est procul dubio omnium ditissima cum de externa facie tum de interna. Ad aedificii formam quod attinet, si quaestio esset, ingenium aetatis in primis refert, quae apud nos saeculo XVI maxime invaluit. Haud voluerunt nimis a ceteris abscedere. Omnia enim novae civitatis aedificia unam quasi referunt faciem; quae si quando ob nimiam similitudinem displicet, nec tamen taedium fastidiumque generat.

Exornatio vero exterior, quae aliquantisper ad viridem colorem tendit, sua omnino adparet visuque delectabilis. In partibus interioribus parum adparatus, omnesque merces modice prostant. Angli enim homines, qui semper ad utilitatem omnia vertunt, ad exterarum artium concursum adveniunt, non tamquam ad famam sibi hac ratione conquirendam, vel ad honorem petendum, sed potius ad lucrum.

Haec summa suarum rerum expositio, ceteris omnibus ablegatis, vel quae ad politicam potissimum spectant, commerciis unice favet artibusque. Quibus optime perspectis, quum haec recte omnia novissent, summo sunt opere nisi ut perquam maximo studio hoc opus adgrederentur. Etsi rem obiter perspicere velis, vel delibare, ipsos omnia meruisse suffragia late ipse facile dixero. O vos omnes undique lanarii, sistite parumper atque admiramini. Nonne vos ultro primas Anglis dabitis?


Germaniae tentoria.

Hic in primis adest ob oculos villicus qui pecudes errantes adhuc in campis tondet, mox qui lanam agrestem mollit, dein qui in stamina eam deducit, demum « tincta tegit roseo conchyli purpura fuco. » In ultimum adsunt viri mulieresque in magno beatiorum hominum conclavi, elegantibus variisque ex recentiorum

more vestibus indutae, multa inter se disserentes, quae miram sane eamdemque modestam de se praebent maiestatem.

Vel in vasibus fictilibus, vel in rebus quae ad photographiam referuntur, seu quae imagines luce expressas exhibet, et in omnibus quae ad volumina pertinent, ad crepidas, eamque varietatem admiratus invenies, eamque perfectionem, ut ad optimam prae ceteris nationem pertinere eius artem confitearis. Ad haec omnia sua quaeque loca habent crystalla, scholae, agricolarum stationes: primam aedificii partem obtinent; in medio stant quaeque ad libros pertinent. In ferreis tablinis, quae cum machinarum aediculis coniunguntur, stant opera navalia; quae pauciora dixeris, si cum germanis composueris. Res caligariae, vasa odoraria, fructus pro secundis mensis repositi, vestes conficiendae parandaeque... Industria vero quae de vestimentis agit, principem quoque locum obtinet. Sive huius loci amplitudinem consideras, sive magnitudinem, optime noveris in ipsis praesertim omnium vires niti eoque spectare, ut admirationem omnium sibi conquirant.

Manchesterium prae ceteris imperii civitatibus triumphum edidit. Centies enim huius nomen leges, quo sibi rebus in industria principem locum merito acquisivit, nec modo de textilibus, sed uti videre potes, in hac maxima ingeniorum contestatione, et in vasibus fictilibus atque crystallis.

Nec omnia refero, neque omnia enim videre potuissem. Quoniam vero hoc ipso mense labente, vel ad summum prima sequentis parte clauditur hoc supremum ingeniorum conamen, (1) omniaque aedificia summo admodum artificio composita, mox mox manu hominum dilabuntur, et haec ipsa loca ad civium solatium puerorumque denuo redibunt, ad finem concitato gradu contendam, ne mihi dicas:

Claudite iam rivos, pueri, sat prata biberunt.

Quot silentio praeterire iubeor! Magnis namque laudibus Belgas quoque ferendos putabis, qui in inferiori utique ambitu conclusi, suam artem progressumque in artibus mirum in modum portendunt. Eorum spes in periculis augeri videtur, virtus continue splendet, constantia viget, atque audentia vehementius incalescit. Multi transeuntes eorum ostensionem plurimis verbis admirantur, ad sidera ferunt. Huic nationi, christianis nunc moribus in primis laudabili, atque antiquam adhuc egregiam indolem retinenti, quam de ipsis I. Caesar meminit, quae Vergilius de Roma dixit ultro referes: « Scilicet et rerum facta est ditissima » gens Belgica. Sed antequam finem ultimum huic perbrevi narrationi tandem impono, velim pauca dicere de re nostra navali et praesertim de bellica... Quot immania pelagi monstra! Quot bellica tormenta! Illic veluti in compendium composita sunt quotquot in mari ad Tripolim bella adversus Turcas acerrime gerunt. « O vos Itala pubes salvete! O famae merito pars maxima nostrae salvete! » Quibus nunc Itali confidentius nomen suum concrediderunt, victoria semper adrideat, ut post bellorum pericula in pace gloriosa compositi, italicam fortunam late gaudeatis.

Verum adhuc e limine atque acerrime laudibus iterum atque iterum Taurinenses cives opificesque cumulabo, qui omnes certatim eo contenderunt, ut aliquod sibi neque spernendum meritum adquirerent, atque adeo abs nulla arte, nullisque impensis, publicis privatisque, se se abstinere censuerunt.

Equidem tanti erat Taurinenses novum Italis iter ostendere, non iam armis ad gloriam suos concurrere posse, ut inter recentiores populos ad famam adsurgerent, sed artibus, commerciis atque in primis in agris optime colendis. Sic itur ad astra.

SUBALPINUS.

(1) SUBALPINUS mense Octobri exeunte scribebat; Taurinense artium certamen revera clausum est die XIX superioris mensis Novembris.

EX COLUMBIA

" Tarcisius „ actio dramatica I. B. Francesia, in nostro Commentario edita, apud Columbianos in scenis acta.

Clarissimus socius noster Ioannes Baptista Francesia hasce epistolas ad nos mittebat, quas libentissime, imo non sine quadam superbia, vulgamus:

I.

Dulcissime rerum,

Nudius tertius accepi litteras a Columbia, quae mihi gratissimum nuncium dabant, illic tirones Salesianorum actitasse Latinam comoediam, cui est titulus « Tarcisius. » Quod quidem laudibus ferendum esse putabunt quotquot est pectori litterarum latinarum studium. Tibi quoque, optatissima *Vox,* sit laudum pars maxima, quae primum in vulgus edidisti hanc narrationem ad commune litterarum incrementum atque ad nobile inter nostrates exemplum.

Namque nullibi adhuc, ex mea quidem sententia, est in Italis actitata perbrevis haec historica narratio; primum sed apud gentem mox toto orbe divisam, quam rudem paene dixeris atque agrestem in litteris latinis addiscendis.

Quoniam vero Salesianorum tironum exemplum et alios ad se trahere poterit, hasce ipsas litteras ad Te libentius mitto, ut videas, si per spatium licebit, utrum in publicum edere possis necne. Utcumque eveniat, mihi tamen cum Ovidio erit tibi et illis dicendum:

« *Plena tot et tantis referetur gratia factis.*

Augustae Taurinorum IV Id. Novembris MCMXI.

I. B. FRANCESIA.

II.

Ioanni Baptistae Francesia, magistro optimo, Salesiani tirones ex Columbia s. p. d.

Pergratum nobis est tibi nuntiare Mosquerae, IV ante Idus Septembris, in scenas productam esse actionem dramaticam « Tarcisius », quam Inspectori nostro R. D. Aime feliciter sacrum renovanti argenteum, obtulimus.

Laboriosa quidem praeparatio fuit, sed praemium accepimus quam maximum, nam actio optabilem exitum habuit, et miraculum fuit non tantum inter sodales nostros, sed et in Columbia omni, in qua prima vice fabula latina acta est, ita ut Moderator collegii nostri statuerit denuo, Bogotae coram clero atque episcopis Columbianis, proximo mense Octobri extraordinarie in unum convenientibus, esse producendam. Quod revera tanto cum plausu factum est, ut merito sperare liceret fore ut omnium animi ad latinarum litterarum studia incensi quam maxime fuerint, utque huius mirabilis linguae amor in nostris domibus et in clero universo, in dies augeatur et florescat.

Maximam tamen laudum partem quas nobis tribuerunt, tibi, laeto animo, reddimus, cuius operam poeticam, facilitate versus et elegantia sermonis, iustis laudibus omnes periti ad caelum tollunt.

Favente Deo, in posterum ceteras actiones, quas insigni arte exarasti, prolaturi sumus. Si quid novi in lucem dederis vel alienum eiusdem generis utile nobis esse cognoveris, periucundum nobis feceris, si ad nos miseris.

Ad multos annos, dilecte Pater, te Deus servet. Vale.

Dat. Mosquerae in Columbia, VII lKal. Novembris, ann. MCMXI.

ACTA PONTIFICIA

SSmi. Dni. N. Pii PP. X allocutio habita in S. Consistorio d. XXVII mens. Novembris MCMXI.

VENERABILES FRATRES

Gratum quidem est, quod satis longo post intervallo licet Nobis amplissimum Ordinem vestrum alloqui praesentem, cui sane omnia, quaecumque vel laeta vel tristia Nobis accidunt, scimus, ob singularem vestram Nobiscum coniunctionem, esse communia, Iam diu enim habuimus in animo vos convocare, ut coram de iis ageremus, quae Nos in gubernanda per medias tot difficultates Ecclesia Iesu Christi maxime sollicitant: sed nostis, Venerabiles Fratres, quae Nos causae rem in hunc diem differre compulerint. Quamquam opem Dei ad sustinendas vires, ad consolandos labores Ecclesiae militantis experimur assiduam; sed tamen non possumus, quin simul has tantas acerbitates temporum sentiamus.

Annus enimvero, qui iam est in exitu, peculiarem in modum Nobis luctuosus fuit: id plane omnes intelligunt. Equidem non in hoc immorabimur, quanto Nos maerore itemque filios quotquot ubique sunt Ecclesiae devotos affecerit clamosa illa commemoratio celebratioque factorum, unde tam multa tamque gravia vulnera, quanta usque adhuc inusta sunt iuribus Sedis Apostolicae, nemo ignorat esse profecta. Neque enim satis esse visum est eventus tales publicis commemorari sollemnibus: placuit iniuriosam rerum memoriam iniuriis celebrari novis, importunas anno vertente declarationes odii in fidem catholicam saepius iterando: quod maxima cum offensione totius catholici nominis factum esse quis negaverit? Atqui summum bonorum decusque praecipuum dilectissimae Nobis Italiae hac Fide continetur, quae et mirifice eam ad omnes humanitatis artes excoluit, et sicut anteactis temporibus, ita in posterum pacem et prosperitatem ei parere sola potest. Ceterum, quando in hac sacerrima Urbe incredibilis quaedam impunitas hostibus Religionis datur, quid mirum, si secta improba, qua nihil Deo christianaeque sapientiae est inimicius, coetus suos nefarios paene sub oculis Nostris egit? Si fidem Christi, si doctrinas Ecclesiae, si Romani Pontificis auctoritatem vulgo per diaria atque in triviis, vel ab ipsis etiam magistratibus, haberi ludibrio, contumeliisque onerari vidimus?

At non intra romana moenia et in finibus Italiae improborum adversus Ecclesiam impetus restiterunt. Scitis, Venerabiles Fratres, regno Lusitaniae in Rempublicam converso, violentam illic tempestatem invidiae et calamitatem incidisse in rem catholicam; nec ignoratis eam rerum conversionem factam esse ductu et auspiciis eiusdem illius sectae, quam diximus; ipsa enim hoc profiteri non dubitat; et factam quidem specie novandi formam rei publicae, sed reapse ad facilius opprimendam Religionem. Nos, ut Apostolicum officium postulabat, legem de Civitate et Ecclesia dissociandis in luce orbis terrarum reiecimus et damnavimus, illud videlicet insigne improbitatis monumentum, quo id non dubie contenditur, divellere a complexu Ecclesiae Romanae Lusitaniam, in eaque sensim omne catholicae professionis delere vestigium. Itaque revocamus hic et confirmamus omnia, quae per Encyclicas eas Litteras ad Episcopos universos datas ediximus: futurum vero speramus, ut Lusitana gens, cuius vetus et nobilis laus est deditissimam esse Ecclesiae, obsistat victrix conatis hominum qui nativam omnem libertatem opprimentes, perniciem patriam caeco impetu moliuntur. Illud autem spem Nobis auget simulque consolationi est, quod videmus sacrorum Antistites Clerumque Lusitaniae, praeeunte omnibus Patriarcha dignissimo, summe cohaerere cum hac Apostolica Sede; eosque potius, quam suo desint muneri officiique religionem violent, spoliationes, contumelias, carceres denique, detrimenta omne genus obire, constantia mirabili.

Iam vero, dum inimica vis, mores et instituta christiana subruendo, homines ac civitates in exitium impellit; dum pestis *Modernistica*, fucata colore scientiae, serpit callide, virusque *Naturalismi* mentibus instillando, quasi quodam gelu contrahit animos, interea benignitas admiranda est miserentis Dei, qui devios revocare ad frugem parat, novo excitato quasi incendio christianae caritatis. Sane non est quod desperemus de salute communi, cum studia catholicorum in Sanctis-

simam Eucharistiam tantopere ubique gentium inflammari cernimus. Innumerabiles iam ex utroque sexu sunt homines, iique non adulti modo, sed adolescentuli etiam et pueri, qui cum Sacramentum augustum assidue colunt piissimeque diligunt, tum de ipso frequenter, non sine praeclaro fidei et virtutum ceterarum fructu, participant. Mirum quantum eodem conferunt conventus illi Eucharistici, quos catholici homines quotannis ex omnibus partibus confluentes celebrare solent. Hoc autem in genere post coetus et Coloniensem et Londinensem et Marianopolitanum, splendidissime actos uberrimoque exitu, is qui proximo tempore habitus est Matriti, non minus exstitit et ad splendorem et utilitatem memorabilis. Scilicet ea res agebatur, in qua non deceret Hispaniam catholicam cuiquam inferiorem esse: excitatis igitur omnium animis in liberam et ardentem professionem traditae a maioribus fidei, visa est per eos dies gens Hispanica universa se supplicem ad pedes Iesu Christi mystice latentis abiicere. Aderant quotquot sunt civitatis ordines, ab imis ad summos, frequentia maxima: elucebat autem omnibus exemplo ipse cum Augusta Domo Rex Catholicus. Is quidem et voce et factis publicum mansurumque edidit pietatis documentum: sed hoc ipso et laudes sibi comparavit bonorum omnium, et causam dedit civibus, quare studiosius eum colerent et observarent. — Quid igitur in rebus religiosis vere sentiat Hispania, hic tam aperte ab ea declaratum est, ut nihil possit esse manifestius. Nempe affirmatissime testata est, non se nomine et professione tenus, at sincere et funditus esse catholicam, constanterque hanc fidem velle retinere. Itaque si quid ipsa anhelat, non illud profecto anhelare dicenda est et cupere, ut nefastae condantur leges, quae Religionis instituta, Ecclesiaeque praerogativas et iura offendant; sed omnino hoc, ut integra conserventur vetustae necessitudinis vincula, quibus cum Sede Apostolica coniungitur. Respiciat Deus, precamur, benignus nationem Nobis carissimam, et avertat mala, quae ad tranquillitatem fortunamque eius labefactandam appetere videntur.

Nunc, Venerabiles fratres, antequam novos viduis Ecclesiis demus Episcopos, propositum Nobis est honestissimum vestrum supplere Collegium, viros aliquot cooptando virtute doctrinaque praestantes, qui sive in episcopali ministerio, sive in aliorum perfunctione munerum suam Nobis operam egregie probarunt.

Hi sunt

IOSEPHUS MARIA COS Y MACHO, Archiepiscopus Vallisoletanus;

DIOMEDES FALCONIO, Archiepiscopus Tit. Larissenus, Delegatus Apostolicus in Foederatis Americae Civitatibus;

ANTONIUS VICO, Archiepiscopus Tit. Philippensis, Nuntius Apostolicus in Hispania;

IANUARIUS GRANITO PIGNATELLI DI BELMONTE, Archiepiscopus Tit. Edessensis;

IOANNES MARIA FARLEY, Archiepiscopus Neo-Eboracensis;

FRANCISCUS BOURNE, Archiepiscopus Westmonasteriensis;

FRANCISCUS BAUER, Archiepiscopus Olomucensis;

LEO ADOLFUS AMETTE, Archiepiscopus Parisiensis;

GULIELMUS O' CONNELL, Archiepiscopus Bostoniensis;

HENRICUS ALMARAZ Y SANTOS, Archiepiscopus Hispalensis;

FRANCISCUS VIRGILIUS DUBILLARD, Archiepiscopus Chamberiensis;

FRANCISCUS NAGL, Archiepiscopus Viennensis;

FRANCISCUS MARIA ANATOLIUS DE ROVERIE DE CABRIERES, Episcopus Montis Pessulani;

CAIETANUS BISLETI, Pontificiae Domus Nostrae Praepositus;

IOANNES BAPTISTA LUGARI, S. R. et U. Inquisitionis Assessor;

BASILIUS POMPILI, S. Congregationis Concilii Secretarius;

LUDOVICUS BILLOT, Sacerdos e Societate Iesu;

GULIELMUS VAN ROSSUM, Sacerdos e Congreg. SS. Redemptoris.

Praeter hos alium egregium virum sacrae honore Purpurae honestare decrevimus; quem tamen iustis de causis in pectore reservamus.

Quid vobis videtur?

Itaque auctoritate omnipotentis Dei, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, creamus et declaramus S. R. E. Cardinales:

Ex Ordine Presbyterorum

IOSEPHUM MARIAM COS Y MACHO
DIOMEDEM FALCONIO
ANTONIUM VICO
IANUARIUM GRANITO PIGNATELLI DI BELMONTE
IOANNEM MARIAM FARLEY
FRANCISCUM BOURNE
FRANCISCUM BAUER
LEONEM ADOLFUM AMETTE
GULIELMUM O' CONNELL
HENRICUM ALMARAZ Y SANTOS
FRANCISCUM VIRGILIUM DUBILLARD
FRANCISCUM NAGL
FRANCISCUM MARIAM ANATOLIUM DE ROVERIE DE CABRIERES

Ex Ordine Diaconorum

CAIETANUM BISLETI
IOANNEM BAPTISTAM LUGARI
BASILIUM POMPILI
LUDOVICUM BILLOT
GULIELMUM VAN ROSSUM.

Item alium, ut supra diximus, Cardinalem creamus et in pectore reservamus, quandocumque arbitrio Nostro renuntiandum.

Cum dispensationibus, derogationibus et clausulis necessariis et opportunis. In Nomine Patris † et Filii † et Spiritus † Sancti. Amen.

EX SACRIS CONGREGATIONIBUS ROMANIS
SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE

Ex Congregatione Concilii.

Dubium circa Vigilias Festorum suppressorum « Motu proprio » diei II mens. Iulii MCMXI.

An post Motu Proprio « Supremi disciplinae » diei II mens. Iulii MCMXI adhuc servari debeant Vigiliae Festorum suppressorum, ex praecepto aut ex voto hucusque servatae? — *Resp.* Affirmative.

DIARIUM VATICANUM

(Mense Novembri MCMXI).

Coram SSmo. admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites aliosque viros qui sui quisque muneris gratia Pontificem de more adiverunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: Stanislaus Medolago Albani, Comes; Maria Theresia Ledochowska, Comitissa; Patres Armenici Episcoporum conventus in Urbe congregati; Galeazzus de Thun Hohenstein, Princeps, Supremi Melitensis Ordinis Magister Maximus; Christina Giustiniani Bandini, Princeps foemina, Coetus Catholicarum Mulierum in Italia praeses; Raphael Erràzuris Urmeneta, legatus extraordinarius atque administer cum omni potestate Chilensis Reipublicae apud Apostolicam Sedem, eiusque familia; manus nobilium virorum ex Septentrionali America, ex Batavia, ex Anglia atque ex Gallia ad grates Pontifici habendas ob cives cuiusque nationis suos Sacra Purpura honestatos.

Pontificiae electiones.

Provisio Ecclesiarum. — S. Congregationis Consistorialis decretis SSmus. D. N. Pius PP. X has quae sequuntur ecclesias de proprio pastore providit, scilicet: Titulari ecclesiae archiepiscopali Nazianzenae praefecit r. p. Dionysium Schuler, iam Ministrum Generalem Ordinis Fratrum Minorum Unionis Leonianae; Cathedrali ecclesiae Ecclesiensi, sacerdotem Iosephum Dallepiane, presbyterum Dioecesis Placentinae, ibidem canonicum cathedralis ecclesiae et Vicarium Generalem.

Brevi Apostolico nominati sunt: r. d. Noë Ioseph Tacconi, e Seminario Mediolanensi pro Missionibus ad exteras gentes, episcopus titularis Aradiensis et Vicarius Apostolicus de Ho-nan meridionali; r. p. Iuventius Hospital, ex Ordine Eremitarum S. Augustini, episcopus titularis Caunensis et Vicarius Apostolicus de Ho-nan septentrionali; r. d. Aloisius Calza ex Instituto Parmensi S. Francisci Xaverii ad exteras Missiones, episcopus tit. Termessensis et Vicarius Apostolicus de Ho-nan occidentali; r. d. Aloisius Buraci, episcopus eccl. Alexiensis in Albania; r. d. Georgius Koletsi, episcopus eccl. Sappensis in Albania.

In Consistorio d. XXVII mens. Novembris electi sunt: Emus. et Rmus. D. Franciscus Cassetta, Sabinorum ecclesiam dimittens, episcopus Tusculanus; Emus. et Rmus. D. Caietanus De Lai, ex Ordine Diaconorum in Ordinem Presbyterorum assumptus, episcopus Sabinorum; r. p. d. Leopoldus Ruiz archiepiscopus Mechoacan., ab ecclesia Metropolitana de Linares translatus, eiusque successor r. p. d. Franciscus Plancarte y Navarrete, ab ecclesia Cuernavacen. promotus; Victorius Amedeus Ranuzzi de Bianchi, archiepiscopus titul. Tyrius, ab ecclesia Recineten. et Lauretan. promotus; r. p. Pius a Langogne ex Ordine Fratrum Minorum S. Francisci Capulatorum, SS. Congregationum S. Officii, Sacramentorum et Religiosorum Consultor, archiepiscopus tit. Corinthien.; r. p. d. Carolus De Cormont episcopus Aturen. et Aquae Augustae, ab eccl. S. Petri et Arcis Gallicae seu Martinicen. translatus; r. p. d. Felix del Sordo, episcopus Aliphan., ab eccl. Venusina translatus; r. d. Aloisius Ferri, canonicus theologus cathedr. ecclesiae Fanen., episcopus Montis Alti; r. d. Pompeius Ghezzi e dioecesi Mediolanensi, episcopus Biturgen., seu Burgi S. Sepulcri; r. d. Iosephus Scarlata, parochus Villalbae in dioecesi Calatanisiaden., episcopus Muranus; r. d. Ioannes Pulvirenti, canonicus cathedr. eccl. Iacien., episcopus Anglonen. et Tursien.; excmus. dnus. Adam e Principibus Sapieha, ex intimo cubiculo Pii X Pont. Max., episcopus Cracovien.; r. d. Lucas Pappafava, parochus decanus S. Petri Brazen. e dioecesi Pharen., episcopus Sebenicen.; r. d. Caelestinus Cézérac, Vicarius Generalis Auxitan., episcopus Cadurcen.; r. d. Iacobus Naughton, rector Seminarii Alladen., episcopus eiusdem dioecesis.

In Consistorio denique d. XXX m. Novembris MCMXI electi sunt: r. d. Andreas Bovet, S. Theologiae doctor in Seminario Friburgen., episcopus Lausanen. et Geneven.; r. d. Emanuel Ioseph Pena, canonicus poenitentiarius cathedr. eccl. S. Crucis de Sierra, episcopus Pacen. in Bolivia; r. d. Iosephus Pfluger, Vicarius generalis Vindobonensis, episcopus tit. Arpasen. et auxiliaris Emi. archiepiscopi Vindobonensis; r. d. Riccardus Sepulveda, Gubernator ecclesiasticus Tenucensis et Vicarius generalis cathedr. eccl. SS. Conceptionis in Chilensi Republica, episcopus tit. Sophenen.

Nominatio Vicarii Apostolici et Praefectorum Apostolicorum. — Per decreta S. Congregationis de Propaganda Fide nominati sunt: R. p. d. Henricus de Saune, e Societate Iesu, Vicarius Apostolicus de Madagascar centrali; r. p. Stanislaus de Vos, pariter e Societate Iesu, Praefectus Apostolicus de Koango in Congo Belgico; r. p. Oswaldus Waller, e Seminario Lugdunensi ad Missiones Africanas, Praefectus Apostolicus de Nigeria Orientali.

— R. p. d. Riccardus Sanz De Samper, ex intimo cubiculo SSmi. Dni. Nostri Pii PP. X, a Secretis S. Congregationis Caeremonialis; et r. p. d. Aurelius Galli a Secretis Brevium ad Principes dicuntur.

— R. p. d. Carolus Algernon Stanley, episcopus tit. Emmausien., inter Consultores S. Congregationis Consistorialis adnumeratur.

— R. p. d. Ioanni Baptistae Lugari S. R. et U. Inquisitionis Assessori in Sacrum Senatum cooptato, sufficitur r. p. d. Dominicus Serafini, archiepiscopus Spoletanus.

— R. p. d. Victorius Amedeus Ranuzzi de Bianchi, archiepiscopus tit. Tyrius, Admissionum Magister a SSmo. deligitur.

ANNALES

Bellum inter Italos atque Turcas.

In superiore nostri Commentarii numero infidum Araborum animum denunciavimus, qui post signa obsequii et oboedientiae Italis prolata, imo cibaria accepta, et hospitium cum iis divisum, a tergo eos ignave aggressi, in discrimen illud adduxerunt, a quo vix heroica eorum virtus servavit. At hodie, summo quidem cum dolore atque non minori indignatione, Turcarum crudelitatem feris ipsis gentibus, nedum qua nunc instructi sumus humanitate, indignam deferre cogimur. Quis enin crederet Turcas saevissimis tormentis, - in crucem scilicet corpora agendo ac telorum suorum scopum faciendo, vel nefarie detruncando, aut etiam (horribile dictu!) ea in humo, propaginis modo, infigentes, capitibus tantum prominentibus, ut a ferarum morsu, fame aut siti conficerentur, relinquendo, - Italos captivos ad diram eamque vere lacrymabilem mortem traxisse? Atqui proximis hisce diebus haec comperta sunt atque universis gentibus ab ipsis diurnorum exteris scriptoribus, qui belli eventus in agminibus sequuntur,

prolata; quorum immo unus, Ioannes Carrère gallicus, qui huiusmodi atrocitates gravius doluit, proditorie, in ipsa Tripolitana urbe, petitur et vix paratam sibi caedem effugere potest.

Ceterum Itali, animo haud fracti, quin etiam quasi robustiores facti, ad humanitatem vindicandam intrepide pergunt, ac tum hostium, tum ipsorum elementorum - caeli scilicet ac maris furentium - conatibus superatis, castrorum fines ab Henni ad Messri oppida usque victricibus armis promovent.

⁂

Sinensis rebellio.

Sinensis rebellio haud ferme speratos successus consequuta est, Nanking et ipsa Shanghai urbibus sine ulla fere sanguinis effusione potita. Imperator edictum edidit, triste quidem demissionis documentum ab ignavis consiliariis puero principi impositum, in quo seditiosorum incusationes contra regiam stirpem, in gubernium inque classes - uti vulgo aiunt - dirigentes, tamquam vera confitetur. Validusne erit huiusmodi imbecillitatis actus ad coronam Caesari servandam? Conventus generalis Sinensium procerum qui proxime congregatum iri nunciatur, diiudicabit: certe si thronus a rege non auferetur, nomine tantum rex in posterum is habebitur.

⁂

Russici imperii cum Perside discrimen.

In alia quoque Orientis parte anhelitus terrae in nubem se induunt. Nonnullis offensionibus a Persicis quibusdam militibus in Russicum consulatum Teheran in urbe prolatis, atque regiis administris excusationes recusantibus, Russicum gubernium terminum trium dierum Persico ad se purgandum constituit, quo frustra elapso exercitum ab Asserbeidschan provinciam occupandam esset missurus.

Discrimine hoc vix pacato, en «ultimatum» alterum sequitur, ut ad Russica negotia tutanda exteri aerarii legati a gubernio electi removeantur, neve alii admittantur quin prius tum a Russica tum ab Anglica legatione recogniti fuerint. Indictioni huic publicus ferendis legibus coetus omnino obstitit, frustra Persarum exterarum rerum administro suadente, qui inde a munere se abdicavit. Russica itaque agmina a Recht oppido Teheran ipsam ad urbem procedunt.

⁂

Clauditur sic, novi belli prospectu, annus MCMXI, tot pacis auspiciis feliciter enatus; qui inde sequetur pacem ipsam inter omnes populos restitutam oriens videbit? Speramus equidem, at valde heu! dubitamus.

PUBLICI PER ORBEM COETUS
legibus ferendis

Ic **Anglia** Grey administer fusa oratione explanavit tum amicitiam inter Angliam et Germaniam falso in dubium passim positam, tum Anglici imperii statum in negotiationibus, quas Gallia atque Hispania de Mauritana re inter se agitant.

In **Austria**, dissidentibus adhuc factionibus, novum administrorum collegium pro tempore sive «ad negotia», uti aiunt, compositum, praeside Stuergkh comite.

In **Bavaria** populi legatorum coetus dimissus, novaque comitia indicta.

In **Germania** leges de vectigalibus atque de navigatione fluviali in disceptationem vocatae.

In **Helvetia** nationalis qui vocatur coetus renovatus, nulla tamen partium, quae antea erant, immutatione.

In **Hungaria** rationes acceptorum atque expensarum perpenduntur.

In **Lusitania** novum administrorum collegium suffectum, praeside Vasconcellos.

In **Rumania** regali oratione, optimum regni statum declarante, publici coetus sessiones resumptae.

In **Russia** latae leges de Finnica provincia, de «alcoolismo» a gubernio vehementer coercendo, de religiosa denique libertate.

In **Suetia** totius regni comitia ad novos populi legatos eligendos habentur.

PER ORBEM

Die I mens. Novembris MCMXI Graecorum rex Lutetiam Parisiorum tenet atque Gallicum exterarum rerum administrum invisit.

— d. II incendium dolo, ut putatur, excitatum Hebraeorum vicum Galata, Constantinopoli in urbe, vastat.

— d. III ex Algeria inundationes nunciantur plures humanas victimas efficientes.

— d. IV Americanae Reipublicae Honduras praeses eligitur Emanuel Bonilla.

— d. VI atra procella in Britannico freto furit.

— d. VIII, Tunete, Araborum seditio in exteras gentes, Italos praecipue, cum magna caede exoritur, quam vi repellere Gallici milites non sine difficultate coguntur.

— d. IX Oximi ex municipum aedibus Laurentii Lotto magni pretii tabula Virginem effingens cum puero Iesu ab angelis venerato, clam ab ignoto fure rapitur.

— d. x Stocolma ex urbe nunciatur Nobelium praemium de litteris hoc anno Mauritio Maeterlinck tributum.

— d. xi Lutetiae Parisiorum longum vitae cursum absolvit Ziem pictor ille marium, per orbem late celebratus. Natus erat mense Februario an. MDCCCXXI.

— d. xii Anglorum rex et regina Londino ad Indorum regiones proficiscuntur, ut ibidem imperiali corona sollemniter redimiantur.

— d. xiv Italorum architectorum Nestor, Andreas Busiri-Vici, Romae obit.

— d. xv Donaldus Mackay, Anglicus explorator, Anglorum geographicam societatem certiorem facit, se in Nova Guinea incolarum tribus non prius cognitas invenisse.

— d. xvi Serborum rex Lutetiam Parisiorum tenet, ubi Gallicae civitatis praeses Fallières numismate in memoriam Gallici belli an. MDCCCLXX ab ipso pugnati cuso, eum insignit.

— d. xx Strongylus mons ignes evomit, multo cum fragore et metu, at nullo damno.

Ramon Caceres, Dominicanae Reipublicae praeses, nefarie interimitur.

— d. xxii in fodina quadam ad oppidum Kleinbodungen Berolinensis provinciae, incendiarius cuniculus inopinata eruptione opifices sepelit, quorum undecim misere necantur.

— d. xxiv inter Andegavum et Pictavium curruum series vapore actorum ob cuiusdam pontis ruinam in Thoue flumen, proluvie tumidum, praecipitat. Viatorum alii vulnerantur, alii horrendam mortem oppetunt.

— d. xxv vehemens incendium Visoko pagi ad Sarajevo domus quadringentas, templum et Mahumetanorum scholam absumit.

— d. xxvii Augustae Taurinorum monumentum dicatur Vincentio Vela, Italico sculptori nostri temporis praeclaro.

— d. xxviii Berolini obit Ludovicus Pietsch, qui tamquam diurnorum Germanorum scriptorum decanus habebatur. Annum enim vitae agebat octuagesimum septimum.

— d. xxx in Civitatibus foederatis omnibus Americae septentrionalis annuus dies festus celebratur ad grates Deo habendas ob dona Americanae genti tributa.

MUNDANUM SCIENTIAE SODALITIUM

Cl. v. Iacobus Tassetius has quae sequuntur quaestiones ad Coetum Latinum propositas nobiscum communicavit, qui sponte in *Vocem Urbis* renunciamus nostras paginas ultro sociis et lectoribus imo offerentes, si quis de iisdem scribere voluerit.

I.

Num praeter solam illam virtutem, qua invicem se appeterent, inertia licet haberi sidera, quae natura sua lucere, calefacere, et omnigenis scatere viribus manifesta sunt?

Impar in arena atque in lapide, in glacie atque in aqua, et in ceteris corporibus, partium quum sit *cohaerentia,* num par (pari mole, intervallo) atque eadem est terrestri in orbe, luna, sole, sideribusque dissimillimis virtus illa, qua vicissim corpora se appetant?

II.

Abstracta, veluti numerus, pondus, spatium, calor, quum finitis quidem sint sensibus data, utrum legitimum sit necne, ut in infinitum ratione ac mente producantur? An qui ultra experimenti fines rationibus et numeris describitur mundus, non aeque sit commentitius atque veterum poetarum Olympus?

III.

Num res eodem per aevi tempora oriuntur ordine, quo scientiae et cognitionis causa per intellectum a simplo ad multiplex, a saxeis ad stirpes et animalia exponuntur?

AENIGMATA

I.

En mea regna nitent, spatior regina meosque
Devoro, quos et tu, quem quoque concoquerem.

II.

Inmundum est *totum; cervicem* deripe; sacrum

F. X. B.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Doctorem IOSEPHUM FORNARI, Commentarii moderatorem *(Roma, via del Governo Vecchio, 96)* miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet opus, cui titulus:

DIES CHRISTI NATALI PRAEVIA

Ad exemplar carminis Bohemici C. I. ERBEN, quod inscribitur: *Ste.ry Den.* latine scripsit FR. PALATA.

Aenigmata an. XIV, n. IX proposita his respondent:

1) **Noctu-a;**
2) **Cuniculus.**

Ea rite soluta miserunt:

P. C. Peltenburg, *Soetewoude ad Lugdunum Batavorum.* — Aug. Seriban, *Iassiis.* — I. M. Meunier, *Corbiniaco.* — A. P. Gest, *Trentonio.* — Alois. Cappelli, *Senis.* — Call. Amalberti, *Albio Intemelio.* — St. Kempa, *Strosisca.* — Ioan. Galbiati; F. Arnori, *Mediolano.* — Iac. Menendez, *Madrito.* — F. Wawer, *Marianopoli.* — A. Bounin, *Aureliano.* — Lud. Goux, *Bituricis.* — Eug. Dolmar, *Neo Eboraco.* — Georg. Archambeault, *Quebeco.* — Alex. Pintauro; Vinc. Starace, *Neapoli.* — Alb. Kain, *Dublino.* — Alb. Catteau, *Lugduno.* — Alb. Perraud, *Lutetia Parisiorum.* — F. X. M., *Drepano.* — Paulinus a S. Iosepho, *Barcinone.* — Lud. Dubois, *Massilia.* — Petrus Tergestinus. — Fr. Xav. Ghion, *Ostunio.* — P. Prado, *Venetiis.* — Fr. Guerra, *Aletio.* — Nicol. Endrigi, *Salisburgo.* — I. Ciolli, *Papia.*

Sortitus est praemium:

F. WAWER,

ad quem missum est opus, cui titulus:

T. VALLAURI
HISTORIA CRITICA LITTERARUM LATINARUM.

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus

ROMAE — Ex officina *Societatis Editricis Romanae.*

EUPLIUS

(13

Actio dramatica a I. B. Francesia versibus senariis exarata.

EUPLIUS.

Audi meum verbum, natalis civitas,
Audite cives, cuncti vos et advenae!

MAXIMUS.

Habet loquendi vir effrons audentiam?
Qui cives agitat, movet et submovet,
Suisque verbis captiosis inci'at.

EUPLIUS.

Audes queri de seditione, Maxime?
In urbe fautor mali, auctor discordiae,
Qui turpis auri amore Christum persequeris,
Cuius fuisti tu antea discipulus?
Et nunc incusas me spargere per compita
Fugisse post libros iudici traditos.
Vah! apage a nobis, vir omnis mendacii,
Qui tot moliris detrimenta Ecclesiae.

SCENA IV.

OCRIS et DICTI.

OCRIS *(intus)*.

Ad aulam me quid prohibetis ingredi?
Volo!

MAXIMUS *(elata voce)*.

Cuia vox?

OCRIS *(introgrediens)*.

Ocris, nuper proditor.
In hunc inertem sum grassatus gladio,
Quem nescio manu quis abstulit mea.
Vir altus, lucidis armis circumdatus,
Stetit, totumque reddit hunc incolumem.
« Ne ferias, inquit, Christus nam prohibet! »
Relinquens longe coecos nos in tenebris,
Novam sed ille lucem nobis intulit.
Christus me corripit, dilapsus cecidi,
Et adoravi nescius novum Deum!
Volo hunc adorare, ausus sum quem persequi!

OMNES.

Portentum!

EUPLIUS.

Christi donum quam maximum!

MAXIMUS.

Tace, sis, virgarum seges ac scelerum!

OCRIS.

Fui! queis me cumulas improperia
Haud te, Calvisiane a probro liberant.
Quis pretio mihi commisit scelera?
Dedit pecuniam, plusque pollicitus?
Nonne ipse? Rectam qui mentem simulas,
Urbem dominaris, qui nobis imperas?

CALVISIANUS.

Sunt istaec mentis somniantis somnia.
Ei vos fidem, cives, nunquam concedite;
Alliciunt tuam mentem artes magicae,
Queis callere Christiani persolent;
Ni tibi potius larga potatio.....

OCRIS.

Tu nugas narras, verba vendis et nubila!
Placet mihi vinum, magis sed veritas.
Amabo vinum, quoniam veridicum,
Eccur necem placuit vobis concedere
Mihi sancti viri quem non odiverim?

CALVISIANUS.

Enim quod nunc libet, face compendium.

OCRIS.

Quid? Ut scias me fateri liberius
Crimen perpetrasse tuo consilio!

EUPLIUS.

Tibi, Deus, gratias ago quam plurimas,
Ipse qui filios generas a lapide!

CALVISIANUS.

Artes tuas, miser, cognovi pessimas.

MAXIMUS.

Qui pisces inde speras expiscarier.
Scio qua servi calleant astutia!

OCRIS.

Dic potius vos liberos! Nam callidi
Vel ipso officio vos abutimini.
Aër si vestra declararet scelera
Ut nubes saepe caelum condit, sidera,
Dies se in noctem foetidam converteret.

MAXIMUS.

Ocris, plus aequo te sustinui. Tace.

OCRIS.

Facis tu quid placeat Caesari dummodo.
Mare et caelum tentas, nubes ipsas moves,
Et omne nefas per te velut fas erit!

CALVISIANUS.

Eum iam milites trudite in custodiam,
Ibique..... *(suspensus)*.

OCRIS.

Semper exclamabo ad sidera
Esse Christum Deum Sanctum prae ceteris...
Prius reponam sed mercedem sceleris,
Quam vos dedistis mihi nuperius.
Ut ignis devorat iecur et viscera!
Abi, nunc merces, vestra sit damnatio. (1)

CALVISIANUS.

Ad te nunc venio! Obedies Caesari?
Christum de terris primus vult abigere.

(Ad proximum numerum).

(1) *Dum milites eum rapiunt foras, iacit indignatus marsupium.*

